
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00001694 9

INCERTI AUCTORIS

DE RATIONE DICENDI

AD C. HERENNIUM LIBRI IV

[M. TULLI CICERONIS AD HERENNIUM LIBRI VI]

EDIDIT

FRIDERICUS MARX



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MDCCCXCIV





LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

CAROLO SELL

THEOLOGO BONNENSI

√

Errata.

Cum uariae turbae operis absolutionem demoratae sint factum est ut paucae res in libro ipso aliter constitutae sint atque in praefatione docuerim: sed sunt ea leuissima

p. **51** uersu 9 *legas* curioso
„ **94** „ 2 „ IV 10, 15
„ **120** „ 20 „ quomodo
„ **173** „ 19 „ scriptorem
„ **180** „ 15 „ certos nos
„ **322** „ 16 (IV 22, 31) ex certa emendatione scribendum: 'Alexandro si uita data longior esset trans Oceanum Macedonum transuolassent sarisae.' Hic unum e. q. s. Codd *transuolasset:* B habet *uariise,* H *uariose*, in reliquis nihil sani. Eadem corruptela IV 32, 43 p. 338, 6 qua de conf. prolegg. p. 22: quae p. 170 exposui huic cedent emendationi: quae p. 164 summa posui ea confirmantur, siquidem archetypus habuit *sareisae*

p. **375,** 6 bruta machinae ui uocabula *nulla uoce* male disturbata

Addenda.

ad p. **21** infimam: Etiam IV 32, 43 *c* pro *inquaerendo* **M** habuit *inquirendo*

ad p. **26** summam: *hominis* pro *nominis* habuit **M** III 20, 33 *p* IV 22, 31 *p trahise* pro *tranire* (conf. p. 339, 16. 204, 14. 292, 9) III 7, 14 *p* id genus alia. l t c litterae confusae erant his locis: *lepos* — *tepus* I 12, 22 *p*, *auel* — *abet* II 6, 9 *p*, *peccati* — *peccali* 15, 22 *e*, *alii* — *at ii* IV 9, 13 *e*, *uolum'* — *uocum* 21, 29 *p*, *uolemus* — *uocemus* 34, 46 *e*; *aetatem* — *talem* 16, 23 *e*, *euocat* — *euolat* 55, 68 *m*. d et n: *ad te quam* — *antequam* 21, 29 *p*, *Quid desinis* — *Quin desinis* 52, 65 *e*, *ut id ipsa* — *ut in ipsa* III 14, 24 *p* (conf. p. 278, 18) alibi. — IV 42, 54 *p* **M** habuit pro *eodem: eorum:* idem uitium agnoscitur p. 256, 21 ubi librarius addiderat *dem* male intellectum

ad p. **30** summam: *a* pro *ad* in **M**: III 16, 28 *p a* thesauro, 10, 17 *a* principii, 13, 23 *p a* confirmandum, IV 5, 8 *e adicendum*, 24, 33 *p auerti*, *e apedes*, 32, 44 *a* poetis in. In mutis quas saepe falso geminauit **M** unum hoc commisit *redidit* II 13, 19 *e*: at II 2, 2 *e* habes *dificillima,* 9, 13 *e adferetur,* 31, 50 *e libentisime,* III 2, 3 *m policitatione*, 24, 39 *e posimus,* IV 7, 10 *e posuisemus,* 19, 26 *m interualis.* In geminatione semiuocalium saepenumero **M** lapsus est: conf. IV 16, 23 *m inpediunt* pro *inpellunt,* II 4, 7 *p pactus* pro *passus,* 11, 16 *p est sed* pro *esset,* IV 7, 10 *p post sit* pro *possit,* 18, 25 *e ex se* pro *esse.* Quod II 11, 16 *e* H habet *interpeatores* pro *interpellatores* id huc minus pertinet quia qui meo iussu iterum codicem examinauit rettulit librarium primum uoluisse scribere *interp̄tes:* cuius rei rasuram esse testimonium

ad p. **39. 40:** ita III 3, 6 p. 259, 18 E in margine lacunae a se expletae omisit uerba *omnibus uerbis:* conf. 241, 10. 305, 17. 373, 21

ad p. **42** mediam: In praepositionibus uerborum compositorum uel optimos uel omnes codd secuti sumus. Archetypus semper habuit *allatum offuit offuturum* cuius scripturam num consequamur scribentes *adsiduus conparat* similia cum HP incertissimum sane est

ad p. **44** mediam: cod B ubi plura habet quam HP raro librarii diligentiae in acceptum referendum est ueluti p. 250, 20: saepenumero ille quoque interpolationes recepit Karolingiorum

ad p. **51** infimam: libro expleto quodam usus est exeunte saec. XII Alanus ab Insulis quem commentarium in libros ad Her. composuisse me docuit Clemens Baeumker collega philosophus (conf. Bandini catal. codd. Latt. bibl. Med. Laur. uol. III Florent. 1776 p. 1)

ad p. **53** mediam: conf. P de Nolhac Pétrarque et l'humanisme p. 192

ad p. **97** infimam: satius erat dicere nomen *aut* uocabulum similia, quia ubi pro *aut et* ponitur (IV 34, 45 nullius maeror et calamitas: conf. II 30, 49 nullam excusationem . . . et deprecationem) duo illa substantiua non sunt diuersae sed simillimae significationis

ad p. **102** infimam: M. Varronem in Menippeis saepissime dilemmata posuisse testantur fragmenta

ad p. **115** summam: Nempe qui Graece sciebant auctorem prooemii illius libri IV ridebant. 'Et mendax es et tergiuersator et piger' diceret aliquis suo iure. 'Nam dum sedulo ex Latinorum uoluminibus conquirere exempla non uis, ea quae Graeci rhetores ex Graecis congesserunt operose nimium impudenter uenditas pro tuis': conf. ad p. 324, 21. — Dormitat ille IV 39, 51 extr. ubi modo *Quirites*, modo *iudices* posuit

ad p. **127:** adde quod in uitiis II 29, 46 exornationis partes commemorantur, cuius diuisionis 18, 28 nec uola nec uestigium exstat

ad p. **131** summam: librorum scripturam in eiusmodi uocabulis qualia sunt *Chrespontem epodos* me seruasse non paenitet: conf. Mommsenus Ephem. epigr. VIII p. 273, s. u. *pthois*

Libri titulum exornare licuit simulacro monumenti Romani in patria reperti. Est anaglyphum Musei Treuirici Nouiomagense.

PROLEGOMENA.

Quo tempore liber Ciceronem inuenerit auctorem.

Anno p. C. fere 350 in Africa terra grammaticus nescioquis uel bybliopola ex scriniis domus cuiusdam Herenniae uel Herenniorum adfinis in lucem protraxit hunc librum quem rhetoricam ad Herennium dicimus cum per IV saecula illic latitauerit doctis indoctis plane ignotus. Quem librum Romae inde a Sullae tempore usque ad Theodorici regis tempora, immo per omne illud aeuum quo lingua Latina locuti sunt Romani non innotuisse doctoribus et scriptoribus urbis inde manifestum est, quod nemo rhetorum et grammaticorum qui eadem tractarunt quae libri auctor satis commode exposuit eo usus est, ne illis quidem temporibus quibus M. Tullii auctus nomine incluto liber inclaruit. In Africa librum ex penetralibus domus cuiusdam in lucem protractum esse non eo commouemur ut statuamus quod nulla regio praeter Italiam illis temporibus magis studebat litteris et eloquentiae, sed inde licet indagari quod sub finem libri I codex Herbipolitanus II hanc praebet subscriptionem: *romaniane uiuat ' romaniane uiuat; M. Tulli Ciceris* e. q. s. Quae acclamatio simillima nimirum est illi qua chronographus anni 354 librum suum uoluit exornari — conf. Th. Mommsenus Abhandl. d. K. S. Ges. d. W. I 1850 p. 565. 607 MGH script. ant. IX p. 39 J. Strzygovskius Jahrb. d. archaeol. Inst. I Suppl. B. p. 23 tab. III — sed ita ut homo urbanus quod urbane scripsit *Valentine uiuas floreas,* id in eo de quo agitur libro satis barbare enuntiatum esse appareat. Neque tamen temporis diuersitas hoc discrimen effecit sed loci: alter enim scriptor Italicus, prouincialis alter. Verba illa recte ut intellegamus, antea statuendum erit aut uocandi casum perperam positum

De subscriptione codicis H

esse pro recto aut tertiam personam pro secunda ita ut *uiuat* uocabulum interiectionis uice fungatur expers factum coniugationis. Illud tamen fieri probabilius esse ut arbitremur quam hoc eo adducimur quod licet Aureliani tempore cantauerint pueri *mille uiuat qui mille occidit* (Vopisc. Aurelian. 6), tamen *uiuat* eo quo significaui modo usurpatum esse cum saepissime occurrat acclamatio illa *uiuas* in inscriptionibus non inuenio, *Romaniane uiuat* pro *Romanianus uiuat* ex Afrorum consuetudine loquendi legitime dici probatur testimonio inscriptionum ueluti: CIL VIII 1, 2110 *C. Fufi Maxime uixit an. XXXV*... 2, 8718 *L. Iuli Rufine uixit annis LXXXV* 8760 *Egnati Gemine uixit*... 9820 *Videnius Maxime uixit:* conf. 9870. 9948 et 1, 2182 *L. Leli Siluane sacerdos Saturni uotum soluit.* Nec non aliis argumentis in Africam terram deducimur. Nam Romanianorum nomen raro in monumentis saeculi IV offertur: parum huc pertinet CIL VI 1, 721 ubi nomen *Romanianus* a nomine *Romanius* uel *Romanus* deduci potest nec CIL III 2, 4182 ubi filii cognomen *Romanianus* a cognomine paterno *Romanus* aperte deducitur.

De Romaniano Tagastensi.

At in Africa anno fere 350 Romanianus quidam florebat praepotens et praediues Tagastensis, rhetorum ueluti Augustini municipis sui fautor, Licentii poetae Vergiliani pater: cuius de diuitiis conf. Augustin. confess. VI cap. 14 uol. 32 ser. I p. 731 ed. Mign. Anno fere 385 quo Augustinus prope aulam Valentiniani II Mediolani rhetoris munere fungebatur Romanianum *graues aestus negotiorum suorum ad comitatum attraxerant.* Anno insequente libri Augustini contra Academicos ad Romanianum missi sunt quem in prooemiis admodum honorifice appellat ut studiorum suorum fautorem nobilem et honestum his uerbis (contra Acad. II cap. II 3 uol. 32 ser. I p. 920 ed. Mign.): 'Tu me adulescentulum pauperem ad peregrina studia pergentem et domo et sumptu et quod plus est animo excepisti ... Tu in nostro ipso municipio, fauore, familiaritate, communicatione domus tuae paene tecum clarum primatemque me fecisti. Tu Carthaginem illustrioris professionis gratia remeantem cum tibi soli et meorum nulli consilium spemque aperuissem quamuis aliquantum illo tibi insito, quia ibi iam docebam, patriae amore cunctatus es

tamen' *e. q. s.* Unde apparet Romanianum domi peregreque summa beneuolentia animi studia rhetorum et rhetoricae fouisse neque eum Tagaste solum sed etiam Carthagine aut Madaurae ubi Augustinus studiis uacaret aedes possedisse quibus hospitem excipi uoluerit et inuitari. Illis igitur temporibus litteratorem quendam huic Romaniano Ciceronis librum ad Herennium dedicauisse probabile est: quae inscripsit uerba *Romaniane uiuat* ea ludis et gladiatoribus saepenumero Tagaste audiri solita esse et in parietibus appicta lectitari Augustinus innuit cum scribat contra Acad. I cap. I 2 l. s. p. 906: 'An uero si edentem te munera ursorum et numquam ibi antea uisa spectacula ciuibus nostris theatricus plausus semper prosperrimus accepisset, si stultorum hominum quorum immensa turba est conflatis et consentientibus uocibus ferreris ad caelum, si nemo tibi auderet esse inimicus, si municipales tabulae te non solum ciuium tuorum sed etiam uicinorum patronum signarent, collocarentur statuae, influerent honores, adderentur etiam potestates, quae municipalem habitum supercrescerent, conuiuiis cotidianis mensae opimae struerentur, quod cuique esset necesse, quod cuiusque etiam deliciae sitirent, indubitanter peteret, multa etiam non petentibus funderentur, resque ipsa familiaris diligenter a tuis fideliterque administrata idoneam se tantis sumptibus paratamque praeberet, tu interea uiueres in aedificiorum exquisitissimis molibus, in nitore balnearum, in tesseris quas honestas non respuit, in uenatibus, in conuiuiis, in ore clientium, in ore ciuium, in ore denique populorum, humanissimus, liberalissimus, mundissimus, fortunatissimus, ut suesti, iactareris, quisquam tibi, Romaniane, beatae alterius uitae . . . mentionem facere auderet? Nunc uero quam te breuiter admonendum tot et tanta quae pertulisti aduersa fecerunt? Non enim tibi alienis exemplis persuadendum est quam fluxa et fragilia et plena calamitatum sint omnia, quae bona mortales putant cum ita ex aliqua parte bene expertus sis, ut ex te ceteris persuadere possimus.' Nota uerba *ex aliqua parte:* nam etiamsi Romanianus illo tempore importunarum litium uinculis implicatus laboraret (contra Acad. II cap. II 4) magnamque rei familiaris iacturam fecisse

uideatur, tamen ab Augustino inter praediuites censetur confess. l. s. s. Hunc Romanianum eo libentius in illa subscriptione agnoscimus quod nomen illud perrarum fuisse in Africa inscriptionum silentium euincit: temporum denique ratio concinit egregie et orthographia archetypi in uocabulis qualia sunt *lellius* aperte labdacismon ostendit Afrorum: qua de re in capite de orthographia accuratius agetur. Tum hoc inprimis considerandum est librorum ad Her. codicem omnium uetustissimum H et famosum illum Laudensem scriptum esse in Langobardorum terra ubi et Romanianus et Augustinus illo de quo diximus tempore commorabantur: nimirum bybliothecas suas docti illi putandi sunt ex Afrorum terra illuc asportasse.

De IV libris in VI uolumina diuisis.

Non illustrem quendam grammaticum sed hominem satis indoctum et inscitum rhetoricam ad Herennium primum edidisse cum ex subscriptionis barbarie tum inde apparet quod ille uidelicet librum parum accurate legit et pertractauit. Quod si fecisset non opus illud quod quattuor constare libris certum est in sex libros divisisset: quae diuisio inde a Prisciano usque ad prima exemplaria typis impressa sola in usu fuit et in omnibus libris manu scriptis in quibus omnino aliqua librorum diuisio exstat etiamnunc dilucide cernitur. Neque uero temere nec sine causa illam diuisionem fecisse putandus est. Nam IV 13, 18 extrema ubi liber IV explicit nonnulla deesse recte Schuetzius statuit primus quae non casu quouis sed eo quod libri IV finis mutilatus erat periisse consentaneum est. Atqui apparet fieri non potuisse ut sex libelli tam exigui in singulos codices reducti fuerint quos par erat uno omnes codice a librario comprehendi: *codex* enim *multorum librorum est, liber unius uoluminis* (Sueton. p. 134, 8 R). Ergo illo quem modo diximus loco non codicis sed uoluminis finis erat cuius ultima pagina cum aliquo casu deleta aut discissa fuerit ea quae illic desiderantur uerba periere. Nam satis mirum est scriptorem uolumen primum uoluisse esse paginarum 14 — utar quo commodius res intellegi possit editione Lipsiensi anni 1884 — secundum 28, tertium 21, 51 quartum: apparet, opinor, scriptorem librum quartum in tria distribuisse uolumina

quorum modus fuit paginarum 12, 20, 19, cum uolumen totius operis quartum contineret elocutionis partem primam, quintum uerborum exornationes et tropos, sextum sententiarum exornationes. Quam uoluminum diuisionem ille qui in codicem uolumina illa VI curauit transscribenda non recte interpretatus pro sex uoluminibus singulos deinceps libros substituit. Itaque rhetoricae ad Herennium antiquitus IV erant libri propter amplitudinem in VI uolumina diuisi sicuti Philodemus librum IV de rhetorica in duo distribuit uolumina et Plinii maioris teste minore epist. III 5, 5 extabant *studiosi tres in sex uolumina propter amplitudinem diuisi quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit.* Scriptor denique ad Her. et librum I (17, 27) et II (31, 50) et III (II 1, 1) appellat *uolumen:* librum IV nusquam ita appellat.

Homo ille quisquis fuit qui librum inuenit rhetoricam a M. Tullio Cicerone conscriptam esse credidisse putandus est siue is Ciceronis rhetoricis libris comparatis demonstrari posse arbitrabatur M. Tullium fuisse auctorem siue Herennio cuidam fidem habebat narranti memoria maiorum eloquentissimum Romanorum proauo suo librum dedicasse: quem librum non ita conscriptum fuisse ab auctore ut in multorum manus perueniret sed C. Herennio dono oblatum ut intra domesticos parietes sese contineret postea satis dilucide demonstrabitur. Itaque non est cur censeamus falsarium illum fuisse aut fraudatorem, qui remoto ueri auctoris nomine indicem libri Ciceronis nomine illustrauerit dolo malo sed nil probabilius quam librum illum antiquitus titulo caruisse: qui in membranula rubra pictus quam facile abscissus a uolumine perire potuerit ex Paqui Proculi docti pistoris picta imagine Giornale degli scavi di Pompei I 1869 tab. II p. 63 satis apparet. Ciceronem auctorem esse aut ille aut illi quos secutus est eadem certe ratione probare potuerunt qua uiri docti initio nostri aeui usi sunt qui acerrimo studio idem euincere conabantur. Videlicet scriptor ad Her. I 9, 16 tradit sese primum insinuationem in tria tempora diuisisse: quam diuisionem cum adhibeat Cicero de inu. I 17, 23, quid magis certum uidebatur quam scriptorem tacite suo ipsius uti inuento? Accedebat mira quaedam quae etiamnunc omnes

Cur Ciceronem auctorem esse libri inuentor iudicauerit.

commouet et sollicitat utriusque operis similitudo et affinitas. Tamen ne hoc quidem demonstrari potest librum per malam fraudem ab editore interpolatum fuisse quo acceptius et probabilius nomen Ciceronis uideretur ementibus. Nam I 12, 20 ubi traditur *Tullius heres meus Terentiae uxori meae XXX pondo uasorum argenteorum dato quae uolet* nomina uxoris et heredis falsa et ficta esse inde a Petro Burmanno omnes iudicauerunt: sed ea dolo malo ab editore inserta non magis probabile est quam ex scholiis docte ascriptis ea librariorum incuria in uersus scriptoris se insinuasse. Praeterea ex Ciceronis libris de inu. librum interpolatum esse non potuit statui nisi I 12, 22 ubi si denique interpolatio facta est ex de inu. II 19, 57 eam saeculo fere IX factam esse codicum aetas euincit neque Ennii Medeae exordium II 22, 34 ante Prisciani aeuum uariis lectionibus adscriptis uidetur esse commutatum.

Romae librum doctis numquam innotuisse.

Augustinus rhetor libris ad Her. non uidetur in doctrina rhetorica esse usus, bene nouit libros de inu. (conf. Haellingkius comment. in hon. G. Studemundi p. 347) de or. oratorem ad Brutum: conf. RLM p. 137 H Augustin. epist. II 118 uol. II (= I 33) p. 448 Mign. Neque illud mirum neque inde colligas rhetoricam ad Her. illi ignotam fuisse quandoquidem in rhetorica eius ne libros quidem de inu. adhiberi manifestum est. Tamen hoc summopere mirandum esse quilibet concedet Marium Victorinum natione Afrum qui sub Constantio principe Romae rhetoricam docuit Hieronymo puero (Hieron. de uir. illustr. cap. 101 praef. comm. lib. I ep. ad Gal. uol. VII 369 edit. Vall. Augustin. confess. VIII 2—5), postea sub Iuliano Christianam fidem amplexus uentosam deseruit doctrinam, eum dico in commentariis librorum de inu. nusquam memorare rhetoricam quasi gemellam ad Her. cum nominet libros de or. RLM p. 156, 27 H: scilicet ex hoc ipso silentio certissimum hoc efficitur Romae saeculo IV medio libros ad Her. notos non fuisse, initio saeculi ne in patria quidem Victorini cognitos a doctis: quam rem confirmat Nonii Marcelli et reliquorum grammaticorum qui his libris apte uti poterant altum silentium. Nam Victorinus si perfectam et absolutam rhetoricam ad

Her. non ignorasset, non solum singulis ad comparandum locis usus esset sed omnino opus plenum et perfectum commentario ornare maluisset quam fragmentum: quae eadem omnia cadunt in Grillium commentatorem qui insequente saeculo libros de inu. explanauit. Neque auctor carminis de figuris apud Halmium RLM p. 63 qui exeunte saeculo IV neque Iulius Rufinianus qui illus saeculi fere initio librum perdoctum de figuris composuit (RLM p. 38 H CIL X 1125) libro ad Her. IV usi sunt: nam quae hic p. 46 affert uerba *oratio libera quam Cornificius licentiam uocat* ea aut ex Quintil. IX 2, 27 aut ex eodem quo Quintilianus usus est auctore sumpta esse apparet. Sed Romae omnibus omnino temporibus librum a doctis adhibitum non esse iam antea pronuntiauimus.

Postquam Constantino auctore sedes imperii ad Graecos translata est et sub Iuliano lege data prohibiti sunt Christiani litteraturam docere et oratoriam (Augustin. confess. VIII 5 Oros. VII 30 Ammian. XXII 10, 7 Iulian. epist. 42) mirum in modum studia in urbe iacebant cuius rei testimonium luculentum exstat illa quam supra laudaui Augustini epistola l. s. p. 436: quo laetius in Graecia et in Asia effloruerunt. Atque primus quidem quem Ciceronis libros ad Her. nouisse certum est Hieronymus fuit Stridonensis, qui eos bis laudauit ita ut non dubitem quin in bybliotheca eius fuerint. Neque enim mirabimur nos illum potissimum Ciceronis libros ad Her. modo inuentos iam possedisse cum quam immodice libris Tullianis operam dederit ex epist. 22 ad Eustochium cap. 30 satis intellegatur in qua cum magno imbre lacrimarum sese per somnium a iudice diuino narrat castigatum esse hac uoce: 'Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum!' In urbe Bethleem circa finem saeculi IV non solum sacris scripturis uacabat sed etiam saecularibus et praeceptor grammatices auctores gentiles exponebat pueris: conf. OZoeckleri Hieronymus p. 156. Memoratur autem primum in litteris Latinis rhetorica ad Her. in praefatione commentarii in Abdiam prophetam anno fere 395 scripta uol. VI A p. 361 Vallars. his uerbis: 'Dicit et Tullius tuus adulescentulo sibi inchoata quaedam et rudia

Primus inter doctos Hieronymus adhibuit rhetoricam ad Her.

excidisse. Si hoc ille tam de libris ad Herennium quam de rhetoricis quos ego uel perfectissimos puto ad comparationem senilis prudentiae dicere potuit, quanto magis ego libere profitebor et illud fuisse puerilis ingenii et hoc maturae senectutis.' Deinde anno 402 in apologia contra Rufinum I 16 uol. II A p. 471 Vallars. Ciceronis opera rhetorica IV enumerat his uerbis: 'Lege ad Herennium Tullii libros, lege rhetoricos eius, aut, quia illa sibi dicit inchoata et rudia excidisse de manibus, reuolue tria uolumina de oratore in quibus introducit eloquentissimos illius temporis Crassum et Antonium disputantes et quartum oratorem quem iam senex scribit ad Brutum: tunc intelliges aliter componi historiam, aliter orationes, aliter dialogos, aliter epistolas, aliter commentarios.' Apparet ex his duobus locis hominem illum qui primus rhetoricam ad Her. Ciceronis esse pronuntiauerit relegasse studiosos ad locum illum de or. I 2, 5 ubi scriptor non unius sed duorum opusculorum quondam a se editorum mentionem fecerit. Qui locus uel monachis saeculi XII uel XIII mansit bene notus: nam in cod. Bambergensi MV 9, 424 qui utramque continet rhetoricam libris de inu. hoc praeponitur scholion: 'est prima rethorica quae dicitur ei puero elapsa unde ad eius correccionem secundam scripsit.' Ubi terrarum Hieronymus Ciceronis libros ad Her. pretio emerit sciri nequit: Romae ne per illa quidem quae supra adhibui scripta Hieronymi innotuisse uidentur, cum nemo Romanorum illius saeculi aut posteriorum saeculorum ullam eorum significauerit notitiam et quanquam constet Hieronymum bybliothecam suam Romae comparasse (conf. epist. 22 ad Eustoch. cap. 30) tamen eam singulis deinceps lustris magnopere ab illo auctam esse ita ut marsuppium eius libri paene euacuarint multis ille locis docuit: conf. epist. 84 ad Pammach. et Ocean. cap. 3 epist. 5 ad Florent. cap. 2 Zoeckleri Hieronymus p. 154. Proximus autem Hieronymo et aetate et regione si recte cognomen Antiochensis interpretamur Rufinus litterator fuit qui post Euanthii et Seruii ante Prisciani aetatem discipulorum in usum de numeris oratoriis scripsit adhibitis Ciceronis Oratore Bruto libris de or. ad Her. quos bis laudauit: uide quae adnotata sunt ad IV 19, 26 et 32, 44.

Secuntur Rufinus et Priscianus.

Tredecim deinde post Rufinum ex Ciceronis libris ad Her. II—VI exempla profert Priscianus Byzantinus qui librum propter formas quasdam rariores satis accurate perlustrasse uidetur: et Rufino et Prisciano nonnihil usi sumus ad uerba scriptoris emendanda qua de re conf. l. s. s. et quae adnotata sunt ad IV 3, 5. 4, 7. 17, 25. Operae uero pretium est demonstrare iam Prisciani exemplar uno certe loco eodem modo deprauatum fuisse quo nostra quae in manu scriptis habemus omnia: nam II 13, 20 iam illum in suo libro sicuti nos in nostris corruptum illud legisse *rem ubi pagunt orationi pagunt* codicum consensus GL II p. 523, 24 euincit.

Praeter eos quos modo laudaui scriptores tres nemo ueterum rhetoricam ad Her. sese nouisse testatus est. Nam qui Seruium GL IV p. 435, 13 arbitrantur spectare ad Her. IV 4, 7 eos comparato Charisio I p. 141, 32 aliter iudicaturos esse censeo: Halmius uero cum ad Fortunatianum RLM p. 97, 29 locum rhetoricae ad Her. adnotaret oblitus erat Cic. de inu. I 13, 17 II 40, 116. Neque in Hispania neque in Britannia librum illum extitisse in scriniis doctorum saeculo VI et VII eo fit apertum quod neque Isidorus neque Beda illo usi sunt in scriptis rhetoricis. Ne in Gallia quidem saeculo VIII rhetoricam ad Her. extitisse inde colligas quod Alcuinus qui mortuus est anno 804 in disputatione sua de rhetorica libros de inu. passim exscripsit: conf. quae Halmius adnotauit ad RLM p. 525 seqq. Errauit enim ille qui iudicauit uerba illa p. 527, 38 seqq. sumpta esse ex ad Her. I 15, 25 quia Halmius omisit adnotare de inu. II 24, 72. Quod concludere ex silentio cum nuper dubitauerim idcirco quod suspicetur aliquis Alcuinum mendositate et corruptione exemplarium deterritum esse quominus uteretur id nunc ea de causa confidentius pronuntio quod ex ipsis saeculi IX codicibus licet statuere quam sollerter et sedulo uiri docti aeui Karolingii libris ad Her. operam dederint quantumuis corruptis et mutilatis.

Eo demum quo Alcuinus mortuus est tempore id est saeculo IX ineunte in regno Francorum quod tunc per Galliam Germaniam Langobardiam late patebat unum inuentum est exemplar rhetoricae ad Her. mutilum et lacunosum, in- Seruatus Lupus

numeris mendis inquinatum. Cuius rei testimonium exstat Seruati Lupi abbatis Ferrariensis in epistola I anno 830 Fuldae apud Rhabanum conscripta et ad Einhardum missa Seligenstadii commorantem, in qua haec ille scripsit (Lettres de Servat Loup abbé de Ferrières par G. Desdevises du Dézert Paris 1888 p. 45): 'Sed semel pudoris transgressus limitem etiam hoc postulo ut quosdam librorum mihi hic posito commodetis, quamquam multo sit minus libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi: Tullii de rhetorica liber, quem quidem habeo sed in plerisque mendosum. Quare cum codice istic reperto illum contuli: et quem certiorem putabam mendosiorem inueni. Item eiusdem auctoris de rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo de oratore: quos uos habere arbitror propterea quod in breui uoluminum uestrorum post commemorationem libri ad Herennium interpositis quibusdam aliis scriptum repperi: 'Ciceronis de rhetorica. Item: explanatio in libros Ciceronis.' Praeterea Auli Gellii Noctium Atticarum. Sed et alii plures in praedicto breui: quos, si deus apud uos mihi gratiam dederit, istis remissis accipiens describendas mihi dum hic sum auidissime curare cupio.' Quibus ex uerbis quod etiam ex epistola LXIX l. s. s. p. 137 intellegitur dilucide apparet Lupum anno 830 lectitauisse epistolarum Ciceronis librum I. Nam Ciceronis ipsius uerba epist. I 9, 23: 'Scripsi igitur Aristotelio more quemadmodum quidem uolui tres libros in disputatione ac dialogo de oratore' e. q. s. in illa ad Einhardum epistola attulit neque tamen recte catalogum bybliothecae Einhardianae interpretatus est. Nam quos ille putauit uerbis *Ciceronis de rhetorica* significari libros de oratore, ei sane fuere libri de inu.: praeterea in illa bybliotheca Marii Victorini explanationem in libros de inu. extitisse illis quae secuntur uerbis edocemur. Seorsum denique illis temporibus libros ad Her. et libros de inu. describi et uenum dari solitos esse ex indice bybliothecae quem nobis Lupus in illa epistola seruauit iure colligemus: quod confirmant codices illius saeculi adhuc seruati.

Codd. classis M. Tales enim libri quales et in Lupi et in Rhabani et in Einhardi ineunte saeculo IX fuisse bybliotheca ex illa epi-

stola cognoscimus etiamnunc exstant quattuor saeculi IX uel X omnes quibus accedit quintus liber saeculi X uel XI: qui omnes tam mutili et mendosi sunt, quam illi fuerunt quos Lupus commemorat in epistola s. s. Quibus codicibus nomen erit mutilis, signum **M**: in Kayseri edit. classi I et II tribuuntur, nos classem II quae constat ex codd. eiusdem generis mutilis sed interpolatis et a doctis saeculi IX et X expletis ut plane inutilem abiecimus. Omnibus illis codd. **M** hoc proprium est quod carent principio, incipiunt I 6, 9 uerbis *Tria sunt tempora*, quod multis locis lacunas praebent ex homoeoteleutis plerumque natas, denique quod multis mendis multifariam sunt deprauati, quae menda ex scriptura archetypi illius unde archetypus librorum **M** deductus sit perdifficili ad legendum nata esse postea docebimus. Sunt uero hi:

1. Codex Herbipolitanus hoc est Wirceburgensis forma fere quadratus, signatus Univ. Bibl. Mp misc. f. 2, scriptus saeculo IX uel X litteris Langobardicis quibus passim unciales ueluti SЄꞆRPN admixtae sunt ab homine satis stupido et indocto: fol. 21 u. simulacrum edidit Aemilius Chatelain Paléographie des classiques Latins fasc. VII Paris 1892 tab. XVII *a* continentis II 19, 29—20, 31. Constabat quondam foliis 78, quaternionibus 9 quibus post quattuor primos insertus est trinio unus: fasciculis I II IV V VI VII numerus in margine paginae ultimae inferiore additus est. Fol. 78 a glutinatore qui cultro libri frontem circumcidit tegumento quondam fuit adglutinatum, fol. 77 exsectum est: fol. 75 pagina postica explicit liber ad Her. VI, additae sunt ab homine eiusdem saeculi inscriptiones metricae ex ecclesiis urbis Romae sumptae scriptae litteris Karolingiis paruulis, quae complent fol. 75 u. et fol. 76 r. e quibus una celebrat monumenta Paschalis I qui papa fuit 817—824: conf. de Rossius JCUR II 1 p. 154 seqq. Fol. 76 u. haec leguntur: Codex Herbipolitanus H.

Quem terra
pondus nunc dimittis seruum tuum domine seruum
secundum uerbum domine tuum in pace
Ex more docti mistico seruamus hengeuinium.

Vocabulum ultimum potest et legi *hengeninium*: illa tamen sine dubio praeferenda erit lectio. Fol. 77 (78) r. Oeggius legit

gerbotus scripsit — qua de re conf. CHalmii Analecta Tulliana fasc. I p. IV, qui codicem contulit primus et lectiones ex codice satis diligenter excerptas l. s. edidit. Quae uerba nunc fere deleta possunt quidem esse eius qui librum totum exarauit. Illi qui antecedunt fol. 76 u. uersus, quorum ultimus transiectione uerborum et numeris qualibus hymni panguntur poetam prodit ita interpretandi uidentur: 'Hengeuinium cuius corporis pondus domine nunc in pace dimittis e terra (conf. Lucas II 29), eius animum nos clerici arcana sacramenti institutione seruamus' unde colligas Hengeuinium illum cum Gerbotus scriptor barbarus haec uerba barbara conscriberet animum egisse et sacramentum accepisse. Praeterea fol. 77 (78) r. additus est manu recentiore uersus hic *tunc agilis Cicero constantius agmine fisus.* Versus habet una quaeque pagina XXII raro XXIII, sub finem libri XXV uel XXVI: in locis corruptis in margine passim conspicitur nota ℞ qua de conf. HHagenus Verhandl. d. Zürich. Philolog. Vers. 1887 p. 251. Correctus est codex ab scriptore denuo ad archetypum opere ad finem adducto et ab aliis hominibus passim temporibus diuersis: nos quaecumque non manu prima in uersu suo loco recte posita inueniuntur nota H^2, codicis ipsius qui h fuit Kaysero scripturam H littera significamus. Codicem contulimus nec non errata Halmii nonnullis locis correximus. In Italia eum conscriptum esse ex genere litterarum et picturarum ueluti fol. 17 r. licet suspicari: Stephanum clericum plurimos eiusmodi libros ex Italia Wirceburgum transtulisse traditur apud Halmium l. s. fasc. II p. VI conf. fasc. I p. IV, JSimon, die Handschriften der Rhetorik ad Her. progr. gymnasii Schweinfurtiensis a. 1863 p. 12.

Codex Parisinus P.

2. Codex Parisinus 7714 codd. Latinorum bybliothecae quondam regiae nunc publicae, forma fere quadratus, scriptus saeculo IX litteris minusculis Karolingiis satis sollerter et diligenter: conf. Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae Paris. 1744 pars III uol. IV p. 387 Simon l. s. p. 15 Aemilius Chatelain Paléographie des classiques Latins Paris 1885 fasc. II tab. XVI ubi simulacrum fol. 9 r. editum est libri I exitum exhibentis. Hic quoque liber constabat quondam foliis 78 quaternionibus 9 quibus additus est trinio unus

fasciculus omnium ultimus: quaterniones numeris suis insigniti sunt omnes. Fol. 1 r. omnino uacuum est, nisi quod inscriptione *Claudii Puteani* indicat cuius liber quondam fuerit. Fol. 2 r. prior pars uacua: medio incipit rhetorica ad Her. inde a I 6, 9, explicit fol. 78 r. medio liber VI: quod reliquum est folii 78 caret scriptura. Inter fol. 1 et 2 uetusti cod. unum ex alio cod. insertum est folium in quo exstat libri I principium quod deest in mutilis omnibus manu saec. XII uel XIII conscriptum et nobis plane inutile. Versus habet in una quaque pagina XXIII in hac quoque re H codicis similis. Correctus est ab homine perdocto saeculi IX cuius passim scriptura uetusta deleta coniecturae conspiciuntur. Deinde saeculo XIV uel XV alius quidam ex codicibus integris lacunas expleuit usus atramento uiridi. Nos correctores recentiores istos nil moramur. Ne saeculi IX quidem correcturas magni facimus: quas tamen littera P² adiecta adhibebimus si quae similes lectiones ex codicibus integris proferentur. Codicem in usum Orellii contulit JEscherus (conf. Cicero edd. Orellius et Baiterus uol. I Turici 1845 p. V Baiterus in ind. lect. in acad. Turic. habend. ann. 1844/5), in usum Kayseri EMillerus: sed plures sunt quae falsae in illis editionibus cod. Parisini lectiones adnotantur quam quae rectae neque solum editores sed multos alios sicuti me ipsum quondam in fraudem induxerunt et in errores lectiones cod. Parisini perperam editae. Quippe nil curantes lectiones erasas, coniecturas saeculi IX uel X uel XIV pro ueris et genuinis uenditarunt et sententiam de illo codice et de reliquis ferendam plane conturbauerunt et impediuerunt. Veluti II 23, 35 in uersu Plauti *concastigabo pro commerita noxia* Parisinus minime habuit *commissa noxa* quae in deterioribus codd. inueniuntur et correctoris sunt, sed habuit *comita noxia* id est *commerita noxia*: cod. H habet similia haec: *c̄mitta noxia.* III 14, 25 *uerbis continuandis uocem quoque augere oportet* recte praebent codd. expleti E. H habet . . . *rugere oportet*, de Parisino quod tradunt eum habere illud *iungere oportet* ab editoribus probatum id falsum est: nam *iungere* correctoris est, manu prima scriptum fuit *ugere* praeposita una littera quam r fuisse collatis aliorum codd. lectionibus

certum est: et sic innumeris locis eadem quae H habet manu prima in Parisino fuisse inueni cum codicem magno cum fructu conferrem. Codex p est Kaysero, nobis P littera notatur.

Codd. H et P omnium optimi et antiquissimi sunt: archetypi **M** lectiones exhibent religiosissime exscriptas. Quibus adiungendi sunt codd. eiusdem generis tres:

Codex Bernensis B. 3. Codex Bernensis 433 forma fere quadratus scriptus saec. IX uel X litteris minusculis Karolingiis, descriptus a Simone l. s. p. 13 HHageno catalog. codd. Bernensium p. 378 Chatelainio l. s. qui simulacrum fol. 10 u. libri I exitum initium libri II exhibentis ibi proposuit. Constat is codex hodie foliis 79 sed ita ut scriptura saec. IX uel X incipiat fol. 5 u. inde a uerbis *Verum hae tres utilitates tametsi* I 7, 11: in fol. 1 et 2 manu saec. XII uel XIII capitula exarata sunt a Simone l. s. p. 14 exscripta, fol. 2 u. 3. 4. 5 r. eadem illa manu recentiore ea quae desunt ante I 7, 11 sunt addita. Itaque uetus codex saec. IX uel X constabat fol. 5—79, id est foliis 75 uel quaternionibus IX praeter primum numeris suis notatis quibus adhaerent folia singula tria. Fol. 5 r. ante saec. XII uacuum fuit, nunc eo quo dixi modo conscriptum est: liber VI explicit fol. 79 r. medio. Fol. 79 u. exstat catalogus monachorum et librorum editus ab HHageno Jahrb. für Philol. XCIX p. 511 GBeckero catalogi bibliothecarum antiqui p. 131 ubi tamen u. 1 et 2 legas non *wincerus* sed *winierus*, u. 14 non *Donatus minor cum maiore et barbarismo et coniugationibus* sed *Donatus minor cum barbarismo Item donatus minor cum maiore et barbarismo et coniugationibus* deinde u. 9 scribas: *Priscianus de XII uersibus I* et quae secuntur deinceps coniungas eadem ratione. Versus habet uetus codex in unaqũaque pagina XXI. Correctus est passim ab hominibus diuersorum temporum inde a saeculo librarii usque ad saeculum XV: lacunae hic illic ex codd. integris expletae sunt. Quas correcturas omnes ego quidem nil curo adnotandas nisi cum ad rem pertinebit demonstrare coniecturam quandam iam saec. IX esse factam. Librarius homo doctus uidetur fuisse et acutus: non enim sicuti reliqui scribit *rethorica rethor* similia, sed *rhetorica rhetor*; solus ille

in u. Plauti supra p. 13 allato recte posuit *commerita* non *commissa* aut ex sua ipsius coniectura aut adhibito Ciceronis libro de inu. I 50, 95. Codicem contuli: indicatur nota B sicuti apud Simonem et GFriedrichium in edit. Lipsiensi anni 1884 ubi nonnullae eius scripturae expositae inueniuntur in adnotatione critica.

Codex Corbeiensis C.

4. Codex Corbeiensis uel Petropolitanus forma fere quadratus qui adseruatur in bybliotheca imperatoria Petropolitana signatus nota *F vel. 8 auct. class. Latin.*, scriptus saeculo IX uel X Karolingiis litteris minusculis satis diligenter. Constat foliis 87. In foliis 1—48 id est quaternionibus prioribus sex scripta est rhetorica ad Her. inde a I 6, 9 *ria sunt tempora* ad IV 52, 65 *Vix haec dixerat cum ecce iste* deleta uetustiore scriptura cuius uestigia passim cernuntur: quae secuntur fol. 49—64 siue quaterniones duo continent Ciceronis de inu. II 8, 27 usque ad II 52, 157 inde a uerbis *demonstrandum erit defensori* ad uerba *quod sua ui nos alliciat ad sese.* Tum in foliis 65. 66 inueniuntur rhetoricae ad Her. quae restant. Fol. 67 r. et 68 u. uacua sunt: fol. 67 u. et 68 r. continent definitionum collectionem ueluti talium: 'Virtus est animi habitus in naturae modum rationi consentaneus (conf. Mar. Victorin. RLM p. 155, 28) Ars est quae significantiam sui plenam non habet' (conf. ibid. 24) e. q. s. Qui secuntur quaterniones duo siue folia 69—84 continent Cic. de inu. librum I usque ad uerba *qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt* I 35, 61: quae restant folia tria quorum ultimum mutilum est continuantur folio 64, cum praebeant exitum libri II de inu. Libri de inu. eadem qua in reliquis illius saeculi codicibus mutilati sunt lacuna: nam uerba inde a II 57, 170 *Huiusmodi necessitudines* usque ad II 58, 175 *in commoditatis uero ratione* desiderantur: conf. AWeidnerus M. Tullii artis rhetoricae libri duo praef. p. XXV. Scriptus esse uidetur liber ad Her. et Ciceronis liber prior ab eodem librario qui XXVIII, reliqua a librario aetatis paulo recentioris qui XXIX, in paenultimo et antepaenultimo folio XXVII uersus in una quaque pagina exarauit. Ex eis quae modo enarraui apparet exemplar rhetoricae ad Her. qualia illo saeculo habebantur integrum cum exemplari Ciceronis cuius

quaterniones nonnulli continentes libri I exitum et initium libri II perierant a glutinatore indocto posterioris aeui quaternionum numero et ordine perturbato uno uolumine comprehensa esse. In prima paginae margine inferiore legitur manu recentiore scriptum *Liber S. Petri Corbieensis Cicero ad Herennium 528*, in ultimo folio dimidiato recto: *Ce manuscript contient 87 feuilles. L'abbé de Grandcdieu* in uerso: *Rethorica tullii Noua et uetus* manu ut uidetur saeculi XIV. Ex quibus inscriptionibus apparet librum olim fuisse Corbeiensis monasterii Karolingiorum temporibus quod in primis in Gallia florebat litteris (conf. Mabillon analect. ueter. II p. 657) nec non memoratur in catalogis illius monasterii apud GBeckerum catalog. biblioth. antiqui n. 79, 103 p. 187 *Cicero ad Herennium* et n. 136, 287 p. 284 *Tullius liber secunda rethorica*: conf. ibidem 292. Deinde factus est Sangermanensis translatus Lutetiam Parisiorum unde Petropolim eum transuexit inter tumultus et incendia Gallorum sub finem saeculi XVIII facta Petrus Dubrovsky cuius musei fuerat antequam cum aliis eiusdem monasterii cimeliis in pluteos bybliothecae imperatoriae concesserit: conf. E de Muraltius Bulletin de la classe historico-philologique de l'académie de St. Pétersbourg V 1848 p. 3. Hic codex nobis instar erit editionis a uiris doctis saec. IX pluribus codd. adhibitis factae et adnotationibus ornatae emendationibusque. Sed illae emendationes et adnotationes quae in cod. Corbeiensi exstant non ipsius librarii esse sed archetypi facile apparebit. Nam librarius munere suo functus est satis diligenter sed ita stupide ut etiam glossas in archetypo uerbis superpositas *uel* uocabulo modo adiecto modo omisso in contextum supina neglegentia reciperet. Veluti in uerbis I 12, 21 *Ille nihilominus sitellam detulit* codd. HBP^1 habent *sitellam*, P^2 *cistellam*, C: *uel cistellam sitellam.* Quae glossae plerumque eae sunt quae ab aliis librariis pro genuinis descriptae secundae quam Kayserus constituit classis scripturae proprietatem effecerint. Praeterea codicis lectiones ideo praecipue considerandae sunt, quod lectiones nonnullas manu prima id est saec. IX uel X exaratas exhibet quae in codd. expletis uel integris ueniantur, in HPB nondum exstent in contextu conscriptae sed in

marginibus adnotatae aut manu correctrice deletis uetustioribus scripturis inlatae. Facile autem intellegitur aetatem correcturarum et adnotationum talium aegre statui posse cum in codd. PB aliis passim uel ab hominibus saeculo XIII posterioribus ex codd. integris lectiones inlatae sint: quod idem in cod. Corbeiensis scripturis manu 1 factis accidere non potest. Sed hac de re infra pluribus agetur. Scholia autem adscripta librarius iam in archetypo uidit. Nam I 11, 18 in uerbis *noster doctor tres putauit esse* super uerbum *noster* ab eo homine qui scholia adscripsit saec. IX uel X additum est: *uolcacedius plotus.* Id uero neque eruditionis eximiae neque Suetonii (conf. de rhet. 3) saec. IX lecti testimonium, sed ex Hieronymi chronicis sumptum est ad ann. 1936 Abrah. (Euseb. ed. Schoene II p. 133) ubi commemoratur *Vultacilius Plotus Cn. Pompei libertus et doctor*, qui apud Suetonium l. s. audit *Voltacilius Pilutus.* Sed scholiastam hoc nomen iam in archetypo inuenisse inde statuemus, quod in cod. ICauchii de quo conf. edit. Petri Burmanni praef. p. XXXVIII Kayseri p. XXV 7 idem illud nomen adnotatum fuit teste Kaysero in adnotatione critica. Ergo cod. Corbeiensis ab eodem archetypo descriptus est quo Cauchianus nec non cum illo locis consentit plurimis. Correctus est Corbeiensis passim a librario ipso qui opere ad finem perducto denuo ad archetypi exemplar apographum recensuit: librum modo descriptum abbas nescioquis doctissimus hic illic correxit, kapitula in margine k littera indicauit, scholia ex archetypo petita notis Tironianis adposuit plurima in principio operis, ad finem sensim minora aut rariora. Notarum Tironianarum usum et notitiam cum uideamus in utroque Francorum regno sub finem saec. IX rarescere (conf. FKoppii palaeographia critica I p. 412 Wattenbachii Anleitung zur lat. Palaeogr.[4] p. 11) eidem saeculo nos tribuimus codicem quo bybliothecarii Petripolitani. Unum scholion in margine fol. 15 u. non notis sed litteris legitur conscriptum quod pertinet ad II 26, 41 *Quadruplator ut breuiter scribam* e. q. s. his uerbis: *Quadruplatores dicebantur qui eo se questu tuebantur ut eas res persequerentur quarum ex legibus quadrupli erat actio* — Pauli Festi epitomae saec. IX si recte de litteris iudico iam lectae

et adhibitae testimonium egregium: conf. Fest. p. 259 M. Praeter Hieronymi chronica Pauli Festi epitomen Marii Victorini explanatio in libros de inu. adfertur quo de loco infra agetur in capite de titulo operis ad Her.: adde Isidori origines (VIII 7, 5) quas exscripsit scholiasta notarius ad I 8, 13 fol. 2 r.: *Tragedi dicti quod in initio canentibus praemium erat hircus quem graeci tragus uocant. Iam dehinc sequentes tragici multum honorem adepti sunt excellentes in argumentis fabularum ad ueritatis imaginem figtis. Nam poetae regum historias et res publicas praedicant.* Eundem fere locum Isidori eodem modo hoc est partim litteris partim notis exscripsit scholiasta cod. Berolinensis qui centones Dracontianos continet qua de re conf. GMeyerus Sitzungsber. d. Berl. Ak. d. W. 1890 p. 295. Quam docte denique scholiasta ille uerba tradita studuerit aut emendare aut enarrare ex scholio fol. 40 u. ad IV 32, 43 partim notis partim litteris conscripto intellegitur ubi in codd. saec. XII emendate legitur *non tam cito sarisae Graecia potitae sunt,* at in codd. HPB Corbeiensi saec. IX corrupta haec exstant *non tam cito uaris egraegie* e. q. s. Scholiasta Iustini XII 7, 5 memor supra uerba *uaris egraegie* adnotat *argiraspide uocati sunt scutati alexandri ab argenteis astis* neque tamen emendare uerba tradita ausus est. Operae pretium uidebatur uberius de istis scholiis disserere quandoquidem eruditionis aeui Karolingii specimen exhibent luculentum. Adde quod librarium illius archetypi minime uno codice contentum fuisse manifestum est ex adnotatione fol. 3 u. ad I 12, 22 *et causa cadit* e. q. s. partim notis partim litteris adscripta: *quidam codices habent qui egit nisi habuit actionem. quod bene potest scribi secundum illud quod est in secundo:* deinde relegamur ad historiam Orestae qui matrem occiderit nec habuerit actionem. Conferenda erit cum isto scholio adnotatio in cod. Bambergensi saec. X ad Mart. Capell. p. 24, 13 edit. Eyssenh. (conf. l. s. p. XI) adscripta *hoc in quibusdam codicibus non habetur* tum Charisii scholion GL I p. 205, 7 *in quibusdam non feruntur* schol. Iuuen. VI 365. Ex eis quae exposui satis apparet locis plurimis cod. interpolatum esse et emendatum coniecturis doctorum: quas interpolationes et emendationes summi momenti esse ad lectiones codd. ex-

pletorum recte aestimandas postea apparebit. Neque tamen ubique codd. HPB cedit noster bonitate: ueluti IV 50, 63 Corbeiensis *at de ho tu inquit ueni sannio*, ubi H *Tu inquit uenis annio* B: *adeo tu* e. q. s., in P lectio prior erasa est — uerbis scriptoris *at eho tu* e. q. s. C proximus est. IV 3, 5 *libare laudem* uera est scriptura: *liberare audem* HP, *libere laudem* B, *libera laudem* C. Locos autem illos ubi Oudendorpii Halmii aliorum coniecturae codicis illius auctoritate confirmantur nunc consulto relinquo. Cod. contuli: eundem descripsi et nonnullas ex eo lectiones protuli Mus. Rhen. XLIII p. 376 seqq. Kayseri fretus editione: quare multorum quae illic posui nunc postquam meis uti possum collationibus codd. piget et paenitet. Codex nobis erit C.

5. Codex Parisinus 7231 codd. Latinorum bybliothecae quondam regiae nunc publicae forma oblongus scriptus secundum CLangium edit. Vegetii p. XXVII et Catalogi supra p. 12 laudati auctorem (l. s. s. p. 329) saec. XII, secundum auctorem Kayseri edit. p. XXV 2 exeunte saec. X litteris perparuis satis neglegenter et inerudite. Foliorum est 85, quorum 1—13 r. continent Vegetium de re mil., 14 r.—35 u. Solinum, 35 u.—37 u. rhetoricae ad Her. partem priorem usque ad II 4, 7, fol. 38 r. — 44 u. ad Her. librum IV inde a IV 8, 12, fol. 44 u. — 45 u. Ciceronis partit. orator. partem priorem, fol. 46 r. — 53 u. ad Her. II 4, 7 — IV 8, 12, fol. 54 r.—57 u. partit. orator. quae restant: secuntur in eis quae reliqua sunt foliis conscripti Iulius Seuerianus Quintil. liber X Augustinus de mus. tractatus de notis Ciceronis synonyma nummorum definitiones. Codex plane eisdem lacunis deformatus est atque HPBC. Qui eum ex P descriptum esse dixit, errauit ille quidem. Nam in fine libri IV P habet *ordine*, ille recte *ordinate* II 5, 8 *et magis firma* ille cum reliquis, ubi P m. 1 omittit *et magis* et similiter passim. Maximo emolumento est codex ille ad lectiones cod. P erasas restituendas: nam ex eodem archetypo quo P deductus est. Codicem contuli: neque tamen totam scripturae uarietatem adnotaui sed ea tantummodo quibus opus esse mihi uisum est ad archetypum cod. P recuperandum. Est in Kayseri editione **π littera notatus, in nostra *Π*.** Codex Parisinus *Π*.

Reliquos uero codices mutilos quos a Michaele Bruto in edit. Lugdunensi anni 1570 inuenimus adhibitos (conf. edit. PBurmanni p. 485 seqq.) tum codd. a Kaysero edit. p. XXV—XXVII primae et secundae familiae attributos aliorum alios reieci omnes. Nam aut cum eis quos modo enumeraui congruunt aut notae sunt omnino peioris.

De archetypo. Itaque nos codd. HP*Π*BC usi unum illud restituamus oportet apographon **M** quod saec. IX initio in Francorum regno denuo erat repertum. Quod carebat initio quia aut ex ipso aut ex eius archetypo folia tria prima perierant, descriptum fuit ab homine dormitante et oscitante qui non solum lacunis ex uerbis similibus aut homoeoteleutis plerumque natis sed etiam mendis plurimis traditam scripturam corruperat. Fuerant in archetypo codicis **M** nonnulla in margine adnotata, quae suo loco omissa erant a librario: quae satis stupide nonnumquam falso loco in scripturam recepit **M** ueluti factum est IV 34, 45 ubi **M** habuit: . . . *aspirauit. Grauandi causa sit nam cum canes fungentur officiis luporum quoniam praesidio pecua credemus per argumentum tractatur ornandi causa sic* . . . At 34, 46 legebatur in **M**: *a simplici oratione ductae si cum a persona aut loco aut re aliqua similitudo augendi* e. q. s. Priore loco uerba *Grauandi causa si* interpolatoris sunt: reliqua: *t nam cum — tractatur* in margine adscripta fuere quae loco posteriore post *si* recte insererentur. Tamen a librario **M** falso loco inserta sunt, quae recto loco leguntur in codd. expletis de quibus postea agetur. Itaque uia et ratione progressi assequimur illud archetypon codicis **M**, in quo adnotata illa fuere in margine: porro archetypi huius archetypon unde deducti sunt codd. expleti uerba illa suo loco habuit posita. Cod. H potest esse descriptus ab ipso cod. **M**: codd. P*Π*BC inde deriuati sunt alio apographo quodam interposito. Nam IV 14, 20 in H legitur: *quem senatus damnaret quem populus damnaret quem omnium existimatio damnaret cum nos sententiis uestris absoluatis.* In P*Π*BC: *quem senatus damnarit quem hd̄ omnium existimatio damnarit cum nos sententiis uestris absoluatis. hp̄ populus damnarit quem SR̃.* De notis quae hoc loco inueniuntur conf. Franckenus Mnemos. XVIII 1890 p. 11. Wattenbachii Anleitung[1] p. 92.

Cod. autem H librarium ipsum locum recte restituisse et doctiorem fuisse quam cod. P nemo credet qui utrumque bene nouerit. Sed hanc de origine et stemmate singulorum codd. magis iuuabit inchoare quam pertractare quaestionem. Neque enim in tanta codd. multitudine qui inde a saec. IX in monasteriis extiterunt cum librarii modo uno archetypo contenti fuerint modo plures adhibuerint studiose, satis certis uti licebit rationibus.

De uerborum distinctione.

Perdifficile autem archetypon illud unde cod. **M** deductus est librario fuit ad legendum. Nam aliis locis cod. ille distinctus fuit, aliis distinctio uerborum facta erat nulla aut puncta prorsus euanuerant uetustate deleta. Vitia scriptura male a librario distincta oborta ita saepe occurrunt, ut uix opus sit exempla proferre: ueluti IV 35, 47 *Quibus liberi sunt statuite* in **M** corruptum legebatur hoc modo *quibus liber constat uitae* III 5, 8 non *sequi suadebit* sed *si quis audiuit* habuit **M**. Tamen aliis locis in **M** eiusque archetypis recte secundum grammaticorum doctrinam distinctum fuisse testantur apographa, quorum in hac quidem re consuetudinem non in editione sequendam sed in adnotatione duxi indicandam. Itaque semper fere traditum est in HP reliquis *siquis nequis numquis* similia: ueluti IV 30, 41 *nolo dicere necui* PB, *nec ui* H. Porro nonnumquam praepositio cum uerbo sequenti in unum coniuncta fuit: sicuti in lege Iulia municipali 49 legitur scriptum *quoi elege locationis*, ita IV 39, 51 *liberi partim egremiis diripiuntur* habet cod. P quod non casu sed arte ita scriptum exstare probatur lectione codicis H qui habet *egregiis*. Aliis locis iudicium fieri tam facile et expeditum in hac re non potest: memorandum tamen est quod IV 43, 56 habent PB *indicundo*, 44, 57 B *prore*: tum quod III 23, 38 in codd. Hbl traditum est *inquirendo* pro *in quaerendo* reliquorum, id ex eadem consuetudine scribendi factum esse apparet de qua conf. Mar. Victor. GL VI p. 23, 9 seqq.

Contra in aliis compositionibus siue coniunctionibus uerborum distinctionem interpositam fuisse ex apographis dilucide intellegere poterimus. Plerumque enim in melioris notae libris traditur *inter fecerit inter iectas inter lucere inter*

cedere inter pellatione inter pretari trans numerari super sedere ante celluntur similia. Praeterea particula *ne* interrogatiua aut raro aut nusquam encliticae loco habetur et scribitur ueluti II 4,7 *idonea ne fuerit ad rem* e. q. s. traditur in HPΠB. Similiter *quo ad* in archetypo distinctione interposita scriptum fuisse et scripturae legitime traditae et corruptelae ueluti *quod ad* similia testantur. Tum *que* particulam multis locis separatam fuisse ab antecedenti uerbo inde efficitur quod apographa pro illa passim praebent *quae* eodem modo distinctum ueluti *adgnatum gentilium quae id quae mihi quae* similia. Etiam uerba composita qualia sunt *commone faceret labe factans* hoc quo modo feci scripta fuisse apographorum lectiones optimorum euincunt.

De litterarum commutationibus.

Nunc genera singula mendorum consideremus quibus cognitis et de emendatione singulorum locorum et de litteris archetypi uel archetyporum certius aliquid licebit statuere. Atque capitalibus quae dicuntur aut uncialibus litteris archetypum codicis **M** conscriptum non fuisse inde manifestum est, quod pro S littera librarius passim U litteram substituit: quod in illis quos modo appellaui characteribus euenire non potuit. Veluti IV 54, 68 pro *Thasi* in **M** erat *thaui*, 16, 23 pro *castum*: *cautum*, III 19, 31 pro *integras*: *integraui*, IV 21, 29 pro *dissimiles*: *diusimiles*, III 3, 6 pro *possimus*: *posuimus*, IV 32, 43 pro *sarisae Graeciae*: *uaris egregie*, pro *Mars istuc te*: *mauisstucte* — de r littera post a omissa infra agetur — 22, 31 pro *desinu*: *diuinu*, 2, 4 pro *nos auctoritate*: *noua auctoritate*, II 28, 45 pro *utris*: *utrius* alia. Quo factum est ut IV 35, 47 pro *Cassi* traditum fuerit in **M** *causis*, uocabulum *casus* IV 17, 24 et 19, 27 mutatum sit in *causis*, 32, 44 in *causa* uel *causas*. Neque alia de causa S iuxta U litteram posita nonnumquam extrita est — ueluti IV 43, 55 pro *suo loco* in **M** fuit *uolo quo*, 10, 14 pro *exhausto*: *exauto*, III 12, 21 pro *uniuersus*: *uniuerso* — et eadem littera in exitu uerborum posita saepissime excidit. Videlicet **M** cum habuerit nonnumquam *nos met uos met* distincte scriptum S littera saepenumero plane perierat in archetypo ueluti IV 39, 51 traditum fuit in **M** *uo met*, III 20, 33 *nō et*: eodem modo periit II 8, 12 ubi **M** pro *illis* habuit *illi*, III 3, 4 ubi

pro *contrariis* secundum H *contrarii*, IV 27, 37 pro *aliis*: *alii*, II 4, 7 pro *utris que*: *utri que*, IV 1, 2 pro *domesticis*: *domestico*, II 30, 48 pro *multos*: *multo*, IV 26, 36 pro *uenisses*: *uenisse*, I 7, 24 pro *uirtutes*: *uirtute*, 44, 56 pro *argumentationes*: *argumentationē*.

Quos locos ideo accuratius enumeraui quia de scriptura eorum fere omnium editores dubitarunt et quia ex huius ipsius mendi cognitione certissimum de multis locis enascitur iudicium. Nam ubicumque pro U littera S cum restitueris sententia sana euaserit, ibi recte te emendasse scito nec eo minus recte iudicaueris quod iam saeculo IX librarios eodem modo emendasse ex codd. correctorum ueluti C scripturis passim apparet. Veluti IV 25, 34 solus H habet *suaui* pro *suasi*, II 30, 49 idem solus *uituperare* pro *stuprare*, I 12, 21 **M** habuit testibus HPB: *quid ut minuerit*, quod iam in C recte emendatum est qui exhibet *quid sit minuere*. Eodem modo *ut* ex s littera perperam intellecta natum est IV 53, 66 ubi pro *inanimas transferatur* **M** habuit *inanima ut transferatur*, eodem modo *aut* II 25, 39 ubi pro *potestas* in **M** fuit *potest aut*. Ita multis locis turbas s littera dedit male a librario intellecta: duo tantum exempla postremo addam. II 22, 34 pro *quoduis* in **M** fuit *quod* IV 34, 45 pro *ea sumitur*: *eamitur*. Quae menda quomodo nata sint iam cuiuis facile erit ad intellegendum: quam difficile uero sit ad diiudicandum cum IV 20, 28 **M** praebeat *inuidiose*, recentiorum codd. nonnulli *insidiose*, id tunc demum apparebit cum tota codicum ratio erit pertractata. Atque si quaeremus qualis fere fuerit forma S litterae in archetypo codicis **M** quae tam facile cum U potuerit confundi, haud facile certa huius rei explicatio inuenietur nisi quod iam supra statuimus in scriptura capitali uel unciali tale uitium nasci non potuisse. Multo facilius in scriptura cursiua aut in semiunciali, ubi s litterae ramus uterque pari fere magnitudine exstat diductus in Y Pythagoricae similitudinem: conf. Wattenbachii Anleitung[1] p. 59. Sed hanc rem peritioribus relinquo ad diiudicandum hoc unum addens nusquam inueniri S litteram positam pro U, sed tantummodo U pro S. Contra librarius cod. **M** permirum hoc commisit uitium, ut saepissime pro A

littera R, pro R litteram A poneret. Quae res cum non magis rei diplomaticae studiosos delectet quam emendationi libri opituletur pluribus erit tractanda. Itaque II 22, 34 pro *Peliae* in **M** fuit testibus HP *pelire*, pro *saeuo*: *sreuo*, 26, 42 pro *aemulus* testibus HPBC *remulus*, IV 15, 22 pro *reliquiae maneant*: *reliqui re maneant*, 40, 52 pro *te auarum*: *teruarum*, III 12, 22 pro *leditauditorem*: *ledicreditorem*, 14, 25 pro *uocem quoque augere*: *uocem quoque rugere*, 15, 27 pro *aspectu*: *respectu*, II 3, 4 pro *aliqua re*: *reliqua re*. Eadem litterarum commutatione factum est ut saepenumero pro coniunctiui praesentis tertia singularis coniugationis secundae codicis **M** librarius aut infinitiuum aut imperfectum subponeret ueluti II 16, 24 pro *confiteatur* cod. **M** habuit *confiteretur*, 27, 43 pro *contineat*: *continere*, III 16, 28 pro *placeat*: *placere*, 16, 29 pro *retineat et*: *retineret*, IV 3, 6 pro *doceant*: *docere*. Contra 4, 7 pro *erres* **M** habuit *ca res*, 4, 6 pro *rudis*: *audis*, 31, 42 pro *rudere*: *audire*, 9, 13 pro *freti*: *facti*, 43, 56 pro *rationibus*: *actionibus*. Ne in hac quidem re minus bona et certa erit emendatio si iam in codicibus saec. IX inuenitur quod eis quos attuli locis factum est nonnumquam. Sed quonam scripturae genere factum sit ut a et r litterae inter se confundantur a librario, cum quaestio nobis oblata sit, nemo opinor non meminerit scripturae papyrorum Herculanensium et apocharum Pompeianarum et Dacicarum cursiuae, in qua litterae a et r ita similes sunt altera alteri ut aegre discerni possint: uide Zangemeisteri et Wattenbachii exempla codd. Latinorum tab. 2 Presuhnii Pompeios I tab. 7. 8 CIL III 2 p. 921 seqq. Quodsi demonstrare possem confusionem s et u litterae facillime intellegi in scriptura cursiua, nihil de hac quam modo dixi scriptura archetypi codicis **M** dubitarem. Sed hanc quoque rem eis relinquo inueniendam qui magis in hoc genere scripturae uersati sunt neque recusabo ego quidem si quis IV 32, 43 ubi pro *mars istuc te* **M** habuit *mauisstucte* non unius hominis et saeculi sed complurium hominum et saeculorum manus et uitia agnoscenda esse censebit. In quo tamen et illud apertum esse iudico quod supra de s et u litterae commutatione demonstraui et *r* litteram ideo excidisse iudicabitur quod *a* antecedenti fuit

simillima. Attamen in aliorum scriptorum libris illa a et r litterae confusio perraro inuenitur. Apud GHeraeum quaest. critic. et palaeogr. de uetustissimis codd. Liuianis Berol. 1885 p. 92 seqq. nullum inuenio exemplum: in Lucretii cod. archetypo scriptum erat I 919 pro *tremulo*: *taemulo*, VI 716 pro *etesiae*: *etesire*. Quod in tot milibus uersuum cum tam raro acciderit, cum illa quae in **M** tam saepe inuenitur confusione comparari nequit. Magni uero pretii ea quae modo obseruaui ad emendationem libri fuisse ex eis quos laudaui locis facile cognoscitur. Quibus addi possunt alii permulti: ueluti II 23, 36 *Nempe ergo id factum forte aut fortuna obtigit?* ubi pro *factum* quod restituit Buechelerus **M** habuit *fructa*, 21, 34 ubi pro *falsa*: *frausa*, IV 24, 34 ubi pro *circumsederer dimicarem* **M** habuit *circumsederea dimicarem*.

Praeterea librarium codicis **M** passim p et r litteras inter se commutasse his exemplis cognoscitur: II 27, 44 pro *a certo homine* in **M** fuit *accepto homine*, 31, 50 pro *relicum*: *pelicum*, III 12, 21 pro *remittere*: *permittere*, IV 39, 51 pro *ante pedes*: *ante heredes*, 37, 49 pro *astutiore ratione*: *astuti operatione*, 48, 61 pro *rem*: *spem*. Neque alia ratione explicandum est quod II 23, 36 pro *nempe ergo* **M** habuit *nempe re ergo*, 30, 49 pro *quaeque rem*: *quaeque rerem*, sicuti H habet III 24, 40 pro *tantopere*: *tantope*, IV 13, 19 pro *repetimus*: *petimus*, 14, 20 pro *saepe*: *saepere*. R et P litterae commutationem in pluribus generibus scripturarum usu uenire satis notum est. Quod idem cadit in commutationem C et G litterarum quae offertur his locis: I 9, 14 pro *Megaram* in **M** fuit *mecarum*, 12, 22 pro *Graeci*: *creti*, III 16, 28 pro *cogitatione*: *concitatione*, IV 15, 22 pro *conficit*: *configit*, 38, 50 pro *fugitur*: *fulcitur*, 55, 68 pro *calce*: *galle*: in H solo nonnumquam restat scriptum *negasti*, *negatus* pro *necasti*, *necatus*, II 27, 44 IV 21, 33. Etiam e et f litterae nonnumquam inter se commutatae sunt ueluti IV 16, 23 pro *eorum* **M** habuit *forum*, pro *Ea*: *Facta*. Quare recte ex codd. scriptura reliquorum legetur IV 26, 36 *ad electius uerbum* ubi **M** habuit *adfectis uerbum*, 44, 57 *incolumes euaserunt* ubi **M** quem s cum u confundere supra uidimus scripsit *incolumes fuerunt*, ex Lambini emendatione IV 39, 51 *leo emissus* ubi **M** habuit *leo foenissus*. Denique pro

n littera in **M** nonnumquam h legebatur ueluti II 25, 40 pro *nunc*: *hunc*, 10, 40 pro *noluisse* habuit *habuisse*, IV 22, 31 pro *nominis*: *hominis*, II 1, 1 pro *in*: *h*, IV 30, 41 pro *ignominia*: *homini a*, II 22, 34 pro *animo*: *homo*. Contra II 16, 24 pro *hae tres* habuit *nostras*. In H ista forma n litterae seruata est fol. 55r. ubi in uocabulo *enim* n littera huic formae h simillima est.

De aliis litterarum confusionibus ueluti de d et p confusione in uocabulo *pictura* facta nolo pluribus disserere. De r littera s simillima optime apographa H et P testantur, in quibus saepenumero etiamnunc dubites utrum legas *iubemus grauaremus peruagemus seducerentur secedendum docesi imprudentes* an *iubemur grauaremur* e. q. s. Itaque haec quoque res ad rem criticam exercendam magni momenti ueluti III 4, 7 pro *aperiendae sit* quod in **M** fuit, nos cum C restituemus *aperienda erit*.

De compendiis scripturae. Difficillimus autem archetypus codicis **M** ideo potissimum fuit ad legendum quod habuit compendia scripturae audacissima in apographis nonnumquam seruata, hic recte, illic falso explicata. Veluti *negotium* scriptum fuit in **M** IV 55, 68: nguñ (conf. GL IV p. 279, 24), *nobis* 56, 69: nb (conf. l. s. p. 310, 2, 16), *aut a rebus* 55, 68: a a rƀ (conf. l. s. p. 280, 2, 9), *modo* secundum H II 23, 35 et 21, 34 bis: *mđ* unde intellegimus quare II 11, 16 pro *quo modo* **M** habuerit *quando*. Similiter IV 49, 62 pro *quadam*, II 28, 45 pro *habendus*, II 13, 20 pro *annis* habuit secundum H: quad, habenđ, añ: IV 44, 56 secundum PΠ *exornatio uerƀ*: quod nos non explicabimus sicuti reliqui codd. et editt. scribentes *uerbis* aut *uerbi*, sed *uerborum*. Postremo compendium illud *iud* falso intellegentes librari posuerunt nonnumquam aut *iudicium* aut *uidelicet*.

Iam apparet ex difficilioribus eiusmodi notis, cum non recte soluerentur multas natas esse corruptelas. Veluti notam *grã* i. e. *graecis* IV 32, 43 recte soluerunt librarii saec IX: at 44, 57 ubi **M** habuit *pr̃e nomen*, H habet *premonē*, i. e. *patriae nomen*, nihil profecerunt in emendatione. Vocabula *ante* et *praeter* scripta fuere *añ* et *pr̄*: unde factum est ut **M** pro *ante* et *praeter* scriberet *antea* et *praeterea*, ueluti I 16, 26

II 14, 21 (H) IV 1, 1 II 21, 33 I 6, 10, ubi pro *praeterea expectatione* scribatur oportet sicuti similiter iam Schuetzius proposuit *praeterexpectatione* i. e. *παρὰ προσδοκίαν*. Deinde quam facile accidere potuerit ut librarius pr̃ et mr̃ i. e. *mater* (GL IV p. 310, 33) confuderit manifestum est: quod factum est II 22, 34 ubi pro *materies ea parit* in **M** fuit *praeterisseapariter*. Pro *aut*: *a* scriptum fuisse supra uidimus, sed archetypus cum habuerit *abiguum* (IV 53, 67 H: *abiguum*, I 6, 10 H: *abicia*) *abulans, abitu, aphion* pro *ambiguum* e. q. s.: *uīce uīcit perfrigens līgua setentiis potes lōgus chrespotem* pro *uince* e. q. s., eadem nota poterat significare *an* particulam. Quare nos III 12, 22 cum **M** habuerit *an exsuscitat* restituemus *aut exsuscitat*: II 4, 7 pro *an confidendum* H habet *aut confidendum* et sic passim. Nec minores turbas dedit *aτ* et *ac* uocabulorum cum *an aut* confusio: *at* uocabulum omnino in H raro traditum est integrum. III 4, 8 pro *at si* in **M** erat *aut si*, IV 44, 57 pro *at non*: *an non*. Ex eis quae modo de *an* uocabuli scriptura disserui facile explicatur quare II 25, 39 pro *chrespotem* **M** posuerit *thesprotum*. Nec minores difficultates librario praebuerunt uocabula *non* et *num* littera *ñ* significata. Nam II 2, 3 in **M** fuit pro *num quod*: *ñ quod*, 4, 6 pro *ñ aeque* i. e. *non aeque*: *neque*, IV 34, 46 pro *ñιτorem* i. e. *numitorem*: *nitorem*. Particulae *autem* nota erat *au*: unde similiter librarius cod. **M** III 8, 15 pro *autem res* scripsit *aures*, contra H I 11, 18 pro *alii*: *au*. Nulla uero res maiori librario discrimini fuit, quam quod pronomina et aduerbia qualia sunt *qui quis quidem* similia littera q̃ q; similibus in archetypo inuenit exarata. Pro *quis* illud *q̃* nonnumquam etiamnunc in apographis exstat: conf. I 15, 25 (H) III 19, 32 (H): pro *quae* P habet *q̃*: II 4, 7; 2, 3 H: *q̃*;. Plurimis autem locis *quem quam qui quae quod quis quid quo quos que* inter se confusa sunt: conf. IV 22, 30. 55, 68. 3, 6. 38, 50. 6, 9. 8, 12 II 20, 32. 24, 37. 28, 45 III 2, 2. 15, 27. 7, 13 et IV 36, 48 ubi **M** habuit *aliquod* pro *aliquo*. Itaque collato III 14, 25 ubi pro *leniter* in **M** erat *lenis iter* iam intellegemus quare H IV 20, 28 scripserit pro *nequiter*: *nequid inter*, 26, 36 pro *aliquis*: *alia quae*. *Causa* et *certus* uocabula haud raro notis *c̃* indicabantur (GL IV p. 289, 2, 1.

290, 1, 49. 50) unde factum est ut illud haud raro perierit in **M**, ut III 2, 2 solus H pro *extranea causa* seruauerit *extraneaт*, II 25, 39 **M** praebuerit pro *id pro certo*: *id proco* secundum P, *id praeco* secundum H. Praeterea memorandum est *cum* uel *con* praepositionem cum in archetypo fuerit *c̃* quam notam multis locis apographa seruarunt falso intellectam passim fuisse causam corruptelarum. Veluti III 3, 4 pro *caste* H posuit *cum aste*, II 24, 38 archetypus iam lacunosus erat cum praeberet: *si probus esт locaui*, quod **M** mutauit in *si probus es collocaui*, III 6, 12 pro *ut c̃gnoscant* posuit *ut ignoscant* sicuti *c̃tulerunt* et *ĩtulerunt* traditur IV 19, 27. Porro uerba *facere* et *dicere* compendiis saepenumero in archetypo fuisse scripta cum inde apparet quod etiamnunc in apographis nota *dr̃* = *dicitur* inuenitur ueluti in H IV 47, 60 tum inde quod nonnumquam illa uocabula notis falso solutis aut uerbis male intellectis per errorem posita inueniuntur hoc modo: IV 52, 65 et 54, 68 pro *deinde* H posuit *dicit*, II 30, 47 **M** *dc* posuerat notam eiusdem uocabuli male interpretatus, IV 12, 17 H pro *dici* habet *di*, 22, 30 pro *demus*: *dicemus*, II 26, 40 **M** habuit *quod id* pro *qui dicit*, IV 29, 40 pro *intendimus* habet H *intendimus dicimus*. Deinde IV 16, 23 pro EA **M** cum legeret FA posuit *facta*, II 16, 24 IV 29, 41 pro *fere*: *facere*, 30, 48 pro *fore* C habet *fere*, HPΠB *facere* ex eodem errore natum. *Species* uocabulum compendiose in archetypo scriptum fuisse (conf. GL IV p. 299, 16) eo intellegitur, quod IV 10, 15 pro *specie* **M** habuit *spe* praesertim cum 47, 60 codd. recentiores b et l pro *specie* habeant *spẽ*. Idem librarius cod. **M** cum in archetypo fuerit *contionem desiderat redintegrat partim separatim quonam* IV 55, 68 III 22, 36 IV 28, 38 III 2, 2. 8, 15 IV 29, 40 per errorem in suo libro posuit *continet desideratio redintegratio partione separatione quaeronam* neque in uersu Plauti II 23, 35 ubi in archetypo fuit *c̃ñaтa* hanc uocem potuit recte expedire. Numerorum quoque signa nonnumquam decepisse librarios inde patet quod H II 1, 1 pro *tertium* posuit *uт* **M** IV 52, 65 pro *tres*: *in*: librarium cod. **M** solitum esse signa numerorum uerbis circumscribere hinc cognoscas, quod IV 34, 45 pro *maeror et* scripsit *unaefor se* cum *m* litterae hastam primam numeri notam esse suspi-

caretur. In nonnullis erroribus denique mira quaedam perspicitur constantia et similitudo. Veluti pro *facere* ter positum est *facile* III 22, 37 24, 39. IV 47, 60, pro *omnem orationem* III 2, 3: *memorationem* sicuti IV 32, 43 pro *et oratorum*: *memoratorum*: deinde *alius* et *ille* solent inter se confundi ut II 4, 6 pro *alias rationes commodiores* (conf. IV 41, 53) **M** habuit *illas* e. q. s., IV 45, 58 pro *aliquod*: *illi quod* sicuti in recentioribus codd. 20, 27 pro *Alii* inuenitur *Illi*, 34, 45 pro *Aliquando*: *illi quando*. Sed de compendiosa scriptura hactenus. Ego dignissima quaeque memoratu exscripsi cum eos potissimum locos adferrem de quibus editores dubitarunt: quorum numerum ex apparatu critico facile quiuis poterit augere. Ex eis uero quae modo docui satis apparet quam difficile sit ad diiudicandum utrum scribendum sit *quis* an *qui*, *conprehensus* an *comprehensus* similia. Apparatum denique criticum si quis perlustrabit accurate, multis locis inueniet nata esse menda codicis **M** ex litterarum transpositionibus ueluti pro *recte acutior monendi nobis didicerunt incidunt* habuit *certe auctior nomendi bonis deciderunt indicant*, IV 47, 60 bis pro *expectatus*: *exceptatus*: nam formam *exspectatus* **M** non nouit.

De geminatione semiuocalium omissa.

Sed alia quaedam res quae in apographis cod. **M** obseruatur summopere nos faciat oportet attentos. Cod. H multis locis solum ueram scripturam seruasse cum apertum sit — ueluti is solus praeter ceteros seruauit scripturam *cottidie* cum illi praebeant *cotidie* omnes — nos haud sine causa factum esse censebimus quod solus H quater continuo praebet scriptum *dificilis* f littera non geminata III 22, 37. 24, 39 bis IV 4, 6. Cuiusmodi uitia cum haud sim nescius passim exstare in multis inscriptionibus et codd. manu scriptis eo tamen adducor ut accuratius pertractem quod in libris ad Her. non fere inueniuntur nisi in semiuocalibus commissa, non in mutis: deinde quod in archetypo multo saepius quam in apographis eiusmodi consonas simpliciter positas fuisse ubi debebant geminari inde manifestum est, quod in locis plurimis uitiose traditis sed recte emendatis ipsae corruptelae produnt geminationem in archetypo non fuisse adhibitam. Atque mutarum geminatio in codd. H et C inuenitur neglecta

tantummodo in uerbis cum *ad* praepositione compositis qualia sunt *apellatur aparatis aparatio acidunt acommodata acurata* (I 7, 11 IV 20, 28 I 7, 11. 8, 12 III 22, 36 IV 16, 24 in II 25, 35 in C). Unde id certe efficitur quod probat lectio cod. H IV 3, 4 pro *aiunt*: *adiunt* exhibentis *ad* praepositionem compendio in archetypo scriptam fuisse sicuti etiam hodie IV 31, 42 H habet *quemammodum* et III 15, 27 pro *admonere*: *ãmonere* neque alia de causa *ad* praepositio multis locis periisse putanda est. Quod II 17, 25 H habet *suplicauit* semel cum p littera non geminata, eam scripturam cum in cod. Bambergensi b recentiorum optimo semper fere legatur *suplex suplicium suplicare* nos medii aeui inscitiae potius attribuemus quam ueterum doctrinae: quod idem cadit in scripturam cod. H *oportunitates* I 9, 16 alias. At IV 39, 51 **M** habuit testibus HPΠB *laborem fere*, II 24, 37 teste H *adferit*, IV 44, 57 *nole*, 47, 60 *palam*, ibidem testibus HPB *procuras*, IV 17, 24 *erant*, III 14, 25 *cachinationis* secundum H, IV 49, 62 *demonstrasemus*, 8, 12 *uiolasent* pro *uolnerasent*. Plurima uero exstant exempla ubi ex corruptelis certiores fiamus de archetypi orthographia. Veluti IV 3, 4 secundum HPB in **M** erat *curare* pro *curere* opinor, 37, 49 pro *ab errato* P habet *haberarato* H: *haberat ratio*: bis autem *facilime* eodem modo inuenitur corruptum cum IV 9, 13 PB habeant *facile me*, H *facilem*, C *facile*, 24, 34 PBΠ: *facile me*; H et C suo Marte restituerunt hoc loco *facillime*: qualem mutationem saepissime a librariis factam esse hoc exemplo facile intellegitur. Itaque casu factum esse nos non censebimus quod III 8, 15 II 18, 27 H scripsit *difficilima, difficilimum*, 1, 1 C habet *difficilima* et *difficilimum*. Nec minus dignum erit obseruatione quod ex binorum locorum corruptelis efficitur archetypum praebuisse *ilius narem* pro *illius narrem*. Nam III 6, 11 **M** habuit pro *uereri nos ut illius facta*: *ueteri nos utilius facta*, IV 41, 53 pro *de occisione illius*: *de occisione filius*, 3, 4 pro *narret aliis*: *maret aliis* (HP), 51, 64 pro *quid — narrem*: *quid — parem* neque alia de causa II 30, 47 pro *principio secundum narrationem*: *principios cũ rationẽ* — ubi *secundum* compendio scriptum fuit — legebatur in archetypo, III 4, 7 *narratio incidet*: mutatum fuit in *natio incidet*. Constat qui-

dem secundum M. Varronis praeceptum recte scribi *narare naratio*, qua de re conf. AWilmannsium de Varronis libris grammat. p. 179. Quam orthographiam quo minus nos illis locis agnoscamus eis impedimur quae antea de scripturis similibus exposuimus, quae omnes in semiuocalibus obseruabantur. Quae res facilem nobis ni fallor omnium illorum uitiorum explicationem commendat peropportune. Nam constat in libris ueteribus semiuocales non fuisse geminatas sed sicilico super litteram imposito geminationem indicatam: conf. FStolzius Lat. Grammat.[2] p. 254 EHuebnerus Herm. IV p. 413 seqq. Vel. Long. GL VII p. 80 Quintil. I 7, 14 Fest. p. 355 M. Isid. orig. I 26, 29 Mar. Victor. GL VI p. 8 qui haec tradit: 'Consonantes litteras non geminabant ut in his Annius Lucullus Marcellus et ceteris his similibus sed supra litteram quam geminari oportebat sicilicum imponebant, cuius figura haec est ^ idque erat signum geminandi sicut apparet in multis adhuc ueteribus ita scriptis libris.' Notandum uero est grammaticos pro exemplis adferre talia tantummodo uerba in quibus semiuocales sicilico ornatae erant, non mutae — nam CIL XII 414 lectio incertissima est — ueluti quae Isidorus affert *sel'a ser'a as'eres* quaeque Victorinus et apud Longum Nisus *comesc consuesc* et quae ab Huebnero aliis ex inscriptionibus proferuntur exempla *Mum'iaes* CIL VI 21736 *Sabelio* V 1361 *os'a* X 3743. Forma sicilici in lapidibus spiritus lenis notae qualis hoc tempore pingi solet simillima est, in libris manuscriptis ueteribus illis quorum in numero si recte supra iudicauimus archetypus librorum ad Her. fuit qualis fuerit ex loco Victorini s. s. licet cognoscere. Neque uero desunt indicia quibus ad notam aliquam semiuocalibus geminandis in archetypo supra impositam deducimur. Veluti cum **M** II 20, 33 pro *differt* praebuerit *idfertur*, quid magis probabile quam hanc scripturam natam esse ex *difert* uocabulo male intellecto? Deinde infinitiuo *adferi* II 24, 37 in fine supra uersum imposita est in H s littera nata ex sicilico ut uidetur male intellecto, 25, 39 pro *pallet* et H et B habent *pa /et* una littera erasa, P*II* *parit*, in H m1 r rasurae superimposita est, in B m2 l et in rasura collocata et super rasuram: II 14, 21 quod codd. pro *refellatur* praebent *referatur* eodem modo ego quidem explicarim. Tum etiamsi

sciam talia menda aliter explicari solere tamen eis quae modo exposui commotus IV 25, 35 quod **M** habuit pro *perpessione*: *perpensione*, 49, 62 recentiores pro *depressus*: *deprehensus* ex scripturis *perpes̄ione depres̄us* natum esse arbitrari malo: eodem modo explicauerim quod II 30, 48 **M** habuit pro *aut erratum*: *autteramtum* teste H. Sed haec de sicilico suspicio incerta: illud certum est in archetypo semiuocalium geminationem saepe fuisse neglectam.

Cod. **M** apographorum aeuo Karolingio factorum exstabat magnus numerus etiamsi si quis sicuti Lupus ille cognoscere cupiebat Tullii libros ad Her. librorum mutilorum et mendosorum opera saec. IX uel X, mox inueniebat alium alio nequiorem et certe abiciebat librum corruptum plurimis locis qui omnino intellegi nequiret. Ad eandem familiam codd. pertinent codd. Gryphiani B et C quos Michael Brutus in edit. Lugdunensi a. 1570 adhibuit cuius animaduersiones inueniuntur repetitae in Burmanniana a. 1761 p. 485 seqq. Quos H codici affines quidem fuisse inde cognoscitur, quod B uetustissimus I 6, 10 pro *ambiguo* habuit *abicia* sicut ille, C *abiecta* neque tamen illo meliores quod in uersu Plauti II 23, 35 habebant *commissa*, aliis locis ueluti 22, 34 nequissimas interpolationes. Alios eiusdem classis codd. enumerat Kayserus edit. p. XXV. Antiquissimus omnium est cod. H in Langobardia scriptus ut uidetur quae patria librorum de rhetoricis Tullianorum fuisse putanda est. Veri simillimum enim est Romanianum illum quem canit subscriptio cum sub finem saec. IV Cassiaci prope Mediolanum eum uersatum fuisse ex Augustini libris contra Academicos cognoscamus, librum cum tota bybliotheca sua ex Africa in Galliam cisalpinam transtulisse: conf. supra p. 4. Nam in illis terris dum docti aeui Karolingii frustra in exemplaribus mendosis et laceris desudarent emendandis duo ni fallor exemplaria in scriniis monasteriorum latebant integra quorum alterum in ecclesiae arca illa in urbe Laude prope Mediolanum sita iacebat sepultum unde illud anno 1422 Gerardus Landrianius episcopus luci reddidit et litteris: conf. GVoigtius die Wiederbelebung des class. Alterthums I² p. 247. Is cod. continebat M. Tullii Ciceronis opera rhetorica V hoc ordine scripta:

L · codice Laudensi.

rhetoricorum i. e. libros de inu. — ad Herennium rhetorica — de oratore — oratorem ad Brutum — Brutum de oratoribus claris in fine mutilum, quia duae chartae abscissae erant: conf. Heerdegenus Fleckeiseni annal. 131 p. 106. Qui codex si medii aeui tempore doctis innotuisset non dubitandum est quin non solum libros ad Her. sed etiam de oratore oratorem suppleuerint Brutum descripserint: si nobis esset superstes, forsitan solus praeter ceteros dignus esset qui editionis fieret fundamentum. Sed neque apographon duorum illorum scriptorum scilicet quae 'habebantur' saec. XV factum esse traditur neque Laudensis in edit. aliqua librorum de inu. uel ad Her. adhibitus est. Itaque aliud quoddam exemplar quod continebat scriptorum eorum quae in cod. Laudensi erant partem priorem eodem ordine quo Laudensis inuentum esse saec. fere XII statuemus. Nam codd. inde a saec. XII recentiores omnes fere non sicuti illi uetustiores solam rhetoricam ad Her. sed duo illa opera rhetorica eodem ordine quo Laudensis continent digesta: quod non uidetur casu factum esse. Bybliopola igitur quidam saec. IV uel V editionem quinque scriptorum rhetoricorum Ciceronis confecerat cuius editionis totius apographon ille fuit Laudensis, dimidiatae codex ille ignotus unde saec. XII lacunae librorum ad Her. sunt suppletae initium additum uitia multa correcta. Neque ego quidem recusabo quominus quis censeat iam Hieronymo qui l. p. 8 s. quattuor scripta priora continuo enumeret talem editionem praesto fuisse: Priscianum eam habuisse in manibus ideo ueri simillimum quod tria opera quae agmen ducunt saepissime usurpauit in exemplis adferendis, oratorem semel, nusquam Brutum extremo loco positum praetereaque monendum Priscianum quod supra p. 9 exposuimus unum locum eodem modo legisse in suo exemplari corruptum quo hodie legitur in codd. expletis. De quibus codd. iam pluribus erit agendum.

Codex igitur ille unde recentiorum codd., qui integrum opus continent prooemio adiecto lacunisque expletis, numerus ingens deductus est, mutilus fuit, H codicis simillimus, ex alio illo cod. integro passim correctus et suppletus eodem modo quo librorum de oratore codd. mutili saec. XV ineunte suppleti sunt ex Laudensi integro qua de re conf. FEllendtius De codicibus expletis E

edit. libr. de orat. p. IX, quo lacunae librorum de inu. ex eodem cod. expletae sunt opinor unde rhetorica ad Her.: conf. AWeidnerus edit. libr. de inu. p. XXV: quo etiamnunc lectiones et supplementa ex codd. expletis translata in codd. nonnullis mutilis ueluti PB aliis manu recentiore adscripta leguntur. Veluti in cod. Bernensi 469 de quo infra agetur p. 36 librarius quae in archetypo mutilo inuenit corrupta, eis spatium in sua membrana reliquit uacuum, quod postea ex expleto quodam cod. litteris pusillis suppleuit ut IV 55, 68 ubi in **M** est *euocat* haec fere exstet scriptura: *redundans* *euolat* *etemplo.* Et sic passim. Codd. istiusmodi quos **E** littera notabo quos expletos si nominabimus rectius nominabimus quam si integros in unaquaque fere bybliotheca inueniuntur: saec. XI omnes sunt recentiores neque tamen quis omnium antiquissimus ex scripturae genere aut ex lectionis integritate potest decerni. Nam iam supra in cod. C descriptione p. 18 uidimus ne Karolingio quidem aeuo librarios uno archetypo fuisse contentos: multo magis aeuo posteriore collatis compluribus exemplaribus mutilis expletis recentibus uetustis lectiones huc illuc transferebantur correcturae emendationes bonae malae acutae stupidae adnotabantur. Quorum codd. cum multae centuriae in bybliothecis Italiae Galliae Britanniae Germaniae conseruentur neque unius hominis sit hos uel enumerare omnes nedum cognitos habere neque iam indagari possit quae inter eos ratio intercedat ego cum permultos eorum nossem ex editorum adnotationibus alios ipse contulissem ueluti codd. Leidenses Musei Britannici Italicorum multos, alios partim totos partim singula capita, quamquam non negauerim inter tot Laurentianos Parisinos reliquos posse inueniri quondam melioris notae librum tamen quia operis absolutionem amplius differre nolui in tribus classis **E** quae fere tertia Kayseri dici potest codicibus acquiescendum esse putaui. Ex eis uero quae supra exposui apparet nos non agnoscere praeter hanc classem codices mixtae originis cum Kaysero sed eos esse omnes quot sunt expletorum mixtae originis nostra sententia dicendos. Sunt autem hi:

Codex Bambergensis b.

1) Codex Bambergensis 423 M V 8 forma oblongus

scriptus saec. XII uel XIII litteris paruulis satis diligenter, descriptus a Simone l. s. p. 17. Constat foliis 44, uersus habet una quaque pagina 44. Continet libros de inu. inde ab I 33, 55 fol. 1 r. — 19 r., ad Her. fol. 19 u. — 44 r.: fol. 44 u. nihil habet litterarum nisi uerba: *hic liber bambergensi armario cathedralis ecclesiae est restituendus.* Adnotationes locorum in scriptura continua omissorum in margine exteriore passim adscriptae nonnumquam cultro glutinatoris circumcisae et mutilatae sunt. Codicem in Orellii usum contulit HJJaeckius: conf. edit. Turic. a. 1845 p. V. Kaysero qui eum iterum contulit est b sicuti nobis: Orellio B. Codicem denuo contulimus quia Kayseri collationi diffidebamus. Nam eius adnotationibus inducti cod. eiusdem aetatis Bambergensem 423 M V 9 de quo conf. HJJaeckius Vollständige Beschreibung der Bibliothek zu Bamberg I p. 55 qui continet libros de inu. et ad Her. librum IV inde a 22, 31 contulimus exemplar ex eodem archetypo unde b descriptus est esse deductum rati. Sed postquam ipsi b contulimus esse illum codicis b apographon intelleximus nec loci singulares IV 49, 62 ubi recte habet *cottidie:* 39, 51 ubi pro *referre* quod habet **M**, b habet *efferre,* ille *exferre,* nos induxerunt ut adhibeatur ad recensionem faciendam: nam in reliquis nil noui aut a b quod diuersum sit nobis potuit suppeditare.

2) Codex Leidensis Gronouianus 22 forma fere quadratus scriptus saec. XII litteris pulchris et magnis sat diligenter, descriptus a JGeelio catalog. libr. manuscr. biblioth. Lugduno-Batauae p. 127. Constat foliis 112, uersus habet una quaque pagina 26. Continet fol. 1 r. — 50 u. libros de inu., fol. 50 u. — 58 u. Alexandri epistolam ad Aristotelem de regionibus Indiae, fol. 59 r. — 112 u. libros ad Her. Librarius quae expedire non potuit aut ubi lectiones plures inuenit in archetypo ea spatio uacuo relicto signauit quod postea corrector quidam uerbis ex archetypo petitis expleuit. Codicem ipsi contulimus: nobis est l, plerumque cum b consentit ita ut codicis **E** lectiones his duobus potissimum adiuuantibus restituantur. Codex Leidensis l.

3) Codex Darmstadiensis 2283 ex collectione liberi baronis de Huebschii forma oblongus scriptus saec. XII uel Codex Darmstadiensis d.

XIII litteris paruis diligenter ab homine docto qui plurimis locis suas in uerba scriptoris intulit coniecturas. Constat foliis 72, uersus habet in una quaque pagina 38. Fol. 1r. uacuum est, fol. 1u. — 38r. continet libros de inu., fol. 38r. — 72u. libros ad Her. usque ad IV 53, 66 *in plures rei* ubi subscribitur FINIS. Notatur nobis littera d: contulimus ipsi.

Codicis reliqui familiae E.

His tribus codd. quibus solis nititur recensio lib. I cap. 1—5 recuperabimus cod. illum E unde exemplaria tria classis prioris inter se satis diuersa quae codicum bld archetypi fuere expleta sunt. Exemplar illud mutilum unde b deductus est simillimum H fuisse passim cernitur: conf. modo quae IV 50, 63—51, 64, adnotantur: codicis d archetypus ualde interpolatus erat et C similior. Quos praeter hos et ex editionibus et aliunde nouimus huius classis codices innumeros, eos his esse deteriores multis locis apparet. Saliuam mouit cod. Musei Britannici 11916 Langobardicis litteris saec. XII scriptus sicuti Laurentianus LI 10 cuius partem cognoscere licet ex Aemilii Chatelainii Paléographie des classiques latins tab. XVII. Illum contuli ipse Londinii sicuti Harleianum 2510 quorum neutrum dignum inueni qui illis praeferatur: hunc reliquis praestantiorem non esse ex specimine ab Aemilio Chatelainio proposito cognouimus; Sangallensem 852 cuius exemplum apud Chatelainium l. s. nobis praesto est iam ab Orellio scimus esse neglectum. Praeterea nos nostro iure credimus neglexisse codices huius familiae permultos a singulis deinceps editoribus a Grutero Gronouio Ernestio aliis prolatos et adhibitos, siquidem absurdum erat propter unam alteramue quae bona aut erat aut uidebatur esse scripturam ingenti ineptissimarum lectionum farragine onerare et impedire editionem.

De emendationis studiis medii aeui.

Sed in aestimandis huius classis E libris nihil magis cauendum est quam ne ea re decipiamur quod in aliquo saec. XIII exemplari Oudendorpiorum Halmiorum Kayserorum lectionem emendatam inuenimus non ex archetypo omnium optimo descriptam sed ingenii acumine praeoccupatam. Pauca tantum adferam exempla. Cod. Bernensem 469 quem adhibuit GFriedrichius in edit. Lips. a. 1884, notauit littera β, cum multis locis ea praebere uiderem quae

editores impressorum librorum restituerunt sedulo contuli sed omnes eiusmodi lectiones ex docti alicuius coniectura inueni inlatas qui uel III 14, 24 pro *at aliud otiose* ponere maluerit *ast aliud otiose*, qui 21, 34 pro *iam domi ultionem* iam coniecerit ingeniosissime *iam domu itionem* quod primus restituit Petrus Victorius. In cod. P IV 21, 29 m1 fuit lectio cod. **M**: *diligere oportet quem uelis diligere*: corrector saec. fere XII postrema tria uerba falso sed acute et docte mutauit in *a quo uelis diligier*. Itaque quae PLangenus e cod. Monasteriensi 713 de quo conf. IStaenderus Chirographorum in bibl. Monaster. catalogus p. 156 protulit emendate scripta Philolog. XXXVI p. 445 seqq. quaeque ex cod. Turicensi de quo uide Kayserum edit. p. XXVIII 47 emendate scripta proferuntur ueluti IV 52, 65 pro *uerba* solus is habet *uerbar* uereor ne coniecturae sint doctorum medii aeui omnes quarum numerum ex cod. Darmstadiensi de quo supra egimus aliis quiuis facile poterit augere. Singulares quasdam lectiones cum uideam exstare in Oudendorpii schedis e codd. septem Leidensibus enotatas apud Burmannum edit. p. 517 seqq. quas omnes ut solet in suam editionem assumpsit Kayserus ego quoque praecipue adductus eis quae de cod. Leidensi tertio Oudendorpii l³ Kayseri tradebantur illos omnes praeter tres recentissimos cognoscere accuratius cupiebam. Itaque primum contuli cod. Vossianum 1 vo¹ Kayseri. Is cod. est quadratus saec. XII uel XIII foliorum 102 signatus Lat. no 103: continet fol. 1r. — 46r. de inu., fol. 46r. — 52u. Boethii de differentiis topicis librum quartum, fol. 52u. — 102r. rhetoricam ad Herennium. Codex d simillimus est cuius uice inde a IV 53, 66 ubi d deficit fungetur in editione multis locis ueluti IV 6, 9 interpolatus. Quo loco cum habeat *ut Lisippus caput ostenderet. Milonis brachia. Praxiteles pectus. Policlecius uentre uel crura* apparet uerba *uentre uel crura* quae in nonnullis editt. et in archaeologorum libris nonnumquam feruntur, ex falsa distinctione esse nata. In uersu 6 Medeae Ennii II 22, 34 habet . i . (= id est) *petebant illam pellem inauratam arietis* manu prima scriptum inter uerba continuae scripturae: eandem lectionem habent et editiones uetustissimae et cod. Vossianus Latinus 64 vo² Oudendorpii

et Kayseri saec. XIII uel XIV (foliorum 69 qui continet libros de inu. fol. 1—39, fol. 40—69 libros ad Her.) et cod. Leidensis Iusti Lipsii 44 saec. XIII Oudendorpii et Kayserii l[3] (qui fol. 1—43 u. continet libros de inu., 43 u.—80 r. ad Her.) omisso nota illa . i . . Quam notam cum cod. Leidensis bibl. publ. cod. Lat. 195 saec. XII Oudendorpii et Kayseri l[1] (qui continet fol. 1 r.—43 u. ad Her., fol. 44 r.—88 r. libros de inu. duobus codd. in unum a glutinatore coniunctis) l. s. habeat praepositam uulgari lectioni *uecti petebant pellem auratam arietis* apparet eos omnes ex uno archetypo ductos esse ubi duae illae exstabant lectiones altera alteri adscripta. Ego quoniam persuasum est Priscianum GL III p. 424 qui uocem *illam* agnoscit ex illo loco uersus totidem Ennii petisse priusquam hos quattuor codd. Leidenses accurate ipse contulissem (de quibus conf. Catalogus librorum uniuers. Lugduno Batauae Lugd. 1716 p. 384. 388. 333 Geelius l. s. s. p. 127), lectionem illam ex deperdito aliquo optimae notae libro esse petitam arbitratus sum: nunc cognita librorum indole et natura Prisciani librum adhibitum esse statuere malim neque in eis lectionibus quas ex illis codd. in adnotatione critica inuenies raro adscriptas aliud quicquam expectaueris quam hominum medii aeui coniecturas, interdum satis bonas. De quibus uel optima haec est quam permulti receperunt editores neque nos quidem aspernati sumus ut ineptam sed ut non necessariam. Etenim IV 49, 62 in codd. **ME** legitur: *uituperationis, ut in odium adducat, hoc modo* neque aliter Leidensis primus m 1 : m 2 super illa uerba scripsit *causa aut inuidiam aut contemptionem ut in odium* et signis eis locis ubi commata posui collocatis indicauit sese legi uelle *uituperationis causa ut in odium adducat aut inuidiam aut contemptionem. Ut in odium hoc modo.* Contra in cod. Bernensi 469 de quo conf. p. 36 qui manu 1 eadem habet scripta quae reliqui corrector ad *uituperationis* notam posuit ad quam pertinent haec in margine m 2 ex Leidensium opinor archetypo adscripta: *ut aut in odium aut in inuidiam aut in contemptionem adducat.* Quae verba si suo loco reposueris locum elegantissime quidem constitutum esse iudicabis coll. I 5, 8: qua interpolatione tamen opus non erit

si quidem ea quae tradita sunt bene possunt intellegi. Similia in archetypo suo inuenerat adscripta Leidensis tertii librarius qui m.1 haec habet: *uituperationis ut in odium aut inuidiam aut in contemptionem. Ut in odium adducat hoc modo* omisso quod saepe in lacunarum ob homoeoteleuta natarum supplementis factum esse postea uidebimus altero uocabulo *adducat*. Sub finem eiusdem paragraphi **M** habuit *clamat et deicrat et contemnitur sicut* ubi bld recte pro *sicut* habent *sic*. Rectissime librarius archetypi codd. Leidensium cuius lectio est in d et in Leidensi 3 — in Bernensi 469 inter uersus adscripta legitur — inseruit uerba *ut in contemptionem* quae agnoscamus oportet in corruptis illis *et contemnitur* collato I 5, 8 neque quicquam differt quod Leidensis 3 recte quidem omisit *et contemnitur*, addit *adducat* quo opus non est, cum d habeat *et contempnitur. in contemptionem sic.* Nam uiam ac rationem emendationis recte librarius ille perspexit. Haec ideo nos accuratius pertractauimus quo magis cognoscatur homines medii aeui libros suos non semper inuita Minerua curasse emendandos: praeterea loci illi de quibus disputauimus et difficiles et summi esse uisi sunt momenti.

Homo ille quisquis fuit qui saec. fere XII archetypum codd. **E** composuit ad nouam illam librorum ad Her. recensionem conficiendam tribus usus est subsidiis: codice quodam classis **M** codice illo deperdito integro suis coniecturis et emendationibus. Iniquissime de hac codd. recensione iudicauit CHalmius Mus. Rhen. XV p. 536 seqq. quem facile refutarunt LSpengelius l. s. XVI p. 396 seqq. I de Destinonius de codd. Cornificianorum ratione Kil. 1874 alii: ego in singulos annos pluris didici aestimare lectiones illi recensioni proprias. Cum uero homo ille lectiones nouas ueteribus codicis illius mutili superscripserit factum est ut in codd. bld modo lectio emendata modo uetusta illa classis **M** modo utraque seruata sit: deinde facile accidit ut in lacunis explendis locis corruptis emendandis magnae turbae existerent uerborum omissionibus et transiectionibus. Veluti II 24, 37 in editt. recte legitur *sed extenuata ratione expositio confirmatur. Item infirma ratio est* e. q. s. Cod. **M** habuit *sed extenuata ratio est* cum lacuna, quae quomodo nata sit quiuis facile

De auctore recensionis E.

intelleget: quae et ipsa testatur in archetypo uocabulum *ratio* fuisse scriptum. Quod uocabulum tamen bld in quibus lacuna recte expleta est omittunt nulla alia de causa quam quod idem uocabulum in initio et in fine supplementi uersui lacunoso superscripti positum decepit librarium eodem modo quo qua de re conf. supra p. 39 librarius cod. Leidensis 3 in lacuna supplenda omisit alterum illud *adducat*: locum recte scripserunt addito ex coniectura uocabulo *ratio* codd. Vossianus 1 Leidensis 1. Eadem de causa IV 12, 18 in loco recte expleto omittunt codd. **E** uerba *uerborum constructio* quae in cod. **M** fuisse corruptelae apographorum euincunt neque alia de causa factum est quod in locis qui in codd. bld emendati sunt multifariam uerborum collocatio inuenitur mutata ueluti II 22, 34 *mater est* habent bl pro *est mater* quod fuit in **M**, IV 44, 57 in bld est *nomen patriae* pro *patriae nomen*, 48, 61 *caelestes* falso loco positum sicuti 56, 69 *elocutionis*, 4, 7 uocabulum *Ennii* alio loco in b, alio in ld positum est, 28, 39 pro *dictura* recte bl posuit *pictura* sed omisit bis eandem ponere uocem quod ex coniectura fecit cod. Vossianus 1 et editt., 54, 68 uerba *factus est* in loco corrupto et mutato omittunt bl vo[1], 52, 65 **M** habuit *uix mea*, bld recte sed peruerso ordine *mea uox*, II 30, 49 ille *sacrum ledere*, bl *legere sacrum*. At IV 16, 23 in **M** cum fuerit *cautum esse* pro *castum esse* qua de confusione supra p. 22 egimus, l posuit *esse castum*, b *esse cautum* qua lectione suam aperte originem confitetur. Quod in l et d codd. ita saepe accidit ut non opus sit singulos deinceps locos enumerare. Cod. b plerumque lectiones classis **M** illata alterius recensionis scriptura expulit, seruauit tamen *illas* pro *alias* II 4, 6 conf. supra p. 29, IV 19, 26 *potes* habet sicuti PB, III 19, 32 **M** habuit *idoneos locos conparare tamen si q̄ ad is idoneos* e. q. s., ubi pro *ad is* P manu 2 et *II* posuere *ad ista*, b et hanc interpolationem alieno et ueram scripturam suo loco posuit cum habeat *idoneos ad ista locos comparare tamen si quis satis idoneos* e. q. s.: permultis autem locis id quod iam supra diximus p. 36 plane cum H consentit, conf. inprimis quomodo lacuna II 20, 31 sit expleta et prooemium Gryphiswaldense academicum anni 1891 p. IX. Itaque nec

M nec **E** recensionis si quaeris lectiones omnibus locis semper pro genuinis habendae sunt sed unaquaeque scriptura condicione sententiae et ratione consuetudinis dicendi qua utitur scriptor examinata aut adhibenda erit aut reicienda. Saepenumero enim recensionis **E** auctor ea quae in cod. suo familiae **M** inuenit emendatiora et meliora esse arbitratus eis quae in cod. nouo et integro exstabant haec plane neglexit illa in nouo suo exemplari recepta propagauit. Nonnumquam autem lectiones cod. illius integri recepit uel corruptas. Veluti III 22, 35 **M** habuit *audimus egregie turpe aut honestum*, b habet *audimus egregie turpe in homines. tum*, l archetypo propior habet *a. e. t. aut honestum in homines tum*, d: *a. e. t. aut honestum in homines*: nos cod. deperditum in quo fuerit corruptum illud *in homines tum* secuti scribemus *a. e. t. inhonestum*. IV 31, 42 **M** habuit *ut maiores audire et mugire et murmari . . . appellarunt:* b l habent pro *audire*: *rudere uagire*; qui cum uocabulum *rudere* recte reposuerint — conf. supra p. 24 — etiam glossam quae fuerit in cod. integro una cum illo recipere non dubitauerunt sicuti I 3, 5 simili modo natum illud praebent *ante affertur*. Nam cod. illum deperditum multis locis glossemata habuisse alia uerbis genuinis adiecta alia pro uerbis genuinis errore supposita ex adnotatione critica edit. nostrae cognosci poterit. I 11, 18 cod. **M** habuit *noster doctor tres*: integer ille uidetur habuisse *noster doctor* ⊢*ermes tres* quam lectionem recensor noluit recipere sed in margine cod. sui adnotauit non solum illud ⊢*ermes* sed per errorem dei facundi nomen auxit insequentis uerbi parte adiecta ut hodie in margine cod. b m.1 scriptum legatur *Ermestes*, in cod. l supra *doctor*: *Ermestes uel Ermetes*, cod. d denique in continua scriptura habet *doctor hermestes tres.* At codd. Voss. 1 Leid. 1 librarii docti supra *doctor* m.1 posuere ·*i*· *hermes* ille, hic *hermes* ex coniectura. Aliis locis eiusmodi glossemata *et* coniunctione adposita in uersus cod. integri irrepserant. Veluti III 17, 30 **M** recte habuit *edere*, integer corrupte *uidere* superscripto *proferre* unde b l d habent *uidere et proferre*, 19, 32 **M** habuit recte *ad suum arbitrium*, integer corrupte *ad usum arbitrium* superscripto *commodum* unde b l habent *ad usum commodum et arbitrium*, 12, 22 **M**:

uocem, **E**: *fauces et uocem*, IV 3, 4 **M**: *pueriliter*, **E**: *inutiliter et pueriliter*, 46, 59 **M**: *idoneus*, bl: *idoneus . . . et aptus*, 54, 68 **M**: *hostis*, bl: *hostis et exul*. Saepius uero euenit ut eiusmodi interpretamenta uel ineptissima recensor reciperet pro genuinis male expulsis. Veluti IV 54, 68 pro *Viminacium* (conf. Mus. Rhen. XLVII p. 157) posuit *bithiniam*, 12, 18 pro *Caelius*: *cecilius*, 20, 27 pro *parens*: *pater*, 27, 37 pro *disiunctum*: *disiunctio*, 30, 41 pro *dissolutum*: *dissolutio*, 48, 61 pro *similibus*: *similitudinibus*, II 6, 9 pro *interrogationem*: *argumentationem*, IV 12, 18 pro *operae*: *operationis*, 8, 12 pro *facinori*: *sceleri*, 47, 60 pro *inertia*: *inscientia*, 8, 12 pro *feros*: *feroces*, pro *ingenuum* sicuti II 30, 49 *ingenuam*, III 22, 35 pro *inusitatum*: *inauditum*, IV 15, 21 pro *inexorabilem*: *implacabilem*, 8, 11 pro *leui*: *magna*, II 17, 26 pro *edisseretur*: *quaeretur*, III 7, 13 pro *commemorauimus*: *tractauimus*, IV 13, 19 pro *reliquisti*: *contempsisti*, 44, 57 pro *accedere*: *suscipere*, 45, 58 pro *docuimus*: *diximus*, 46, 59 pro *candentes*: *ardentes* alia. Praeterea pro saeculi more orthographiam correxit. Nam ubique fere in **E** legitur *improbus* similia, cum *inprobus* sit in **M**, ubique *tanquam nunquam* similia, quae in uetustioribus sunt *tamquam numquam*. Pro praeteritis contractis quae leguntur in uetustioribus ueluti *pulsarunt conseruaris pronuntiarimus iudicaritis consuerunt commorit* semper restituit formas pleniores *pulsauerunt* e. q. s. quod idem in T. Liuii codd. recentioribus factum esse adnotat Drakenborchius ad Liu. XXI 44, 7. Denique locis plurimis ea quae inusitata et contra regulam sibi uiderentur commutauit facilioribus et tritioribus ueluti pro *item* ubique fere *ita* posuit, pro *totae poematis praesente multis quicum*: *toti poematibus praesentibus multis cum quibus*, pro *hilare inbecillae insignite audaciter breui adsensores tacitus certo*: *hilariter imbecilles insigniter audacter breuiter assentatores tacite certe*, tum pro *humiliore*: *humili*, pro *a Poeno*: *a Poenis*, pro *totius pueritiae*: *per omnem pueritiam*, genetiuo elegantius uerbum *potiri* putauit sequi ablatiuum et rectius scribi *amphibologias* quam *amphibolias* collato aut Donati codice Leidensis L Keilii GL IV p. 395, 20 simili aut Martiani Capellae tali qualis est Darmstadiensis de quo conf. Halmius RLM p. 461, 7. Nam medii aeui tempore *amphibologia* usitatam formam fuisse

inde apparet quod Terentii scholiasta ubique posuit recte ἀμφιβολία, Horatii ad artem poet. 449 *amphibologias*, illud apud Epiphanium ancorat. II p. 40 D legitur in cod. Ienensi optimo quo de conf. GDindorfius edit. uol. I p. XXX, hoc in codd. recentioribus editionibus uetustioribus. Atque in omnibus eiusmodi locis haud difficile erit uera a falsis internoscere: in aliis in cod. illo deperdito corrupta aliqua lectio extitisse putanda est ueluti III 22, 35 **M** habuit *ridiculum*, **E**: *periculosum*, ubi cod. Vossianus 2 satis acute posuit *ridiculosum*, IV 15, 22 **M** habuit *aluerunt*, **E**: *abluerunt*: in aliis uero egregia seruauit recensor ille ex cod. integro petita.

Quibus in lectionibus recte aestimandis nos ea ratione utemur ut si quae lectio in codd. classis **E** inuenitur quae in codd. classis **M** omnino non habetur sed saec. IX et X ita plane incognita et inaudita erat ut libri I capita 1—5, eam ueram ac genuinam esse summopere probabile est: immo certum est hanc recipiendam esse si in exemplaribus classis **M** locus aut corruptus aut perperam inuenitur ex coniectura constitutus. Qua in re nos maxime iuuabit codicis C auctoritas qui cum omnia fere contineat quae uiri docti saec. Karolingii in emendando libro praestiterint nusquam tamen praebet lectiones codd. **E** proprias nedum supplementa lacunarum quae in codd. inde a saec. XII demum inueniuntur. Quibus locis in C manu 1 et in codd. reliquis classis **M** emendatio aliqua manu 2 scripta inuenitur in loco corrupto quae discrepat cum scriptura codd. **E**, illam prorsus abiciemus ut ex ingenio doctorum saec. IX uel X natam, hanc ut ex cod. integro petitam recipiemus: sin autem quod saepe accidisse uides ex adnotatione critica ubi passim C**E** coniuncte legitur lectio cod. C aut m.2 codd. **M** in locis qui in **M** m.1 corrupte legebantur cum **E** consentiunt, multo difficilius erit iudicium et impeditius. Nam facile fieri potuit ut uerum inuenerit iam aeui Karolingii uir doctus aliquis cuius emendationem codex ille saec. XII inuentus confirmauerit: quod factum esse nonnumquam supra p. 23 exposuimus. Neque minus saepe accidit ut recensor codd. expletorum quae in cod. suo mutilo inuenit adscripta et emendata a doctis saec. IX et X ita egregie iudicarit emendata, ut illa omnia in suo

De ratione critica exercenda.

exemplari relinqueret immutata nec cod. noui et integri scripturas flocci faceret iudex iniquus. Quare hac potissimum de causa cod. C de cuius aetate constat tanti momenti est ad uera a falsis noua a uetustis dignoscenda quod adnotationum in codd. PB m.2 factarum quarum permultae saec. XII sunt recentiores aetas uix certo potest definiri cum in C ipsae illae lectiones, quae in PB m.2 adscriptae inueniuntur, ab ipso librario codicis saec. IX uel X scripti in continua scriptura exstent scriptae m.1: simili ratione cod. *Π* a nobis adhibebitur cui recensio **E** item plane incognita fuit. Veluti IV 56, 69 pro *efferatur* **M** habuit *esse ratur* cum eadem s et f litterarum commutatione quae 54, 67 offertur ubi pro *populi frequentia* **M** habuit *populis reuerentia*: solus C cum reliqui classis **M** habeant corrupta, habet recte *efferatur* quam lectionem aut ex eiusmodi qualis C est cod. mutilo recepit **E** aut ex nouo et integro in suum exemplar intulit. Eodem modo III 14, 25 **M** habuit *rugere*, C recte *augere* cum bl qua de re conf. p. 24, idem ibidem *ab imis faucibus* cum P^2B^2*Π***E**, ubi HPB habent *omissis faucibus*, in C lectio *omissis* m.2 supra *ab imis* exstat scripta: 15, 27 HP habent *gestum est*, BC *gestu*, sed $P^2B^2C^2$*Π* recte *gestu maesto* cum **E**: 19, 32 HP habent fere *si quis ad is*, C recte *si quis satis* cum bl, 21, 34 **M**: *nec*, C^2 recte *ni* cum **E**, IV 5, 8 HPB: *alium demus merentur*, CP^2B^2 recte *aliunde sumerentur* cum **E**, 12, 17 *tribuitur* habuit **M**, CP^2B^2*Π* cum **E** *distribuitur*, 18, 25 *pacis* habuit **M** pro *paris*, C fere recte *pares* cum bl, 29, 39 **M** habuit *uesoreecondonon*, C solus uetustiorum habet emendate cum **E** *uestrae condono*. Sed quamquam cod. C locis nonnullis scripturam archetypi melius seruauerit ceteris, tamen aliis ita aperte prae se fert signa coniecturae et correcturae ut illos omnes locos a uiro docto hercle et acuto saec. IX uel X modo recte modo falso censeam esse constitutos qui exempli gratia IV 52, 65 pro *ut: Tu* scripserit sicuti multis saeculis post Halmius, pro *quid*: *Quin* sicuti Oudendorpius, 56, 69 solus omnium *fecit* pro *facit* sicuti editt. omnes. Sed multo difficillima eadem nascitur quaestio in locis illis qui in codd. HPB lacunosi sunt, in C uel *Π* manu 1 plenius scripti leguntur non supra lineam uel in margine sed m.1 in con-

tinua scriptura supplementis exstantibus eisdem illis quae in **E** reperiuntur. Nam facilius profecto est uocabula singula corrupta emendare quam locum explere lacunosum. Veluti IV 30, 41 *atrocior* habent HPBC, *hic atrocior* P²*Π* cum **E**, sine dubio recte conf. auctorem Graecum in adnotatione adlatum. At IV 16, 23 habent **E**: *quos tantopere timeat, eos necesse est ut quoquo modo possit ueneficio petat. Quare;* HPB*Π*: *quos tantopere timeat eos necesse est quia;* sed C: *quos tantopere timeat eos necesse est ut quoquo modo possit ueneficio petat. Cur? quia.* Ergo hoc supplementum codd. **E** non ex cod. nouo illo petitum est sed iam saec. IX legebatur. Sed unde petitum est? An iam saec. IX cod. aliquis classis **E** notus fuit? Non: nam si fuisset et principium operis et aliae lacunae multo molestiores essent iam saec. IX suppletae. An cod. C multo meliore et pleniore archetypo usus est quam reliqui? Quod ego quondam putaui cum plurima in illo cod. emendatius uidissem legi quam in reliquis neque codd. reliquos nossem nisi ex Kayseri editione. Nam improbaui inconstantiam eorum qui illo quem modo attuli loco et aliis permultis eiusmodi supplementa receperunt, aliis reiecerunt. Quid enim differt IV 54, 68 ab illo loco? ubi **M** habuit testibus HP*Π*B *modo consul quodam*: C cum **E** habent *modo consul quondam tribunus.* Nam si illic recte suppletum est, quidni idem factum sit hoc loco? Editores illa cum receperint non recte fecerunt quod hoc refutauerunt supplementum: ego cum quondam omnia eiusmodi supplementa codicis C genuina esse crediderim, nunc eadem omnia ut supplementa doctorum saec. IX modo recte facta modo falsa non alio loco habuerim quam si coniecturas eas esse magistri Heirici aut Seruati Lupi traditum esset quos unumquemque aemulari licebit. Nam spurium amplius illud supplementum IV 16, 23 esse *ut* coniunctio demonstrat contra usum scriptoris posita. Itaque III 21, 34 *constituere* habuit **M**, *oportet constituere* habent bl, *constituere oportet* Cd: locum lacunosum esse ita ut plura uerba non unum tantummodo desit apertum est. In omnibus eiusmodi locis nos eam rationem sequemur ut quo minor et facilior ad explendum lacuna fuerit, eo magis ueri erit simile eam recte esse ex-

pletam: at magna supplementa quae multorum sint uerborum plane incerta aut falsa iudicabuntur. Itaque nos talia supplementa omnia aut reiecimus aut cum meliora non potuerint inueniri inclinatis litteris notauimus: qualia sunt II 25, 39 ubi C inserit *quodsi concurrunt*, **E**: *quodsi concurrerint*, 31, 50 C**E** inserunt *in quibus commodis fuimus*, III 8, 15 *aliud iniuste*, 15, 26 *a natura*, IV 13, 19 *seruauit*, 28, 39 *dicuntur* . . . *quae dici possunt non dicuntur*, falso, ut iam Simon intellexit, 29, 40 *aut fieri aut non fieri*, 31, 42 *est auditus*, 33, 44 *a similitudine aut a*, 43, 56 tantummodo d cum C inseruit *sed tractando*. Haec igitur supplementa partim reieci ut falsa, alia reicere ausus non sum quia recte saec. IX uel X poterant quidem esse inuenta et cod. nouo saec. XII inuento confirmata. Quae quidem recepi ea notare legentibus ita ut dixi et uolui et debui. Attamen quae in **E** inueniuntur noua et saec. IX et X inaudita ea egregia esse nemo qui totum librum accurate pertractauerit non confitebitur. Veluti lacunae maiores innumerae recte in **E** expletae sunt: quae supplementa cum Halmius quondam damnauerit omnia, miror equidem quod non libri I capita V in principio collocata item stultissime ficta esse demonstrauerit. Porro ut pauca tantummodo proferam exempla ubi editores falsa pro ueris posuerunt, egregie in **E** emendatur II 22, 34 *materies* ubi **M** habuit *praeteriss*, III 18, 31 *commeditari* ubi **M**: *commoditer* — conf. quod alio loco legitur *praemeditari* — IV 34, 45 *maeror* ubi **M**: *unae for*, 22, 31 *uirum rei p. amantissimum* ubi **M**: *uirtutis amantissimum* conf. 8, 12 extr., 25, 35 appetitio *alienorum*, ubi **M**: *aliorum*: conf. 40, 52 extr. ubi uocabulum *suus* eodem modo antecedit et II 11, 16 extr. ubi H pro *alieni* habet *alii*. Multis autem locis causa corruptelae sat aperta est: conf. quae supra p. 22 seqq. exposuimus. Quibus hoc loco addimus quod multis locis cum archetypus in compositis praepositiones reliquerit integras ueluti in *inludens* IV 34, 46, *inlustris* 47, 60, *adtinent* III 12, 21, **M** illis locis posuit *inprudens industriis, abstinen* . . ., ubi **E** suo more *illudens illustris attinent*, sicuti H IV 22, 31 pro *conmutatis*: *conputatis*, sicuti Cic. de or. III 43, 171 pro *illudens* codd. nonnulli habent *impudens* auctore Ellendtio. Nam diuersorum scripto-

rum librarios diuersos saepenumero in eisdem uocabulis uno atque eodem modo peccasse nulla re magis cognoscitur quam quod IV 46, 59 codd. **E** recte ponunt *palaestra* sicuti Plaut. Rud. 237 emendate scribitur, ubi codd. CD *palam est* quod habuit illo loco cod. **M.** Exemplar denique illud unde codd. **E** deducti sunt egregium fuisse uel ex minutis et leuioribus quibusdam apparet: ueluti III 20, 34 **M** habuit *quotiescumque*, **E** rectius *quotiens cumque* quod codicem b rectissime tamquam duo uerba distinguere cognositur ex Mon. Ancyr. IV 28.

Neque uero ea quae recte omittuntur in codd. **E** minoris aestimanda sunt in recensione operis quam ea quae habentur. Nam cod. **M** multis glossis et interpretamentis onustum fuisse quorum multa pro genuinis in apographa illata sunt manifestum est. Veluti in cod. H haec exstant glossemata quae in reliquis non inueniantur: I 6, 10 *turpi*, 12, 22 *uel* different, II 16, 24 *defensori*, 30, 49 *ut* positum pro *quo*, IV 24, 34 pro *a*, III 15, 26 *risum*, 22, 37 *ordine* genere, IV 3, 5 *nomina* uolumina, 39, 51 ignotos *suos*, 3, 5 testimoniorum *tuorum*, 10, 14 attenuato *ergo*, *et* eadem, 28, 38 *et* domesticos, 17, 24 non *in*firmatur, 22, 30 genus *superioris*, 34, 45 *ea igitur* pro *eam itur*, 40, 52 pro*priis* meritis alia. At III 22, 37 'ut facilius meminisse *ualeamus*' solus seruauit H, reliqui pro *ualeamus* habent *possimus*: utrum genuinum utrum glossema haud difficile erit ad diiudicandum cum I 2, 3 meliores codd. habeant: 'ut aliquorum similes in dicendo *ualeamus* esse', ubi codd. deteriores et editt. tritius illud et facilius supponunt *uelimus*. Aliis autem locis et corruptis et integris iam in cod. **M** archetypo glossemata aut expulerant scripturas uetustas aut auxerant. Veluti II 13, 20 ille habuit *paciscuntur* pro *pagunt*, recte uero omittuntur in **E** glossemata quae in **M** testibus HP aliis his locis legebantur II 22, 34 ad quod *id* maleficium, III 10, 18 Et *reliqua* quoniam, 12, 22 auditorem *quidem uarietas* quod non glossema sed mendum est librarii oscitantis, 15, 27 *pro* celeri, 16, 28 *uos* ob illud *placere* ex *placeat* corruptum additum conf. p. 24; in loco lacunoso IV 28, 39 in **M** additum erat *sapiens*, 37, 50 inde negationis *nomine*, 21, 29 **E** recte omittit glossam *meretricem* in **M** ad *Curiam* additam, 25, 34 *statim*, quod in **M** super

facere scriptum fuisse demonstrant apographa, 47, 60 *qualis euaderet.*

Difficillima autem quaestio nunc oboritur de praepositionibus in utraque recensione codd. et in singulis utriusque recensionis codd. aut additis aut detractis aut inter se commutatis. Veluti in uno cod. H si obseruaueris quot locis praepositiones aut omissae aut commutatae sint, non miraberis hanc quaestionem multo omnium dici difficillimam: is codex habet uitiose III 5, 8 *locarit* pro *conlocarit*, IV 1, 1 *scripsimus* pro *conscripsimus*, III 12, 22 *adfirmant* pro *confirmant*, II 16, 24 *defertur* pro *confertur*, IV 17, 24 *discessit* pro *recessit*. Eadem quae H iam cod. **M** librarius commiserat uitia qui habuerit II 1, 1 pro *conscriberemus*: *scriberemus*, IV 28, 38 pro *commiserationis*: *miserationis*, 51, 64 pro *corrogaret*: *rogaret*, II 24, 38 pro *confirmatio*: *adfirmatio*, IV 8, 12 pro *excogitare*: *cogitare*, III 11, 20 pro *adauget*: *auget*: eadem librarius uel recensor cod. **E**, qui bis IV 20, 28. 38, 50 *in* praepositione post *inesse* deleta datiuum restituit, IV 25, 34 pro *conscensum* scribit *ascensum*, II 24, 37 pro *conflictantur*: *afflictantur*, pro *adtulisti* bis *intulisti* IV 13, 19. 28, 38, pro *adferre* bis *proferre* II 8, 12 IV 6, 9, pro *referri*: *conferri* III 3, 4, pro *deductus*: *inductus* II 25, 39, pro *remaneat*: *permaneat* III 2, 2, pro *discernitur*: *secernitur* 2, 3: idem uitium iam commisit librarius archetypi omnium, siquidem Lambinus II 13, 20 recte restituit pro *proferemus*: *conferemus.* Tamen cum perraro factum sit ut codd. **E** praepositionem omittant, saepissime in **M** recte omissam addiderunt quo magis enuntiatum a quouis facile intellegatur. Nam quod III 24, 40 **E** habent *hortari*, cum **M** habuerit *adhortari*, id recte ex auctoritate codicis illius integri scriptum esse cum ipsa illa consuetudine codd. **E** adductus censeo tum ideo, quod *hortari* inuenitur II 19, 28, *adhortari* nusquam. Nimirum auctorem recensionis **E** consuesse uerba praepositionibus additis augere non minuere detractis multis locis apparet ueluti pro *mittat* bis posuit *emittat* IV 47, 60. 53, 66, pro *cepi* bis *accepi* 23, 33. 27, 37, pro *uenit*: *obuenit* 23, 33, pro *uenerit*: *deuenerit* II 15, 22, pro *esse*: *inesse* III 15, 26, pro *multos*: *permultos* IV 16, 23, pro *sequemur*: *persequemur* I 9, 15, pro *petere*:

repetere II 13, 19, pro *uertemur*: *reuertemur* III 7, 14, pro *fugisse*: *effugisse* II 4, 6. Tum praepositiones falso addidit his locis: IV 19, 26 *ab* altero, I 6, 10 *a* fabula, IV 31, 42 aut *in* — aut *in*, 44, 57 per — et *per*, IV 9, 13 *in* omnibus rebus, I 7, 11 *in* exordienda causa, III 16, 29 *in* locis certis, — I 1, 1 *in* negotiis sciens omitto — II 13, 20 *de* iure, IV 56, 69 *de* nobis non diffidimus, aliis locis commutauit ueluti II 19, 29 ubi pro *cum causa* posuit barbare *de causa*, IV 40, 52 pro *de partibus*: *in partibus*. Sed omnes eiusmodi loci hac de causa tam difficiles sunt, quod nonnullis locis rectissime **E** praepositiones addidit in **M** omissas ueluti IV 32, 44 **E** recte *uirtute pro uestra*, **M**: *uirtute uestra*: item illi recte IV 22, 30 *in* uerbis, III 23, 38 (conf. 24, 40) *in* imaginibus, II 4, 7 *ex* altera parte, quibus locis omnibus ex sententiae ratione et consuetudine dicendi litem codicum discrepantia motam tollemus. Eadem usi ratione III 11, 20 ubi HBC habent *nostro commodo*, P*Π***E** *pro nostro commodo* malumus nos statuere in his codd. *pro* falso adiectum quam in illis omissum quia praepositio ne 23, 39 quidem in eadem locutione inuenitur apposita. Ad codd. **E** sequemur IV 26, 36 qui habent *innuisset* ubi **M** *annuisset* ea de causa, quod in **M** scribi solet *adnominatio*, non *annominatio* similia nec d litteram in illo uocabulo ne unum quidem apographorum seruauit.

Qua libidine in praepositionibus addendis usus est recensor codd. **E** eadem usus est in adiectione coniunctionum: quibus passim inlatis librum et concinniorem et magis acceptum fieri uoluit legentibus. Itaque interpolauit IV 36, 48 *atque istud* desinite, 5, 7 ceteris*que*, 44, 57 ita*que*, II 2, 2 *et* quales, 30, 47 *et* memoriae, III 3, 5 *et* his rebus, 5, 9 *et* uel, 6, 10 corporis *et* animi, 11, 19 *et* quia, IV 6, 9 *et* aceruos, *et* eorum, 36, 48 *et* priuatas, 44, 56 *et* in hoc libro, 47, 60 *et* in amico, II 11, 16 *et* recte *et* lege ... *et* natura alibi. Multis locis perdifficile ea re fuit iudicium, quod facile intellegitur eiusmodi uocabulum saepenumero et ob incuriam librarii excidere potuisse et ob correctoris libidinem adici. Saepissime uero in **E** *et* adiecta, raro detracta inuenitur sequente *ex* praepositione quae eadem fere nota in libris ueteribus indicari solita sit: quod idem in **M** accidit nonnum-

quam. Veluti in ultimo libri IV uerbo *exercitationis* **E** ponunt *et exercitatione*, similiter codd. fluctuant I 11, 18 *et* ex eo, II 11, 16 *et* expedite, 19, 30 *et* exornatione, 4, 7 *et* exauditus, III 9, 17 *et* exordiri, 20, 33 *et* ex omnibus, 22, 36 *et* exitus, IV 3, 6 et 49, 62 *et* exempla, 47, 60 *et* expectatus, 55, 68 *et* ex aliis. Praeterea causa talium interpolationum fuit uerborum corruptio ueluti cum **E** I 15, 25 pro *conferens*: *confert*, IV 49, 62 pro *iactans*: *iactat*, pro *retentans*: *retentat* poneret, idem aliis locis fieri non potuit sine interpolatione: quare IV 13, 18 pro *distinguens*: *et . . . distinguit*, 35, 47 pro *separatim*: *separat et* sicuti cod. H librarius 32, 43 cum pro *circumscribens* posuisset *circumscribit* locum non potuit non interpolare. Tum alias eiusmodi particulas inseruit **E** nunc de suo, nunc mutilorum auctoritatem secutus ueluti interpolati sunt hi loci I 6, 10 *aut* ab . . . *aut* dubitatione, II 10, 14 lege *aut*, III 14, 24 *tum* uocum, IV 43, 55 *Quare* haec, 44, 57 *Quare* hi, III 6, 11 In huiusmodi *igitur*, IV 2, 2 Quid *igitur*, 34, 45 Ea *igitur*, II 24, 38 sin *autem* est, IV 4, 6 sin *autem* istud, 42, 54 Ea *autem*, 47, 60 dicitur *autem*, II 18, 27 difficillimum *uero*, IV 3, 6 cum *uero*, I 17, 27. 1, 1 *sed* si, 14, 24 *sed* assumpta, II 1, 1 *sed* paruam partem, IV 5, 7 *sed* aliud alium, I 11, 18 *cum* fratrem, 16, 26 *cum* confiteatur, II 27, 43 *cum* de musica, III 23, 38 *cum* nos, IV 36, 48 *cum* aliquo, 47, 60 *cum* dicitur, Hic *quoniam* I 11, 18, aut *si* II 29, 46 bis, IV 42, 54 *si* cum res, 40, 52 interest: *quod*. Porro pronomina ab **E** addita sunt his locis: IV 52, 65 interficere *me*, I 9, 16 soli *nos*, 14, 24 *sibi* ignosci — quae pronomina adiecta ab **E** accusatiui cum infinitiuo constructionem reddunt legitimam, alias tractabo — IV 8, 12 maiores *nostri*, 51, 64 frater *meus*, III 12, 22 animum *eius*, 22, 35 cotidianas *eas*, II 9, 13 contra *id* quod, 25, 39 dicit *id* quod, 29, 46 est *id* quod, IV 1, 2 egeat *id* ipsum, 47, 60 facere *eum*, II 26, 41 *ex eo* quod ait, IV 4, 7 *ipse* scribet artificiose, 19, 26 tibi *ipsi*, 15, 21 *solus* es. Deinde uerbum substantiuum in **M** omissum adiecit **E** his locis II 18, 27 difficile *est*, IV 10, 15 fugienda *est*, 44, 57 uituperandus *est*, 46, 59 dictum *est*, 47, 60 ornatus *sit*, 24, 33 ueritus *es*. Denique in codd. **E** alia uocabula inueniuntur addita his locis: II 3, 5

In quo primum, 15, 22 *In qua* primum, 30, 47 *In qua* curandum, 14, 22 His *locis*, IV 40, 53 in unum *locum*, 2, 4 ab ea *parte*, III 10, 17 translationibus *partium*, II 16, 24 contaminabit *personam*, 2, 3 expedisse *reo*, 31, 50 nostris *proximis* — quae nos cum satis diligenter collecta sint in ISimonis libello die Handschriften der Rhetorik ad Her. Schweinfurt 1864 hic congerere nolumus omnia. Sed in eiusmodi uocabulis ab **E** additis quae tam facile in **M** satis inerter scripto potuerint perire quam ab **E** recensionis auctore nimium curioso adici summa cautione opus ac diligentia ne quid recte traditum contemnamus aut abiciamus ueluti *aut* uocabulum quod in **M** fuerit *ã* ante *a* litteram facillime excidisse manifestum est. Immo si causa aliqua probabilis potuerit adferri quare exciderit in **M** neque in codd. saec. IX uel X inuentum erit additum, nos nostro iure eiusmodi uocabula seruabimus. Veluti IV 52, 65 **M** habuit: *Ille cum magno spiritu uerba inquit ne plane uictus essem*, ubi cod. Turicensis T Orellii t Kayseri pro *uerba* posuit elegantissime *uerebar* ab omnibus editt. probatum. Quo loco cum **E** praebeat *uerba metuebā* et facile intellegatur quomodo librarii cod. **M** oculus ab altera b ad alteram aberrauerit neque uerbi *facere* ellipsis inaudita sit in litteris Latinis, ego malui seruare lectionem in **E** traditam quam librarii Turicensis probare coniecturam. Nunc quoniam ex eis quae disserui exemplisque allatis explanaui quae ratio sit codicum satis dilucide intellegi potest, quae fata fuerint librorum ad Her. integrorum et expletorum inde a saec. XII accuratius exponam.

De fatis libri expleti et integri.

Atque peruulgatissimum fuisse librum ad Her. denuo inuentum et fere ubique gentium usurpatum a rhetoricae studiosis inde a saec. XII usque ad XIV docet exemplarium quae adhuc exstant multitudo incredibilis illo tempore scriptorum. In quibus quod semper fere priore loco inueniuntur libri de inu., posteriore ad Her., id potest quidem factum esse ad similitudinem archetypi deperditi integrorum: casu ideo factum esse non potest, quod eodem ordine iam inde a saec. XII illi dicuntur nonnumquam rhetorica prima, hi rhetorica secunda ueluti in cod. Vossiano no 103 saec. XII uel XIII de quo uide supra p. 37 libris de inu. praepositus

est titulus fol. 1 r. *Incipit prima* '*rethorica* libris ad Her. fol. 52 u.: *Incipit rethorica* . $\overset{a}{II}$. *ad Herennium*, porro in catalogo saec. XIII apud GBeckerum catalog. bibliothec. antiqu. p. 284, 279 memoratur *Prima rethorica Tullii* 287 *secunda* 288. 290 *utraque rethorica* nec alio modo explicandum quod p. 187, 100 legitur *Cicero In rethorica* i. e. *I rethorica*. Docebatur enim saec. XII libros de inu. Ciceroni puero esse elapsos, libros ad Her. 'ad illorum correctionem' postea esse conscriptos qua de re conf. scholion illud Bambergense supra p. 8 exscriptum. Itaque cum extrema libri II de inu. essent uerba illa *quae restant in reliquis dicemus* nihil rectius esse uidebatur aut magis consentaneum quam rhetoricam Ciceronis et ponere et appellare primam, libros ad Her. secundam. Quare cum in codd. illius aeui plurimis Tullii rhetoricae illae duae coniunctae inuenirentur, plerosque litteratores illius aeui coniuncte scripta illa tractasse probabiliter statuemus ita ut qui utramuis recte norint ambas nouerint nostra quidem sententia. Brunettus Latinius Florentinus Dantis poetae amicus de quo conf. interpretes ad infern. XV 30 libri prioris de inu. partem uertit in linguam uernaculam siue uulgarem: conf. Tiraboschius storia di letteratura Ital. edit. Moden. 1787 IV p. 483: quod uero Schueckius annal. philolog. et paedag. XCII 1865 p. 282 GVoigtius die Wiederbelebung e. q. s. I[2] p. 38 tradunt libri IV ad Her. partem a Latinio esse translatam in linguam Florentinorum, id falsum esse uidi ex TSundbyi libro Brunetto Latinos levnet og skrifter Kjoebenhavn 1869 p. 195. Quam translationem medio saec. XIII factam esse aut a Guidotto Bononiensi aut a Bonio Giambonio demonstrant ABartolius storia della letteratura Italiana III 1880 p. 121 seqq. AGasparyus Geschichte der ital. Litteratur I 1885 p. 186. Multo maioris momenti ad nostram rem quam illam de auctore discernere litem illud erit quod translationi nomen fuisse traditur *rettorica nuoua di Tullio* quem titulum saecc. XIV XV XVI usitatissimum antea non inueni usitatum. Nam qui in cod. Corbeiensis de quo supra p. 15 egimus fol. 87 u. inuenitur scriptus titulus *Rethorica tullii Noua: uetus*, eum saec. XIII non esse uetustiorem ex litterarum forma nunc statuerim. Neque ex

uetere illo cod. deperdito uidetur esse desumptus neque ad libros ad Her. tamquam recentes et nouos ut qui denuo saec. XII inuenti sint pertinere eum nunc crediderim sed a doctis saec. XIII ineunte eum excogitatum esse probabile est qui primam rhetoricam *ueterem*, secundam *nouam* appellari elegantius arbitrarentur. Utramque rhetoricam nouit etiam Dantes poeta qui in libro de monarchia II cap. 5 p. 51, 11 edit. Witte scribit: 'Propter quod bene Tullius in prima rhetorica: Semper, inquit, ad utilitatem reipublicae leges interpretandae sunt': conf. de inu. I 38, 68. Et in epistola ad Cangrandem cap. XIX: 'Propter primam partem notandum, quod ad bene exordiendum tria requiruntur, ut dicit Tullius in noua rhetorica, scilicet ut beneuolum et attentum et docilem reddat aliquis auditorem: et hoc maxime in admirabili genere causae, ut ipsemet Tullius dicit': conf. de inu. I 15, 20. 21. Sed in titulo operis errauit poeta. Neque enim prima rhetorica *noua* appellatur sed secunda, i. e. rhetorica ad Her.: quo errore sese utramque bene nosse satis dilucide significauit. Neque uero soli Italici librum perutilem in linguam uernaculam uertere conati sunt sed etiam Byzantini eum suum uolebant fieri eodem fere tempore Graece uersum. Quos inprimis delectauit artis mnemonicae monumentum egregium et singulare quod in libro III ad Her. seruatum est cuius simile neque litterae Latinae neque Graecae omnino praeterea poterant suppeditare. Quare Byzantinus aliquis siue is Maximus Planudes siue Thomas Gazes siue alius quis fuit libri III partem illam quae est de memoria inde a cap. 16 usque ad exitum libri in Graecum sermonem transtulit: conf. CKrumbacherus Geschichte der byzant. Litteratur 1891 p. 250 Paulyi Realencyclop. s. u. Planudes. Nihil uero peruersius factum est, quam quod Graeca illa uersione editores usi sunt ad Latini auctoris uerba corrigenda aut emendanda. Nam usus est Graecus ille codice classis E nostris non meliore: quae non intellexit, ea ex sua sententia constituit aut parum religiose mutauit. Veluti pro aedibus paganorum posuit *βωμόν* 16, 29, 19, 32 *tricenum* confudit cum *trinum* quod ineptissime editt. restituerunt nonnulli, denique uerba 20, 33 *medico testiculos arie-*

tinos tenentem satis acute quandoquidem testiculi Latinum quidem possunt testium commonefacere, Graecum *τῶν μαρτύρων* non possunt in haec transformauit: *καὶ ἰατρόν τινα Μάρτιον παραστήσομεν οὕτω καλούμενον.* Praeterea habuit exemplar classis **E** eodem modo corruptum quo illa sunt quae nos adhibuimus. Veluti 21, 34 priore loco legit *domi ultionem*, uertit *ἐν δόμῳ ἐκδίκησιν*, altero *domū ultionem*, uertit *δόμον ἐκδίκησιν*, 22, 35 codd. **M** habent *inusitatum magnum incredibile ridiculum*, codd. **E**: *inauditum magnum incredibile periculosum*, Graecus ille: *ἀνήκουστον, μέγα, ἀπίθανον, κινδυνῶδες, γελοῖον* unde apparet qualis eius cod. fuerit. Sed cum uersio illa Graeca non ob Latini scriptoris emendationem sed propter se ipsam digna sit quae legatur nec editiones omnibus facile praesto sint ego totam adsumptis CF de Matthaeii libro cui inscribitur *Breuis historia animalium* e. q. s. *Mosquae* 1811 edito p. 205 seqq. Angeli Maii editione ex libro *M. Tullii Ciceronis sex orationum partes ineditae* e. q. s. inscripto Mediolani 1817 edito p. 210 seqq. et PhCHessii ex libro *M. T. Ciceronis Cato Somnium Laelius ... ex Graecis interpretationibus* Halis 1833 edito p. 191 seqq. hoc loco proponam:

Μάρκου Τουλλίου Κικέρωνος

περὶ

μνήμης τεχνικῆς.

28 XVI. *Περὶ τῆς μνήμης πότερον ἔχει τι τέχνης τε καὶ τριβῆς, ἢ τὸ πᾶν αὐτῆς ἐκ φύσεως πρόεισι, καιρὸς ἕτερος προσήκων εἰπεῖν ὁρισθήσεται. Νῦν δ' ὡσπερεὶ συνεστῶτος καὶ πᾶσιν ὁμολογουμένου, πολύ τι κράτος ἐν αὐτῇ τέχνην τε καὶ διδασκαλίαν κεκτῆσθαι, οὕτω περὶ αὐτῆς ἐκ τῶν ἐνόντων λέξομεν. Τεχνικὴν μὲν γὰρ εἶναι τὴν μνήμην, εἴπερ τι τῶν ἄλλων, ᾠήθημεν ἔκπαλαι τὰ ὄντα φρονήσαντες· ὅπως δ' ᾠήθημεν, ἐπιδείξομεν καλῶς ἐν καιρῷ· τανῦν δ' ἐκπληρωτέον ἡμῖν τὸν ἐπὶ τῆς παρούσης χρείας σκοπὸν καὶ τίς ἡ τεχνικὴ μνήμη λεκτέον. Διπλῆ τοίνυν ἡ μνήμη φυσική τε καὶ τεχνική. Καὶ φυσικὴ μέν ἐστιν, ἥτις ταῖς ἡμετέραις ἐνίδρυται ψυχαῖς, συγγεννωμένη τῇ διανοίᾳ· τεχνικὴ δέ ἐστιν, ἣν εἰσαγωγή τις συμβεβαιοῖ καὶ λόγος διδασκαλίας. Ἀλλ' ὅπερ κἀν τοῖς λοιποῖς τῆς διδασκαλίας πράγμασιν, ὧν ἡ ἀγαθότης μιμεῖται πολλάκις διδασκαλίαν, ἡ τέχνη παραγενομένη ποιεῖ, τὰ φύσει χορηγούμενα συμβεβαιοῦσα καὶ αὔξουσα, τοῦτο κἀν τῷδε τῷ πράγματι γινόμενον δείκνυται, ὡς οὐκ ἔσθ' ὅπως συμβήσεται ταύτῃ τῇ τεχνικῇ μνήμῃ*

ἡ φυσική, εἴ καί τινι τῶν ἀνθρώπων ἐξῃρημένη δοθείη· ἐπὶ πολὺ 29 γὰρ αὕτη τὴν τῆς φύσεως μνημοσύνην ἀνέχει καὶ πλατύνει λόγῳ διδασκαλίας. Ὅθεν καὶ ἡ φυσικὴ μνήμη τῇ διδασκαλίᾳ συμβεβαιωτέα, ὡς ἂν εἴη πάντως ἐξῃρημένη· καὶ αὖθις τῇ τῇ διδασκαλίᾳ διδομένῃ προσληπτέα καὶ ἡ εὐφυΐα. Οὐδὲ γὰρ ἐν ταύτῃ μᾶλλον ἢ ἔλαττον ἢ ταῖς ἑτέραις τέχναις συμβαίνει, εὐφυΐᾳ μὲν τὴν διδασκαλίαν, διδασκαλίᾳ δὲ τὴν φύσιν ἐκλάμπειν. Κἀκείνοις οὖν πάντως, οἳ φύσει μνημονευτικοὶ τυγχάνουσιν ὄντες, ὠφέλιμος ὁ παρὼν ἀγὼν ἔσται, ὃ αὐτὸς μετ' ὀλίγον ἐννοῆσαι δυνήσῃ. Εἰ δέ τινες τῶν ἡμετέρων τῇ σφῶν εὐφυΐᾳ θαῤῥοῦντες καὶ ταύτῃ χρώμενοι οὐ προσδέοιντο τῶν ἤδη ῥηθησομένων, λόγον ἂν ἀποδοίημεν δίκαιον, τὸ μὲν προὔργου τοῖς εὐφυεστέροις, τοῖς δ' ἧττον εὐφυΐας ἔχουσι βοηθεῖν αἱρουμένους ταυτὶ πραγματεύεσθαι. Περὶ τῆς τεχνικῆς τοίνυν μνήμης εἴπωμεν ἐντεῦθεν ἀρξάμενοι. Ἡ τεχνικὴ τοίνυν μνήμη συνίσταται ἐκ τόπων τε καὶ εἰκόνων. Τόπους δὲ προσαγορεύομεν, οἵτινες βραχέως, τελείως, ἐμφανῶς ἢ φύσει ἢ χειρὶ τετελεσμένοι εἰσίν, ὡς ἂν ῥαδίως αὐτοὺς φυσικῇ μνήμῃ συλλαβεῖν καὶ περιπλέξαι δυνηθείημεν, οἷον βωμόν, ἐπίστυλον, γωνίαν καὶ ὅσα ἄλλα τούτοις εἰσὶν ὅμοια. Εἰκόνας δὲ λέγομεν μορφάς τινας γνωρίμους καὶ εἴδωλα ἐκείνου τοῦ πράγματος, οὗ μνησθῆναι βουλόμεθα, ὡς ἵππον, λέοντα, ἀετὸν καὶ τὰ ὅμοια, ὧν ἂν οὖν ἐθέλωμεν μνήμην ἔχειν, τὰ εἴδωλα αὐτῶν ἐν τόποις τισὶ βεβαίοις, ὡς εἴρηται, συσκηνοῦν καὶ ἐνιδρύειν ὀφείλομεν. Ἀλλὰ νῦν ἤδη, καὶ ὁποίους 30 τινὰς τόπους εὑρίσκειν καὶ ὅπως τούτους ζητεῖν καὶ αὖθις ὅπως ἐν τοῖς εὑρεθεῖσι τόποις τὰς εἰκόνας ἐγκαθιστᾶν δεῖ, ὑποδείξομεν.

XVII. Ὥσπερ τοίνυν οἱ γράμματα εἰδότες καὶ τὰ λεγόμενα γράφειν καὶ τὰ γραφόμενα ἀναγινώσκειν δύνανται· οὕτω καὶ οἱ ὅσα ἄν τις εἴποι πλεῖστα μεμαθηκότες, ἃ ἔμαθον, ἐν τόποις συνιδρύειν δύνανται καὶ ἐξ ἐκείνων μνημονευτικῶς προφέρειν. Οἱ μὲν γὰρ τόποι κηρίοις καὶ χάρταις ὁμοιότατοί εἰσιν· αἱ δὲ εἰκόνες τοῖς γράμμασιν· ἡ δὲ τῶν εἰκόνων τάξις τε καὶ καθίδρυσις ὡς μάλιστα τῇ γραφῇ· ἡ δὲ προφορὰ τῇ ἀναγνώσει. Δεῖ γοῦν, ἂν βουλώμεθα πολλῶν μνημονεύειν, καὶ πολλοὺς τόπους ἡμῖν αὐτοῖς συσκευάζειν, ὡς ἂν ἐπ' αὐτῶν τῶν πολλῶν τόπων πολλὰς ἐγκαθιδρύειν εἰκόνας οἷοί τε ὦμεν. Ἔτι νομίζομεν δεῖν κατὰ τάξιν ἔχειν τούτους τοὺς τόπους, ἵνα μήποτε τῆς τάξεως ἐκπέσωμεν συγχυθέντες, ἀλλὰ τὰς εἰκόνας, ὅθεν οὖν ἡμῖν ἀρέσκει, †τῶν ἄκρων ἔχοντες ἑπομένας, δυνησώμεθα τὰ παραπεμφθέντα τοῖς τόποις βλέπειν τε καὶ ἀναλέγεσθαι καὶ προφέρειν ἀναμαρτήτως.

XVIII. Ὡς γὰρ ἂν ἐν τάξει στάντας γνωρίμους τινὰς ἴδωμεν, οὐδὲν διοίσει ἡμῖν, ἀφ' ὅτου δή τινος ἂν ἐθέλοιμεν, τῶν ἄκρων ἢ καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ μέσου λέγειν ἀρχομένοις τὰ ἐκείνων ὀνόματα· οὕτω δὴ καὶ τῶν τόπων τάξει καθιδρυμένων, ἂν ἐκ τοῦ δόξαντος μέρους τὰς συσκευασθείσας εἰκόνας ἀναλεγώμεθα, πάνθ' ἃ τοῖς τόποις ἐνεθήκαμεν εἰπεῖν δυνησόμεθα. Ὅθεν ἀρέσκει καὶ κατὰ 31

τάξιν συσκευάζειν τοὺς τόπους, καὶ τόπους, οὓς ἂν λάβωμεν, ἐξαι-
ρέτως συλλογίζεσθαι δεῖν. Καὶ γὰρ αἱ μὲν εἰκόνες, ὥσπερ δὴ καὶ
τὰ γράμματα, ἐξαλείφονται μὴ χρωμένοις ἡμῖν· οἱ δὲ τόποι καθά-
περ κηρὸς ὀφείλουσιν ὑπολείπεσθαι. Καὶ ἵνα μὴ τυχὸν ἀριθμῷ
τῶν τόπων ἀπατηθείημεν, πέμπτον ἕκαστον ἀρέσκει σημειοῦσθαι,
οἷον ἐν τῷ πέμπτῳ τόπῳ χεῖρα χρυσῆν συντιθέναι, καὶ ἐν τῷ
δεκάτῳ τινὰ γνώριμον, ᾧ ἐπίθετον ἔσται καθ' ὑπόθεσιν Δεκάτιος,
καὶ ὅσα τῶν ὁμοίων εἰσί· καὶ οὕτω ῥᾴδιον ἔσται ὅμοια σημεῖα ἐν
ἑκάστῳ πέμπτῳ τόπῳ συνιδρύειν.

XIX. Ἔτι προσφορώτερόν ἐστιν ἐν χώρᾳ ἐρήμῳ ἢ πληθούσῃ
συσκευάζειν τοὺς τόπους, διότι ἡ συνεχὴς τῶν ἀνθρώπων πάροδος
ἐνοχλεῖ καὶ τὰ τῶν εἰκόνων ἐξασθενεῖ σημειώματα, ἐρημία δὲ ἀκέ-
ραια τὰ τῶν εἰδώλων συντηρεῖ σχήματα. Ἐπὶ τούτοις ἀνομοίους
σχήματί τε καὶ φύσει τόπους εὑρετέον ἐστίν, ὡς ἂν εὐτάκτως ἐπι-
φαίνεσθαι δύναιντο. Καὶ γὰρ ἂν πολλά τις διαχωρήματα ἔχῃ λαβών,
ταραχθήσεται τῇ τῶν τόπων ὁμοιότητι καὶ ἐπιλήσεται, ὅτι ἐφ'
ἑκάστῳ τόπῳ συνέθηκεν. Ἀλλὰ δὴ καὶ μεγέθους ἧττον ἔχοντος καὶ
μετρίους τόπους ἔχειν δεῖ. Οἱ γὰρ ὑπὲρ τὸ δέον πλατεῖς κλονεῖσθαι
τὰς εἰκόνας ποιοῦσι, καὶ οἱ λίαν αὖ στενοὶ οὐ δύνασθαι δοκοῦσι
32 πολλάκις τὴν τῶν εἰκόνων δέξασθαι σύνθεσιν. Ἔτι οὔτε λίαν ἐκ-
λάμπρους οὔθ' ὑπερβαλλόντως σκοτεινοὺς τόπους ἔχειν δεῖ, ἵνα μὴ
ἢ τῇ σκοτώσει ἀφανίζωνται αἱ εἰκόνες ἢ τῇ λαμπρότητι διαχέωνται.
Ἔτι τὰ τῶν τόπων διαστήματα μέτρια εἶναι ἀρέσκει σχεδὸν ὀλίγῳ
πλείω ποδῶν τριῶν. Καὶ γὰρ ὡς ἡ ὄψις, οὕτω καὶ ὁ νοῦς ἔλαττον
ἰσχύει, ἂν ἢ σφόδρα πόῤῥω ἀναχωρῇς ἢ ὑπερβαλλόντως ἐγγὺς προσ-
χωρῇς ἐκείνῳ, ὅπερ δεῖ ὁρᾶσθαι. Οὐ μὴν ἀλλ' εἰ καὶ τῷ ὄντι
ῥᾴδιον τῷ πλέον τι καὶ ἀκριβέστερον ἐγνωκότι τὴν τοιαύτην σπου-
δὴν πολλούς τε καὶ ἁρμοδίους τόπους συνετοιμάζειν· ὅμως εἴ τις
πρὸς ταῦτα ἱκανὸν ἁρμοδίους τόπους ἐφευρίσκειν ἑαυτὸν οὐ νομίσει,
αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ συστήσασθαι ὡς ἂν βούλοιτο πολλοὺς τόπους ἐξ-
έσται. Ἡ γὰρ διάνοια παντοίαν δή τινα χώραν δύναται περιπλέκειν
καὶ ἐν ἐκείνῃ θέσιν ἑκάστου τόπου κατὰ τὴν αὐτοῦ βούλησιν κτί-
ζειν καὶ ἀρχιτεκταίνειν. Ὅθεν ἔξεστιν, ἐὰν τούτῳ τῷ προχείρῳ
πλήθει οὐκ ἀγαπητῶς ἔχωμεν, αὐτοῖς ἡμῖν σκέψει ἡμετέρᾳ χώραν
συνιστᾶν καὶ τὴν τῶν ἁρμοδίων τόπων προχειροτάτην εὐταξίαν
συνετοιμάζειν. Περὶ μὲν τῶν τόπων ἱκανῶς εἴρηται· νῦν δὲ καὶ
πρὸς τὸν περὶ τῶν εἰκόνων μεταβῶμεν λόγον.

33 XX. Ἐπεὶ τοίνυν τῶν τε πραγμάτων ὁμοίας εἶναι εἰκόνας
δεῖ, καὶ ἐξ ἁπάντων λόγων γνωρίμους ἡμῖν ὁμοιότητας ἐκλέγειν
ὀφείλομεν, διπλαῖ ἄρα ὁμοιότητες εἶναι ὀφείλουσιν, αἱ μὲν τῶν
πραγμάτων, αἱ δὲ τῶν λόγων. Αἱ τῶν πραγμάτων ὁμοιότητες ἐκ-
φανεροῦνται, ὅταν κεφαλαιωδῶς τὰς τῶν πράξεων εἰκόνας συνάξω-
μεν· αἱ δὲ τῶν λόγων ὁμοιότητες συνίστανται, ὅταν ἑνὸς ἑκάστου
ὀνόματος ἢ λέξεως μνήμη εἰκόνι σημειῶται. Ὅλου δὲ πράγματος
μνήμην πολλάκις ἑνὶ σημείῳ καὶ εἰκόνι ἁπλῇ συλλαμβάνωμεν κατὰ

*τόνδε τὸν τρόπον· οἷον εἴ τις ἐν δίκῃ κατηγορῶν τινὸς εἴποι, παρὰ
τοῦ διωκομένου ἄνθρωπόν τινα φαρμάκῳ φονευθῆναι χάριν κλη-
ρονομίας τῆς ἐκείνου οὐσίας, καὶ τούτου τοῦ πράγματος ἐπαγγεί-
λαιτο πολλοὺς παραγαγεῖν μάρτυρας καὶ συνίστορας· ἂν τούτου
πρώτου, ἵνα πρὸς τὸ διεκδικεῖν ἡμῖν εὔκολον ᾖ, μεμνῆσθαι θελή-
σωμεν, ἐν τῷ πρώτῳ τόπῳ τὴν τούτου τοῦ παντὸς πράγματος εἰκόνα
συσχηματίσομεν· ἀσθενῆ ἐν τῇ κλίνῃ κατακείμενον ποιήσομεν αὐτὸν
ἐκεῖνον, ὑπὲρ οὗ ἡ δίκη, ἂν τὴν ἐκείνου μορφὴν ἐν νῷ ἔχωμεν·
εἰ δὲ ἐκεῖνον οὐκ οἴδαμεν, ἀσθενῆ τινὰ ληψόμεθα, οὐκ ἐξ ἐλάττο-
νος τόπου, ὡς ἂν εὐθέως εἰς νοῦν ἐλθεῖν δύναιτο. καὶ τὸν κατη-
γορούμενον πρὸς τῇ κλίνῃ αὐτοῦ παραστήσομεν, τῇ μὲν δεξιᾷ ποτή-
ριον πλῆρες, τῇ δ' ἀριστερᾷ πίνακας γεγραμμένους κατέχοντα, καὶ
ἰατρόν τινα Μάρτιον παραστήσομεν οὕτω καλούμενον. Τοῦτον τὸν
τρόπον καὶ τῶν μαρτύρων καὶ τῆς κληρονομίας καὶ τοῦ τῷ φαρ-
μάκῳ φονευθέντος μνήμην ἔχειν δυνησόμεθα. Καὶ ἑξῆς τὰ λοιπὰ* 34
*ἁμαρτήματα κατὰ τάξιν ἐν τοῖς τόποις θήσομεν. καὶ ὁσάκις πράγ-
ματος ἐνθυμηθῆναι θελήσομεν, ἂν τῇ τῶν μορφῶν διαθέσει καὶ
τῷ τῶν εἰκόνων ἐπιμελεῖ λόγῳ χρησώμεθα, ῥᾳδίως ἐκείνων, ἃ βου-
λησόμεθα, μνημονεύσομεν.*

XXI. *Τὰς τῶν λόγων δὲ ὁμοιότητας ταῖς εἰκόσιν ἐκφαίνειν
θέλοντες πλείω πόνον ἕξομεν καὶ μᾶλλον τὴν ἡμετέραν διάνοιαν
γυμνάσομεν, ὃ τόνδε τὸν τρόπον ποιεῖν ἡμᾶς ἁρμόσει. Ἤδη ἐν
δόμῳ ἐκδίκησιν Ἀτρεῖδαι βασιλεῖς κατασκευάζουσιν. Ἐν τόπῳ καθι-
στάναι δεῖ χεῖρας πρὸς οὐρανὸν αἰρόμενον Δομέτιον, ὅτε παρὰ τῶν
βασιλέων Μαρτίων λώροις ἐμαστίζετο. Τοῦτ' ἔσται, ἤδη δόμον ἐκ-
δίκησιν βασιλεῖς. Ἐν τῷ ἑτέρῳ τόπῳ Αἴσωπον θετέον καὶ Κύμ-
βρον καὶ κοσμουμένην ἐν τῇ πλάνῃ τὴν Ἰφιγένειαν. Τοῦτ' ἔσται,
Ἀτρεῖδαι κατασκευάζουσι. Τοῦτον τὸν τρόπον οἱ λόγοι πάντες ἔσον-
ται ἔκδηλοι. Ἀλλ' αὕτη ἡ τῶν εἰκόνων συμμόρφωσις οὕτω χρησι-
μεύει, ἂν τὴν φυσικὴν μνήμην ἀνανήψωμεν ταύτῃ τῇ σημειώσει,
ἵνα στίχου τεθειμένου αὐτοὶ ἐφ' ἑαυτῶν πρῶτον μετερχώμεθα δὶς
ἢ τρὶς τὸν αὐτὸν στίχον, μετὰ δὲ ταῦτα μετὰ τῶν εἰκόνων καὶ
τοὺς λόγους ἐκφήνωμεν. Οὕτω τῇ φύσει ὑπηρετήσει ἡ μέθοδος.
Καὶ γὰρ ἑκατέρα τῆς ἑτέρας κεχωρισμένη ἧττον ἔσται βεβαία· οὕτως
ὅμως, ὡς εἶναι τὸ πλέον τῆς βοηθείας ἐν τῇ τέχνῃ τε καὶ μεθόδῳ·
ὃ δὴ διδάσκειν οὐκ ἂν ἐδυσχεράναμεν, εἰ μὴ ἐδεδίειμεν, μὴ ἀπὸ
τῆς ἡμετέρας ἐκστάντες προθέσεως ἧττον ἐπιδεξίως τηρήσωμεν τὴν
σαφῆ ταύτην τῆς διδασκαλίας βραχύτητα. Ἐπεὶ δὲ συμβαίνειν εἴωθε* 35
*τῶν εἰκόνων τὰς μὲν παγίας καὶ πρὸς τὸ κινεῖν τὸν ἡμέτερον
λογισμὸν ἐπιτηδειοτάτας εἶναι, τὰς δὲ ἀσθενεῖς τε καὶ χαύνας καὶ
μόλις δυναμένας τὴν μνήμην ἐγρηγορῆσαι, ὡς ἂν ἄμφω ταῦτα
γένωνται ἐπισκεπτέον ἐστίν, ἵνα, νοηθείσης τῆς αἰτίας ὁποίας
εἰκόνας φύγωμεν καὶ αἷς χρησώμεθα, εἰδέναι δυνώμεθα.*

XXII. *Διδάσκει οὖν ἡμᾶς ἡ φύσις αὐτὴ τὸ προσῆκον. Ἂν
γάρ τινα πράγματα ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ζωῇ ἴδωμεν μικρά, συνήθη,*

*καθημερινά, τούτων μεμνῆσθαι οὐκ εἰώθαμεν, ἐπεὶ οὐδενὶ πράγματι
εἰ μὴ νέῳ ἢ θαυμασίῳ συγκινεῖται ἡ ψυχή. Ἀλλ' ἐάν τι βλέπωμεν
ἢ ἀκούωμεν ἐξόχως αἰσχρὸν ἢ καλόν, ἀνήκουστον, μέγα, ἀπίθανον,
κινδυνῶδες, γελοῖον, τούτου ἐπὶ πολὺ μεμνῆσθαι εἰώθαμεν. Ἅτινα
δὲ πρὸ ὀφθαλμῶν βλέπομεν ἢ ἀκούομεν, ἐπιλανθανόμεθα πολλάκις·
τὰ δὲ συμβάντα ἐν τῇ παιδικῇ ἡλικίᾳ, ἐπὶ μνήμης ἀεὶ φέρομεν
ἄριστα· πολλάκις δὲ οὐδὲ ταῦτα, διότι τὰ συνήθη πράγματα ῥᾳδίως
τῆς μνήμης ἐξολισθαίνουσι, τὰ περιφανῆ δὲ καὶ νέα ἐν τῇ ψυχῇ
36 μένουσιν ἐπὶ πλέον. Τὰς μὲν γὰρ ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου καὶ δρό-
μους καὶ δύσεις αὐτοῦ οὐδεὶς θαυμάζει, ὅτι καθ' ἡμέραν γίνονται·
τὰς δ' ἐκλείψεις αὐτοῦ θαυμάζουσιν ὡς σπανίως συμβαινούσας,
καὶ τὰς τοῦ ἡλίου δὲ μᾶλλον ἐκλείψεις θαυμάζουσιν ἢ τῆς σελή-
νης, ὅτι αὗται συνεχέστεραί εἰσι. Διδάσκει οὖν ἡ φύσις ἑαυτὴν
ὀχλώδει καὶ συνήθει πράγματι μὴ διεγείρεσθαι, καινῇ δὲ καὶ περι-
φανεῖ τινὶ πράξει. Καὶ μιμεῖται τὴν φύσιν ἡ τέχνη, εὑρίσκει τε
ὅπερ ἡ φύσις βούλεται καὶ ζητεῖ, καὶ ἕπεται οἷς ὑποδείκνυσιν. Οὐ
γάρ ἐστιν, ὅπερ ἢ τελευταῖον ἡ φύσις εὗρεν ἢ πρῶτον ἡ μέθοδος·
ἀλλ' αἱ τῶν πραγμάτων ἀρχαὶ ἀπὸ τῆς διανοίας προῆλθον, τὰ δὲ
37 τέλη μαθήσει συσκευάζονται. Τὰς γοῦν εἰκόνας ἡμᾶς ἐν ἐκείνῳ τῷ
γένει συνιστᾶν ἁρμόσει, ὅπερ ἔχεσθαι καὶ μένειν ἐν τῇ μνήμῃ ἐπὶ
πλεῖστον δύναται. Τοῦτο δὲ συμβήσεται, ἂν ὡς μάλιστα σεσημειω-
μένας ὁμοιότητας συστησώμεθα, ἂν οὐ πολλὰς οὔτε πεπλανημένας,
ἀλλά τι ποιούσας θῶμεν εἰκόνας, ἂν ἔξοχον εὐμορφίαν ἢ ἐσχάτην
αἰσχρότητα ταύταις προσνείμωμεν, ἂν πρᾶγμά τι κοσμήσωμεν, οἷον
ἢ στεφάνοις ἢ ἐσθῆτι πορφυρᾷ, ἵνα εὔληπτος ἡμῖν ᾖ ἡ ὁμοιότης·
ἢ ἄν τι πρᾶγμα κατασχηματίσωμεν αἰσχρῶς, ὡς ἂν εἰ ἡμαγμένην ἢ
πηλῷ κεχραμένην καὶ βεβορβορωμένην ἢ ὠβελισμένην καὶ κατάστι-
κτον εἰσάγωμεν, ἵνα μᾶλλον σεσημειωμένη ᾖ ἡ εἰκών· ἢ ἂν γελοῖά
τινα πράγματα ταῖς εἰκόσι προσνείμωμεν. Τὰ τοιαῦτα γὰρ ποιοῦσιν
ἡμᾶς ῥᾳδίως μεμνῆσθαι δύνασθαι· ἃ δὲ ἀληθῆ τυγχάνοντα ῥᾳδίως
εἰς νοῦν φέρομεν, τὰ αὐτὰ πεπλασμένα μέν, ἐπιμελῶς δὲ σεσημειω-
μένα καὶ κατὰ τοὺς εἰρημένους κανόνας ἐπὶ νοῦν φέρειν οὐ δυσχε-
ρές ἐστι. Πλὴν κἀκεῖνο προσήκει ποιεῖν, τὸ κατὰ τὸν αὐτὸν τρό-
πον, τοὺς πρώτους ἑκάστους τόπους χάριν τοῦ ἀνακαλεῖσθαι τὰς
εἰκόνας ταχέως τῇ διανοίᾳ πρῶτον διαδραμεῖν.*

38 XXIII. *Οἶδα πολλοὺς τῶν Ἑλλήνων γράψαντας περὶ μνήμης
καὶ διδάξαντας δεῖν πολλῶν λόγων συγγράφειν εἰκόνας, ὡς ἂν οἱ
ταύτας ἐκμανθάνειν ἐθέλοντες, παρεσκευασμένας ἔχοντες, μηδὲν
πονῶσιν ἐν τῇ τούτων ζητήσει, ὃ διά τινας ἡμῖν αἰτίας οὐκ ἀρέσκει.
Πρῶτον μέν, ὅτι τῷ τῶν λόγων ἀναριθμήτῳ πλήθει γελοῖόν ἐστι
τὰς τῶν λόγων ἑτοιμάζειν εἰκόνας· πολλοῦ γὰρ δεῖ τοῦτο ἐῤῥῶσθαι,
ἐπεὶ ἐκ τῆς ἀπείρου τῶν λόγων πληθύος νῦν μὲν ἄλλου, νῦν δ'
ἄλλου ἡμᾶς λόγου μνημονεῦσαι δεήσει. Μετὰ δὲ ταῦτα τί μὴ τὴν
τῶν εἰκόνων εὕρεσιν τῷ περὶ ταῦτα σπουδάζοντι οἴκοθεν ποιεῖν
ἐπιτρέψομεν, ἀλλὰ πάντα ἕτοιμα καὶ ἐξεζητημένα παρέχοντες ἀγύ-*

μναστον ἐκεῖνον καὶ οἷον εἰπεῖν ἀκίνητον πρὸς ταῦτα ποιήσομεν; Ἐπὶ τούτοις ἄλλος ἄλλῃ πλέον ὁμοιότητι διεγείρονται. Καὶ γὰρ ὥσπερ πολλάκις μορφῇ τινὶ τήνδε τὴν μορφὴν ἐοικέναι λέγοντες οὐ πάντας ἔχομεν συναινοῦντας, ὅτι γε ἄλλο δοκεῖ ἄλλῳ· οὕτω γίνεται κἀν ταῖς εἰκόσιν, αἵτινες ἡμῖν ἀκριβῶς γνώριμοί εἰσιν, αὗται βραχύ τι δοκοῦσιν εἶναι διαφανεῖς ἑτέροις· ὅθεν ἕκαστον 39
ἑαυτῷ χρὴ τὰς εἰκόνας κατὰ τὴν οἰκείαν ἐπιτηδειότητα κατασκευάζειν. Τελευταῖον ἔργον ἐστὶ διδασκάλου διδάσκειν, ὅπως ἕκαστον ζητεῖσθαι προσήκει, καὶ τουτὶ τυχὸν ἤ τι ἕτερον, οὐ πάντα δὲ τὰ τοῦ αὐτοῦ γένους χάριν παραδείγματος ὑποβάλλειν, ὅπως ἂν εἴη τὸ πρᾶγμα σαφέστερον. Ὥσπερ ὅταν, ὡς δεῖ τὰ προοίμια ζητεῖν, διαλεγώμεθα, λόγον ἐν ὑποδείγματι πάντως ἁπλῷ διδόαμεν τῆς τῶν προοιμίων εὑρέσεως, οὐ χίλια προοιμίων γένη συγγράφομεν· οὕτω νομίζομεν περὶ τῶν εἰκόνων γίνεσθαι δεῖν.

XXIV. Νῦν δ' ἵνα μὴ τυχὸν τὴν τῶν λόγων μνήμην ἢ σφόδρα δύσκολον ἢ μετρίως ὠφέλιμον κρίνῃς, ἔτι δ' ἵνα καὶ τῆς τῶν πραγμάτων μνήμης ἀγαπητῶς ἔχῃς ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι καὶ ὠφελιμωτάτη ἐστὶ καὶ πολλῷ πλέον προχειροτάτη, τὴν σὴν ἀγάπην παραινετέον, δι' ἥντινα τὴν αἰτίαν τὴν τῶν λόγων οὐκ ἀποδοκιμάζομεν μνήμην. Νομίζομεν γὰρ τοὺς βουλομένους πραγμάτων ῥᾷστων ἀπόνως, ἀνεπαχθῶς, ῥᾳδίως μεμνῆσθαι δεῖν ἐν πράγμασι δυσκολωτέροις εἶναι πρῶτον γεγυμνασμένους. Διὰ τοῦτο καὶ τὴν τῶν λόγων μνήμην εἰσάγομεν, οὐχ ἵνα στίχου μεμνῆσθαι δυνώμεθα, ἀλλ' ὅπως ἂν ἐκ ταύτης τῆς ἀσκήσεως ἡ τῶν πραγμάτων μνήμη ἡ πρὸς ὠφέλειαν μάλιστα τείνουσα βεβαιωθείη, καὶ ἀπὸ τῆς δυσκόλου ταύτης συνηθείας ἀπόνως πρὸς τὴν ἐν ἐκείνοις εὐκολίαν διαβῆναι δυνηθείημεν. Ἀλλ' ὥσπερ ἐν παντὶ μαθήματι ἀσθενής ἐστιν ἡ τῆς τέχνης διδασκα- 40
λία χωρὶς ἄκρας προσεδρείας καὶ ἀσκήσεως, οὕτω δὴ καὶ ἐν ταῖς μνήμαις ἐπὶ πολὺ ἰσχύει ἡ μέθοδος, ὥστε τὴν εὐφυΐαν πόνῳ καὶ σπουδῇ καὶ ἐπιμελείᾳ συνεπιδοῦναι. Δεῖ γοῦν φροντίζειν, ὅπως ἕξεις πλείους τόπους καὶ ὡς μάλιστα ἁρμοδίους καὶ πρὸς τὰ διδαχθέντα συμβαίνοντας, καὶ γυμνάζεσθαι καθ' ἡμέραν ἐν τῷ τὰς εἰκόνας συντιθέναι. Οὐ γὰρ ὥσπερ ἐν ταῖς ἑτέραις σπουδαῖς καταγρώμεθα πολλάκις ἀσχολίᾳ τε καὶ περισπασμῷ, οὕτω καὶ ἀπὸ τούτου τοῦ πράγματος δύναταί τις ἡμᾶς αἰτία ἀπάγειν. Οὐ γάρ ἐστιν ὅτε οὐχ ἕξομέν τι δοῦναι τῇ μνήμῃ, καὶ μάλιστα ὅταν τινὶ μείζονι ὑπηρετήματι κατεχώμεθα. Διὰ τοῦτο εἴπερ ἔστιν ὠφέλιμον τὸ ῥᾳδίως μεμνῆσθαι, μή σε λανθανέτω, ὅτι τοσοῦτον ὠφέλιμόν ἐστιν, ὅσῳ πλείονι ζητεῖται καὶ λαμβάνεται πόνῳ. Πλείοσι λόγοις πρὸς ταύτην σε παρακαλεῖν δεῖν οὐχ ἡγούμεθα, ἵνα μὴ δόξωμεν ἢ τὴν σὴν σπουδὴν ἀπελπίζειν ἢ περὶ τοῦ πράγματος πλείω τῆς χρείας λέγειν φιλοτιμεῖσθαι.

Quodsi quondam Graecus auctor scriptoris ad Her. forte fortuna erit inuentus, eadem ratio quae inter Graecum Lati-

num Byzantinum scriptorem intercedat erit conspicua qualem etiamnunc licet cognoscere in comparandis Apollonio Dyscolo Prisciano Maximo Planude.

De editionibus typis impressis. Editiones Tullianas et rhetoricae ad Her. typis impressas enumerant cum aliae tum edit. Bipontin. uol. I 1780 p. LXXXI. CXIII Orellii Baiteri Onomast. I p. 197. 215. 218. 223: ego omnes enumerare neque possum neque debeo sed eas tantummodo quae praestantissimae fuerunt omnium quaeque mihi praesto esse poterant. Atque gloria editionis principis penes Venetos ubi anno prodiit 1470 Ciceronis rhetorica noua et uetus primum typis impressa a Nicolao Jenson curante Omnibono Vicetino. Quae editio mihi praesto non est: eae quibus utor Omniboni editiones Venetae a 1476. 1479 ad cod. classis E d similem factae sunt: quarum prior IV 54, 68 habet illud *post imperator et populi ro. factus est consul*; posterior eadem nisi quod *po. ro.* per compendia scriptum est. Omnibonum secuti plerique editores utriusque rhetoricae libros ad Her. posuerunt priores. Quem in hac re non secuta est editio Veneta anni 1481 'per Baptistam de Tortis' quamuis similis sit in reliquis. Nam sicuti codd. classis E plurimi priore loco habet rhetoricam ueterem cum Victorini explanatione, sequitur rhetorica ad Her. cum commentario docti cuiusdam illius temporis copioso et acuto. Repetita est editio anno 1483 in eadem officina satis mendose nec melior Veneta anni 1487 'per Marinum Saracenum' illorum simillima. Commentarii illius initium hoc est: 'Solebant maiores in exponendis libris multa inquirere quae nunc omittuntur. Titulus talis est: M. Tullii Ciceronis Rhetoricae nouae ad Herennium liber primus incipit. Noua ad differentiam ueteris quam in adolescentia scripsit. De qua in oratore ait: Qui libri a nobis exciderunt. Quamquam multi dicant aetate iam prouectum scripsisse propter eloquentiam maximam qua in illa usus est, nescientes Ciceroni ita ingenitam fuisse eloquentiam, ut et in curiis (*scrib.* cunis) uideatur ornate dicere potuisse.' Quibus operae pretium uidetur doctae explicationis haec specimina adiungere: IV 10, 15 'depultus] priscum est: nam antiqui loco s ponebant t ut pultare pro pulsare 12, 18 ad '*luci misimus cli*] inconcinna

est transitio quia facit obscuritatem: nam uoluit dicere lucili: sed diuisa syllaba addidit *c* a uerbo remotum'. Et IV 54, 67 scholion est: 'Gracchi memento] . . . Gracchus pater emilii et Caii graccorum', editio habet: *stultitiam nosce gracchi* unde apparet commentarium non ad hanc editionem sed ad librum manuscriptum pertinere qui praebeat l. s. '*stultitiae Gracchi memento* cod. l[1] similis. Tamen recte ille ad 55, 68 hic subsellium: 'hic nasica', denique ad 54, 68 'modo consul] uidetur dicere de maiore (*scribas* mario). in asiē proficiscitur: quoniam de minturnēsi palude fugit. post imperator] quia cum exercitu romam uenit' unde apparet editum esse illum commentarium satis neglegenter et hanc illius loci explicationem rectam quam denuo uiri docti huius saeculi protulerunt iam saec. XV inuentam, postea obliuione obrutam esse.

De Raphaelis Regii et Laurentii Vallae studiis.

Anno 1491 nouam lucem rhetoricae ad Her. attulit Raphael Regius Pataui et Venetiis qui docebat in dissertatione inscripta 'Utrum ars rhetorica ad Herenium Ciceroni falso inscribatur' quae illo anno edita est Venetiis cum eiusdem auctoris CC problematis in totidem institutionis oratoriae Quintiliani deprauationes. Qui cum Quintiliani interpretationi operam daret quem postea edidit et adnotauit Venetiis 1493 facile intellegere potuit hoc opus rhetori doctissimo et Tullii amantissimo cognitum non fuisse: praeterea recte agnouit stilum et characterem dicendi a Tulliano eloquio plane diuersum. Tum recte librum ne Gellio quidem Tullii esse uisum inde colligit quod ille XIII 6 'id uocabulum', inquit, 'quod dicitur uulgo barbarismus, qui ante Augusti aetatem pure atque integre locuti sunt an dixerint nondum equidem inueni'. Atqui ad Her. IV 12, 17 et barbarismus memoratur et soloecismus neque ideo illud argumentum minus probandum est, quod de usu uocabuli soloecismus quod usurpauit Lucilius FPR p. 174 errat idem Gellius V 20. Atque utinam sese intra hanc disputationem continuisset Regius: nam haec argumenta etiamnunc stant firmissima. Sed idem in auctore inueniendo et uacillauit et fluctuauit huc illuc cum modo auctorem esse dicat Cornificium qui nescio quo tempore uixerit modo Verginium Flauum qui sub Nerone modo sat ridi-

cule Timolaum qui sub Aureliano libros ad Her. conscripserit. Itaque cum illa argumenta quibus euicit Ciceronis librum non esse et egregia sint et firma et grauia, haec quae de nomine ueri auctoris proposuit ut confusa contorta falsa merito deridentur: quae ego modo tacite adnotationibus Regii in Quintilianum adsumptis quas Burmannus praef. in rhet. ad Her. p. XI. XII laudat ita correxi, ut intellegi quidem possint. Nam Regius in dissertatione s. s. exemplaris Gottingensis fol. paenultimo r.: 'Minime', inquit, 'tamen id est dissimulandum quod mihi pridem cum paduae profiterer: uulgatum quidam exceperunt. Cornificium uidelicet illius opusculi idcirco auctorem uideri quod Fabius Quintilianus eam statuum diuisionem: ac quaedam alia: quae in rhetoricis ad Herenium leguntur: Cornificio ipsi ascribit.' In quibus nomen Verginii satis mire cum nomine Cornificii in unum conflauit: conf. Quintil. III 6, 45. Quod ego ea de causa miror, quod hominem in hac ipsa re qua de studiosissime agitur tam grauiter errare ingenii esse uidetur minime subtilis et acuti nec placet orthographia uocabuli *Herenius* iam in exemplaribus anno 1476 impressis euitata. Sed ille qui scripsit Regium primum sensisse Ciceronis illud opus esse non posse, is his uerbis significat sese Regii dissertationem numquam uidisse. Qui l. s. fol. antepaenultimo r. haec scribit: 'Cum enim Laurentius Valla perquam acri uir iudicio quodam in libello asserat opusculum illud uix Cicerone esse dignum: et quidam citra omnem eorum quae contra dici possent: refutationem Ciceronis esse negent. plerique uero adduci non possint: ut illam a M. Tullii familia ueluti subditiciam putent summouendam' e. q. s. Et sub finem: 'Omnes namque et uerborum et sententiarum exornationes . . . iis etiam illustrantur exemplis quae fere de Ciceronis orationibus sumpta ad imitationem ipsius composita plerosque in ea detinent opinione: ut libros ad Herenium nulli alii quam Ciceroni ascribendos putent.' Haec cum scripserit Regius anno 1491 manifestum est hanc ipsam quaestionem iam multos annos inter doctos agitatam esse nec illum facem ueritatis praetulisse sed a Laurentio Valla traditam et prope extinctam denuo concussisse quo magis exardesceret. Anno 1445 Lau-

rentius Valla edidit inuectiuarum seu recriminationum in Barptolemaeum Facium Ligurem libros IV quos antequam componeret contentissimo studio librum de rhetorica ad Her. conscripserat et Facio inspiciundi copiam fecerat: conf. JVahlenus Sitzungsber. der Wien. Akad. d. W. 61, 1869 p. 58. 66 Laurentii Vallae opera omnia Basil. 1540 p. 628 ubi haec leguntur sat corrupta: 'Verum ut tibi respondeam, ubi Ciceroni detraxi? An quod in libello quem tibi ostendi, nondum edito, ubi parcius de loco quodam rhetoricae disputaui? Sed tu ubique non modo in maius extollis omnia, sed etiam mentiris. Ego in eo opere uolui probare Ciceronem nondum senem in prooemio quarti libri ad Herennium quo ab omnibus Graecis rhetoribus dissidet (*ita scripsi*: dixisset *uulgo*), Isocrate, Aristotele, Theophrasto caeterisque, a se quoque sene dissidere, qui in reliquis artis rhetoricae libris nec facit idem nec praecipit, praeterea a Latinis uniuersis et qui ante ipsum et qui postea fuerunt: in quo modestiam meam licet uideas, uir immodestissime, quod non mea persona, sed illorum ipsorum quorum causa locutus sum' (*hic deesse nonnulla uidentur*). Alterum libellum quem per eosdem dies ostendi differs ut est (es *uulgo*) incompositus. Graecos interponis, ad dialecticamque reuolueris' e. q. s.: conf. p. 462 *med.* Hi libri uidentur aut periisse aut ab auctore suppressi esse: nam in altero commiserat ut uerbum *parciturus* adhiberet ab inimicis postea multum derisum: conf. p. 462. Ego quamquam ex Laurentii operibus demonstrare non possum eum rhetoricam ad Her. ut spurium Tullii opus damnasse, tamen non habeo cur Regium erroris conuincam. Neque enim quidquam probabilius quam alterum illum libellum Vallae quem memorat Regius aut casu periisse sicuti alios eiusdem auctoris permultos aut ab auctore suppressum esse Regiumque etiamtunc aliquam iudicii illius quod Valla tulerat habuisse scientiam et cognitionem, cum et studiorum similitudine et professionis artissime cum illo fuerit coniunctus: quin etiam Vallae multa arguebatur sublegisse Regius qua de re conf. Quintilian. edit. Spalding. uol. I p. LXVII. Quis enim magis praeparatus et instructus uidetur fuisse ad hanc quaestionem soluendam quam Valla ille, qui l. s. p. 477

pronuntiet sese Quintilianum 'prope ad uerbum' tenere, p. 266 'neminem posse neque Quintilianum intelligere nisi Ciceronem optime teneat neque Ciceronem probe sequi, nisi Quintiliano pareat', quis acutior illis temporibus uixit et magis sagax, quam ille qui donationem Constantini spurium esse opus certis argumentis demonstrauerit? Praeterea irato animo Vallam fuisse et tamquam infesto aduersus libros ad Her. propterea quod Facius saepissime illis usus est in inuectiuis suis multis locis apparet: conf. p. 587 extr. 'permittit ars non quidem ista cuius toties mihi praecepta decantas', p. 581: 'uerba Ciceronis ad Her. qui libri sunt deliciae tuae', p. 510: 'quos tu mihi libros ab auctore suo non probatos uelut scholasticos scholasticus ipse semper ingeris et inculcas', p. 588: 'praesertim cum nunquam disceditis a libris Ciceronis ad Herennium scriptis, uix ut ipse autor fatetur, Cicerone dignis.' Quae uerba etiamsi illorum quae de Vallae iudicio Regius scripsit sint simillima, tamen ego neque ita turpiter errasse Regium sicuti ueteres qui illum impugnarunt uiri docti arbitrati sunt cum in Vallae libris illud de rhetorica ad Her. iudicium non inuenerint neque quattuor illos libros amplissimos in Facium *libellum* appellare ausim statuere: quod uocabulum multo magis uidetur innuere aut deperditum illum quem Valla bis l. s. s. uocat *libellum* de arte rhetorica ad Her. a se compositum aut alium quendam cuius memoria ad nos omnino non peruenerit.

Ingens autem illa Regii disputatione inter doctos orta est lis et tumultus qui aut Tullio egregium opus eripi per uim quererentur aut principem scriptorum opere nomine praeclaro indigno liberari exsultarent. Emunctae naris qui fuere Regium secuti sunt praeterquam quae de auctoribus satis inconstanter disputauit: qui impugnarunt nihil sani protulerunt haud doctis dictis certantes sed maledictis. Veluti quae editt. impressae sunt Venetiis 1496 et 1500 per Philippum Pincium Mantuanum continentes libros ad Her. cum commentariis Francisci Maturantii Perusini et Antonii Mancinelli et de inu. cum Victorini explanatione prooemii loco habent disputationem Mancinelli *rhetoricen ad Herennium esse Ciceronis* disserentis sat tenuiter et frigide: qui tamen

recte ad IV 54, 68 adnotant: *Mario haec oratio conuenisset.* In emendatione nihil praestitere nec melior Alexandri Minutiani editio totius Ciceronis princeps Mediolanensis anni 1498 cui tamen Regius persuaserat librum M. Tullii non esse. Qui ipse quoque utramque rhetoricam ex ordine editionis a. 1470 edidit Venetiis 1502: impugnat in prooemio eos qui *nuper grandia commenta in rhetoricam ad Her. certatim emiserunt*, cum satius sit librariorum menda tollere. Neque tamen ipse quicquam praestitit in hac re memoria dignum. Editiones Venetas secuntur Lipsiensis 1504 Iacobi Thanneri in qua primum IV 21, 29 recte bis ponitur *uincit*, Parisina a. 1508 a Iodoco Badio Ascensio curata cum doctis eiusdem auctoris prolegomenis in quibus librum ad Her. priore loco positum Tullio indignum iudicat. Neque non praestantissimus quisque criticorum Regii et probauerunt et confirmauerunt argumenta quibus commotus ille Tullio librum abiudicauit. Honoris causa nomino Angelum Decembrium Mediolanensem qui in libris de Politia literaria edit. Basil. 1562 p. 56 seqq. Catonis disticha Iuuenalis saturam ultimam Senecae epistolas ad Paulum Ciceronis libros ad Her. et partitiones oratorias ut spuria damnauit et Floridum Sabinum cuius disputatio exstat in Gruteri Lampade I p. 1033 seqq. qui facete scripsit haec rhetorica Herenniana Ciceroni non magis conuenire quam generoso equo asini macilenti clitellas: reliquorum et nomina et scripta enumerat Burmannus praef. p. XXV seqq., qui argumenta noua post Regium et Ascensium non protulerunt. Noua inde aetas incipit ab editione Aldi Veneta quae denuo ad libros manu scriptos facta est a. 1514 rhetorica Ciceronis complectens omnia. In qua multis locis codd. scriptura restituta est classis E, ueluti IV 12, 18 *Caecilius* posuit pro *Caelius* editorum, 54, 67 *inulti iacent*, 54, 68 *postremo* pro *po. ro.*, 49, 62 eodem modo suppleuit quo codd. l^1 l^3 de quo supra egimus p. 38: multis locis traditam scripturam admodum uiolenter mutauit, nonnullis egregie emendauit ueluti ille primus uocabula *mnemonica*, *mnemonicis* III 17, 30. 24. 40 recte constituit. In praefatione contra Tullium libri auctorem recte disputat et fol. 6 r. tradit in cod. quodam Romano antiquissimo librum nomine M. Gallionis

inscriptum esse sese accepisse ab aliis: quam in rem ut accuratius inquiramus nos nulla re commouemur. Pari auctoritate eorundem operum editio erat A. CRATANDRI Basilensis a. 1528 quae Aldinam sequitur illis quos posui locis receptis doctorum eorum quos in praef. enumerat JSichardi MBentini aliorum coniecturis: ueluti illa primum IV 12, 18 *Lucilii* nomen induxit et heroum effinxit. Maxima omnium cum gloria deinde cum Ciceronem tum libros ad Her. edidit emendatos Petrus VICTORIUS ille quem merito sospitatorem Ciceronis dicunt Venetiis apud Iuntam a. 1537 quae sola Victorianarum mihi praesto est. Secutus est in multis Aldinam et Cratandream: multa praeclare emendauit ipse ueluti *domuitionem* III 21, 34, *sufflata* IV 10, 15, *matris* 32, 43 posuit primus tum in uariarum lectionum libris Florentiae apud Iunctas 1582 editis p. 160. 250. 271 exempla IV 54, 67. 10, 14. 28, 39 prolata allatis aut Graecis aut Latinis auctoribus optime ille explanauit. Itaque quod Graeuius de Cicerone: 'uni Victorio', inquit, 'plus Cicero debet, quam reliquis omnibus qui in eo perpoliendo operam posuerunt', idem de scriptore ad Her. pronuntiandum erit. Neque tamen codd. meliorum auxilio adiutus editionem confecit: nam nusquam eius modi posuit lectiones, quales e libris manu scriptis petitas esse conieceris melioribus quam ei sunt quos nouimus. Tum primus omnium ausus est auctoris rhetoricae ad Her. nomen pronuntiare: nam l. s. scribit modo 'Auctor rhetorices ad Her. qui nunc esse Cornificius putatur' modo 'nec non (ut arbitror) Cornificius in IIII libro ad Her.' tum 'Cornificius in IIII libro de arte dicendi ad Her.' p. 160: qua in re secuti sunt Victorium Adrianus Turnebus in aduersariis Parisiis 1564 editis Dionysius Lambinus in notis ad de inu. I 50, 95 qui ad Her. II 16, 24 tamen adnotaret 'Cornificius siue quis alius' alii. Nec mirum: neque enim quicquam ueritati a Regio prolatae plus detrectauit quam quod ille ineptissime tres simul inuenerat auctores et Victorius cum ex Quintiliano rhetoricae ad Alexandrum in Commentarii in Aristotelis rhetorica praefatione edit. Basil. 1549 fol. 4 r. Anaximenem inuenerit auctorem ex eodem hercle scriptore rhetoricam ad Herennium suum sibi patrem posse inuenire confisus est.

Quae secuntur operum omnium editiones Dionysii Lambini Parisina a. 1566 Alexandri Scoti Lugdunensis a. 1588 quae mihi praesto non est Iani Guilelmii Iani Gruteri Hamburgensis a. 1618 quam iterauit Iacobus Gronouius Lugduni 1692 Io. Augusti Ernestii Lipsiensis a. 1737 ex eis longe plurima bona in libros ad Her. contulit Hamburgensis Gruteri propter codd. copiam qui editori praesto erant. Ianus enim Guilelmius Lubecensis itineribus per Galliam Belgium Germaniam factis plurima exemplaria contulerat cuius schedis usus Gruterus praeterea sex codd. Palatinis instructus haud pauca menda plerumque ex manuscriptorum auctoritate sustulit infestus Lambino quem passim acerbe castigat. Lambino nonnullas interpretationes et lectiones bonas suppeditarant Turnebi aduersaria a. 1564 Parisiis edita ueluti primus IV 54, 68 *Thasi* cum Turnebo ex cod. Memmiano ille restituit ubi antea *Tarsi* legebatur: quod IV 30, 41 coniecit *par certatio* a Grutero spretum id auctore Graeco adlato l. s. confirmauimus. Quos codices laudat Lambinus eos nobis praesto non esse aegre non ferimus sicuti Gruteri Palatinis Gronouii Mediceis Ernestii Lipsiensi aliis facile possumus carere. Scripturam continuam in capita primus diuisit Gruterus contemnens paragraphorum uel sectionum diuisionem quae facta erat in Scoti editione: utramque diuisionem satis incommodam in libris ad Her. prima exhibet Gronouiana quam ut uulgatam secuti sunt editores posteriores omnes. Praeterea obelo usus est Gruterus omnium fere primus ueluti ad exitum libri IV cap. LVI qui iam Angelum Decembrium offenderat (conf. Burmanni praef. p. XXIII) haec adnotat p. 241: 'Non agnosco aliquot sequentibus periodis Cornificium. Et mirum est nisi tota haec recapitulatio sit magistelli alicuius triuialis annumerantis minima maxima discipulis suis.' Qua in re omnes editores eius iudicium secuti sunt. Neque tamen etiamsi his uerbis sese Cornificii opus illud esse arbitrari significaret inscriptionem Lambini 'Incerti auctoris seu ut doctis quibusdam uidetur Cornificii rhetoricorum' e. q. s. ausus est commutare: quod ne Victorius quidem fecit in edit a. 1537 p. 1 et praef. fol. 2 u. neque Gronouius. Magnam deinde et copiosam utriusque rhetoricae

editionem inchoauerat Io. Georgius Graeuius cuius schedis post Graeuii mortem usus est Petrus Burmannus Secundus in editione Lugdunensi anni 1761 quam in Germania repetiit FLindemannus Lipsiae 1828 quorum neuter in emendatione multum boni praestitit: Burmannus tamen docte in prolegomenis de fatis librorum ad Her. disputauit quae etiam post LKayseri praefationem digna sunt quae legantur: conf. quae de his editt. exposita sunt in Onomastico Orelli-Baiterianae I p. 222. Additae sunt inde a p. 481 Io. Michaelis Bruti animaduersiones sumptae ex utriusque rhetoricae edit. Lugdunensi a. 1570 qui usus erat codd. bonis de quibus conf. supra p. 32 et Francisci Oudendorpii lectiones ex codd. illis Leidensibus petitae de quibus supra egimus p. 37 inde a p. 517. Nostro deinceps saeculo rhetorica ad Her. nouos inuenit et auctores et editores. Quorum quasi princeps est C. G. Schuetzius qui inter opera Ciceronis libros ad Her. Lipsiae 1804 edidit et in praefatione M. Antonium Gniphonem auctorem esse pronuntiauit. Atque de Gniphone quidem nemini persuasit: in emendatione tamen nonnihil profecit doctus et acutus, in spuriis inueniendis qua in re Gruterus praecesserat nimium curiosus. Noua aetas emendationis Tullianae incipit inde ab J. C. Orellii editione alteram dico quae ab Orellio JGBaitero curata Turici impressa est a. 1845. Qui primus operam dedit non multis sed bonis uel optimis codd. adhibendis inter quos erant Parisinus P Bambergensis b meliorque quam posteriores utriusque recensionis extitit in singulis locis iudex et arbiter, optimus fuisset, si non habuisset collationes pessimas. Solus deinde recentiorum rhetoricam ad Her. Cornificii nomine ornatam solam remotis Ciceronis libris edidit C. L. Kayserus Lipsiae 1854 apud eundem qui hanc redemit bybliopolam. Is XCI codicum lectiones in apparatu critico obscuro et difficili collocauit nimis copiosus quarum ingenti farragine iudicium uiro docto et sagaci saepenumero deprauatum esse nemo mirabitur. Quanto melius erat unum Bambergensem b quam potuit fieri accuratissime conferre item Parisinum P quia Halmii collatione codicis H satis commode poterat uti quam centuriam codicum in quibus uilissimi sunt et recentissimi adhibere neglegenter colla-

torum. Sed codd. b et P collationes — illum ipse contulerat, huius lectiones aliis debebat — neglegentissimae fuere multosque sicuti me induxerunt in graues errores nec iniuria queruntur de obscuritate Kayserianae PLangenus Philolog. XXXVI p. 483 alii. Sed ego quidem nolo inuehi in uirum egregium maleuolorum et fortunae inuidia quondam oppressum neque illi detrahere ausim his uerbis haerentem capiti cum multa laude coronam quam ei HUseneri pietas nuper imposuit. Laudandus est inprimis propter commentarium utilem et commodum, in emendandis uerbis saepe felix, in praefatione qua cum Victorio Turnebo Lambino Grutero librum Cornificio uindicauit multis persuasit in quibus me quoque quondam fuisse haud pudet referre. Post Gruterum et Schuetzium obelo usus est et abusus est plurimum in libri recensione quia neque hic neque illi naturam eius et compositionem satis perspexerant. Praeterea libri ad Her. denuo editi in Ciceronis rhetoricis ab eodem Lipsiae 1860 ex officina BTauchnitzii, a Guilelmo Friedrichio Lipsiae in aedibus BGTeubneri 1884. Haec habui quae de fatis librorum ad Her. et de studiis per XV saecula in eis collocatis dissererem. Quo facto ad quaestionem illam de auctore librorum ad Her. accedamus.

Nihil profecto uidetur dulcius esse philologis et criticis De libri auctore quam librum qui antiquitus falso uindicaretur auctori in sui patris et domini reuocare potestatem docta argumentatione. Ita grammatici antiqui nonnullis orationibus quae inter Demosthenicas edebantur nouos indagauerant auctores ueluti Hegesippum Dinarchum, Petrus Victorius rhetoricae ad Alexandrum Anaximenem, librorum ad Her. Cornificium secutus Regium auctorem esse statuit, patrum nostrorum memoria Boeckhius librum de rep. Atheniensium Critiae uindicauit, Naekius Pseudouergiliana illa Catoni, nuper Protagoras Cornutus Asinius Polio suos sibi inuenerunt libros. Qua in re illud potissimum mirandum est, quam paucis illi de nouis suis auctoribus persuaserint. Atque Cornificii quidem nomen ea potissimum de causa recte uidebatur inuentum esse, quod non uno sed pluribus locis Quintilianus non singula uerba sed tota enuntiata Cornificii alicuius adfert quae in libris

ad Her. inueniuntur omnia. Ego quia omnes Cornificii locos in editione ad uerbum exscripta attuli, relego lectores ad IV 14, 20. 15, 22. 18, 25. 19, 21. 22, 30. 25, 35. 29, 40. 36, 48. Sed illi qui arbitrantur Quintilianum adhibuisse rhetoricam ad Her. uehementer errant. Quorum in numero ego quoque antea fui quam utrumque scriptorem penitus noueram: quo facto abieci illam sententiam Berl. Philolog. Wochenschrift 1890 p. 1008 eadem usus argumentatione qua nunc utor cuius fundamenta postea inueni iam a ueteribus iacta ueluti a Ioanni Mario Mattio Brixiano in opinionum libris Alexandriae Statiellae editis anno 1598 p. 165 seqq. Neque uero Schuetzii probauerim argumentationem qui haec profert praef. p. XLI: 'Etenim Quintilianus non minus errare potuit, hos libros Cornificio tribuens, quam Priscianus eos Ciceroni assignans', sed his duabus de causis illum Cornificii librum a Quintiliano adhibitum rhetoricam ad Her. non esse censeo:

Primum aut oculi mihi caecuttiunt aut nusquam Quintilianus locum quendam adtulit Cornificii qui legatur in libris ad Her. I II III: ne eorum quidem quae libro IV cap. 1—12 praecepta leguntur de characteribus dicendi de barbarismo de compositione Quintilianus aut similia aut paria protulit sub Cornificii nomine: quod ex eis quos supra exscripsi numeris et ex cuiusuis editionis Quintilianeae indice facile discere licebit. Quare omnes eiusmodi suspiciones qualem Kayserus praef. p. VIII adn. 5 probauit cum diceret refutari praeceptum illud ad Her. I 10, 17 prolatum a Quintiliano IV 5, 3 ubi legitur: 'quapropter ne illos quidem probauerim qui partitionem uetant ultra tris propositiones extendere' ab eis qui caute et diligenter iudicant prorsus erunt abiciendae. Caue dicas Quintilianum parum accurate usum esse Cornificio: quem quam accuratissime edidicerat. Nam libro V cap. 10 ubi de argumentis agit non commeminit libri II ad Her. in quo argumentationes tractantur, sed figurae alicuius quae ad Her. IV 18, 25 *contrarium* appellatur quod ex ἐνθύμημα Graecorum conuersum est. Tamen satis constat ueteres priore parte librorum quos exscribebant magis usos esse quam posteriore aut exitu nec Quintilianus ab hac consuetudine alienus.

Deinde Quintilano Cornificius ille minime est artis scriptor siue τεχνογράφος, sed scriptor περὶ σχημάτων siue de figuris neque componi solet cum Hermagora Apollodoro Theodoro sed cum Rutilio Caecilio Dionysio. Veluti IX 3, 89 ubi de figuris agitur haec legimus: 'Haec omnia copiosius sunt exsecuti qui non ut partem operis transcurrerunt sed proprie libros huic operi dedicauerunt sicut Caecilius Dionysius Rutilius Cornificius Visellius aliique non pauci.' Et 98: 'Adicit his Caecilius περίφρασιν de qua dixi, Cornificius interrogationem e. q. s. Item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt, παρομολογίαν' e. q. s.: conf. 91. Atqui in libris ad Her. praecepta de figuris *pars operis* sunt sicuti in Quintiliani institutione neque librum IV totum continent sed duas tantummodo partes neque omnino ampliora sunt aut locupletiora quam Quintiliani praecepta. Itaque Cornificii illius opus simile erat atque illud Rutilii quod habemus et Caecilii quod ex Tiberio et Alexandro qui item proprie huic operi libros dedicauerunt qui etiamnunc exstant fere restituere licebit. Atque nequis dicat ex eis quae supra p. 4. 5 disputaui facile posse statui Quintilianum duo extrema tantum totius operis habuisse uolumina, hoc addo posse ne eis quidem integris usum esse Quintilianum: nam quae ad Her. IV 31, 42—35, 47 exstant praecepta de tropis adiectis exemplis, eorum similia ex illo Cornificio nusquam profert Quintilianus ubi de tropis egit. Itaque rectissime illum scriptorem dixit περὶ σχημάτων.

Haec duo argumenta cum per se sola nonnihil ualeant, inter se coniuncta et firmissima et grauissima omnium esse concedendum est. Ex eis quae Quintil. III 1, 21 posuit: 'Scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio, accuratius uero priores Gallione Celsus et Laenas et aetatis nostrae Verginius, Plinius, Tutilius' id certe efficitur cum eis qui artes totas composuerunt copiose et accurate quales sunt Plinius Celsus Verginius non consociari Cornificium, sed cum eis qui *non pauca, aliqua, nonnihil* de rhetorica conscripserint. Usus autem est Quintilianus Cornificii libro de figuris eo quo solent antiqui pacto: nam longe plurima exscripsit ex priore eius parte in qua σχήματα λέξεως erant, ad finem

libri sensim rariora et pauciora ex figuris sententiarum desumpta.

His duobus argumentis alia quaedam possunt addi quae separatim dicta minuta et infirma sunt, cum prioribus coniuncta rem perspicuam facere uidentur. Veluti Quintilianum opus illud ad Her. adulescentulo cuidam ex commentariolis suis excidisse nec dignum esse quod a se usurparetur equidem puto uel ex postremo libri IV capite statim cognouisse. Praeterea libros ad Her. non tamquam publici iuris factos fuisse sed in usum amici et cognati ita conscriptos ut intra domus Herennianae limina sese continerent demonstrabitur: unde factum est ut neque Quintilianus neque eorum qui post eum neque qui ante eum erant quisquam Romae illis uteretur aut uti posset. Denique quae ex Cornificii libro a Quintiliano afferuntur IX 3, 69 seqq. ea non eadem praebet liber ad Her. IV 14, 21. 21, 29. Nam ille 'aliter quoque', inquit 'uoces aut eaedem diuersa in significatione ponuntur aut productione tantum uel correptione mutatae: quod etiam in iocis frigidum equidem tradi inter praecepta miror eorumque exempla uitandi potius quam imitandi gratia pono: amari iucundum est, si curetur nequid insit amari. auium dulcedo ad auium ducit ... Cornificius hanc traductionem uocat' e. q. s. At in libro ad Her. hoc posterius exemplum non ad traductionem pertinet sed ad adnominationem IV 21, 29. Quae secuntur apud Quintilianum 72: 'pessimum uero: ne patres conscripti uideantur circumscripti. raro euenit, sed uehementer uenit', eorum prius illud exemplum paulo aliter legitur constitutum ad Her. IV 22, 30 ... 'ne omnino patres conscripti circumscripti putentur', posterius hac de causa ex Cornificio sumptum esse probabile est, quod ad Her. IV 19, 26 saepius similia illa satis frigida leguntur: 'illud tardius et rarius uenit, hoc crebrius et celerius peruenit.' Quod Quintilianus IX 3, 85 ad eandem figuram explicandam quam scriptor ad Her. exemplo illo 'esse oportet ut uiuas non uiuere ut edas' illustrauit IV 28, 39 attulit exemplum 'non ut edam uiuo sed ut uiuam edo', id exemplum potest esse translatum et ex Graeco quodam rhetore et ex Cornificio.

Itaque hoc certum est Cornificii librum illum quo usus

est Quintilianus minime illum quidem fuisse rhetoricam ad Herennium sed librum de figuris compositum qualem composuere Tiberius Alexander Rutilius Aquila Iulius Rufinianus alii. Cornificii autem liber de figuris conscriptus est post rhetoricam ad Her. Nam in adnominationis et traductionis doctrina ueterem et genuinam doctrinam scriptor ad Her. protulit, ille nouam quandam et male mutatam: in reliquis fere ad uerbum alter cum altero consentiunt. Neque uero inde efficitur Cornificium auctorem rhetoricae ad Her. fuisse: quod nec probari potest certis rationibus nec omnino probabile est. Absurdum enim est statuere et absonum eum qui in totius operis transcursu satis abundanter et copiose de figuris egerit eandem rem eodem ordine eisdem uerbis eisdem additis exemplis retractauisse: qua opus omnino non erat retractatione neque ille crambes repetitae conuicium effugisset. Neque uero inuentorem sese esse huius doctrinae de figuris scriptor ad Her. aut IV 7, 10 aut alibi pronuntiauit neque sese primum nomina Graeca conuertisse l. s. testatus est neque si hoc fecisset, nos crederemus: qua de re infra in capite quod est de fide scriptoris ad Her. agetur pluribus. Sed ipse ille consensus utriusque operis magni pretii erit ad librorum ad Her. indolem et naturam recte aestimandam: qui nullo pacto poterit explicari nisi utrumque scriptorem praeceptoris eiusdem sermones uel dictata in commentariolos suos rettulisse statuemus.

Ergo quis auctor fuerit librorum ad Her. nos omnino nescimus. Schuetzium uero qui M. Antonium Gniphonem inuenit auctorem — quidni Ateium Philologum? interrogat HGraffius Mél. Gréco-Rom. II p. 320 — et ACvanHeusdeum qui L. Aelium Stilonem commendauit in disquisitione de L. Aelio Stilone Traiecti ad Rhenum 1839 edita eos nos pluribus non refutabimus ueriti ne bybliopola paginas et cartam deneget disputationibus superuacaneis.

Neque minor sane difficultas quam illa quae est in auctore inueniendo exstat in libri titulo restituendo: nam ueterem inscriptionem operis una cum auctoris nomine antiquitus periisse summopere probabile est. Nihil uero huc pertinent eiusmodi nomina qualia ex comparatione librorum De titulo operis ad. Her.

de inu. nata esse medio aeuo demonstrauimus supra p. 51. 52 ueluti 'rhetorica secunda' uel 'noua' neque illud nomen librorum de inu. quod saec. IX inuenimus usurpatum in scholio cod. C notis Tironianis conscripto fol. 3 r. 'Victorinus in maiore arte Ciceronis dicit' e. q. s. quicquam aliud nos docebit nisi saec. IX libros ad Her. et uisos esse et dictos nonnullis artem minorem M. Tullii. Atque codd. illo saec. scriptorum subscriptiones in nomine libri fluctuant cum H habeat 'M. Tullii Ciceronis ad Herennium liber VI de arte rethorica explicit', PB rectius 'M. Tulli Ciceronis ad Herennium liber VI explicit': nam librarius cod. H ut genetiuum ita totam subscriptionem uidetur dilatasse adhibitis uerbis illis in fine libri IV positis: 'Ergo amplius in arte rhetorica nihil est.' Nimirum traditam fuisse antiquitus illam codd. PB subscriptionem apparet collatis eis quae adfert Priscianus ex libris ad Her. qui ubique 'Cicero in II ad Her.' uel 'Cicero ad Her. libro III' similiter scripsit: quod GL II p. 104, 7 editur 'ad Herennium tertio libro artis rhetoricae' id ex interpolatione amplificatum esse trium uerborum, codicum scripturae euincunt inter se discrepantes. Tum quae apud Rufinum leguntur GL VI p. 568: 'Cicero ad Herennium in arte sic' p. 577: 'Cicero ad Herennium in arte rhetorica ... sic' ea conferenda sunt cum subscriptione cod. H et illo Prisciani loco non quo arbitrer uerba postrema additamentum esse librarii, sed Rufini ipsius. Nam ueterem titulum fuisse *Cicero ad Herennium* cum ex locis Hieronymi supra p. 8 adlatis tum inde apparet, quod haec uerba semper priora collocantur neque usquam legitur *Cicero in arte* uel *de arte rhetorica ad Herennium* sed illo quo in exemplis supra allatis cognoscere licet ordine. Etiam codicis Laudensis index in annal. philolog. uol. 131 p. 106 ab Heerdegeno enarratus enumerat: *Rhetoricarum* (scribas *Rhetoricorum*): *ad Herennium rhetorica*: *de oratore* e. q. s. Unde efficitur illum qui medio saec. IV librum denuo edidit primus praeter Ciceronis nomen nihil inscripsisse quam illud *ad Herennium* quod ex prooemiis singulorum librorum nouerat: ne praenomen quidem addi putabat oportere. Vetus igitur index libri aut periisse aut per uim sublatus esse putandus est. Atque uerum certis

rationibus titulum librorum ad Her. non possumus restituere, probabilibus rationibus possumus. Cicero illa quae in schola didicerat et ex commentariolis suis ediderat *rhetorica* appellauit siue ῥητορικά secundum Quintil. II 14, 4: nam dicebant *rhetorica discere* sicuti Ennius scripserat *rhetorica tongent* in Sota, sicuti ad Her. III 17, 30 legitur *qui nemonica didicerunt*, apud Petron. 58 ille cerebrosus *non didici*, inquit, *geometrias, critica et alogias, menias* cum de Iliadis primo uersu cogitet: conf. Philodem. de rhet. p. 320, 8 edit. Sudhaus. Itaque nostrum scriptorem libros suos ad Her. inscribere potuisse *rhetoricon* quamquam hoc uerbo nusquam utitur non negandum esset, nisi illum pro suo Graecorum et Graecanicorum odio Latinum uocabulum ubi posset praetulisse transmarino ualde probabile esset. Quod idem cadit in illud nomen *ars rhetorica* quo saepe usus est necessitate coactus sicuti ne *ars grammatica* quidem IV 12, 17 alio modo poterat dici. Itaque ex prooemio totius operis uerbis illis: *tamen tua nos C. Herenni uoluntas commouit ut* de ratione dicendi *conscriberemus* . . . *nos autem ea quae uidebantur pertinere ad* rationem dicendi *sumpsimus* e. q. s. quae solum et singulare sunt huius quaestionis fundamentum nos librum ad Her. *de ratione dicendi* inscripsimus cum hac de causa quod scriptores in principio operis saepenumero constat titulum aut posuisse aut spectasse ueluti Lucretius I 25 tum ideo quod uetustissimus omnium liber de rhetorica Latine scriptus de quo aliquid traditum est memoriae illo titulo ornatus fuisse cognoscitur ex Cic. Brut. 44, 163 ubi Brutus: '. . . uellem aliquid Antonio praeter illum *de ratione dicendi* sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere.' Eiusmodi denique opera rhetorica spectat Cicero cum scribat partit. orat. 1, 1 'Studeo mi pater Latine audire ex te ea quae mihi tu *de ratione dicendi* Graece tradidisti.' Absoluta igitur quaestione de titulo librorum ad Her. iam de tota indole ac natura operis erit agendum.

Illi qui auctorem rhetoricae de qua agimus rhetorem ad Her. appellarunt etiam magis peccarunt quam si quis M. Tullium rhetorem dixerit: nam rhetor minime erat sed homo non nobili ille quidem sed honesto loco natus qui ea qua solebant aetate rhetoris schola usus erat. Quae aetas De natura et indole librorum ad Her.

nonnullis nostri saeculi hominibus prouectior uidetur fuisse quam reuera erat ideo quod nobis illa rhetorum doctrina qualis est de constitutionibus et subtilis uidetur et difficilis et impedita quae olim a pueris aut nullis aut perpaucis aliis disciplinis perturbatis facillime ediscebatur. Nam totam illam doctrinam Cicero in libris de or. et contemnit et praeterit ut *puerilem* I 6, 23. 57, 244. III 10, 38 ludo ludique magistro dignam II 24, 100 rhetorumque illa praecepta uocat *peruulgata* II 18, 75. 38, 161. III 37, 148. 49, 188. 55, 209 hominibus aetate et studiis prouectioribus maxime indigna. Itaque eiusmodi artes institutionem puerilem continentes scriptores elegantiores fere non componebant nisi qui rhetores erant et profitebantur aut disciplinarum libros aut omnium aut plurimarum conscripserunt sicuti Varro Celsus Capella alii. Plurimi autem libri eiusmodi componebantur more maiorum a patribus ad filios instituendos sicuti Ciceronis partitiones oratoriae uel ab adulescentulis aut in ipsorum usum sicuti Ciceronis libri de inu. aut in usum amici et cognati cui donarentur sicuti libri ad Her. Sulpicius Victor ad M. Silonem generum talem librum misit cum hac epistula ap. Halmium RLM p. 313: 'Sulpicius Victor M. Siloni genero. Quod frequenter a me postulabas uideor expedisse. Contuli in ordinem ea quae fere de oratoria arte traduntur secundum institutum magistrorum meorum, Zenonis praecepta maxime persecutus, ita tamen ut ex arbitrio meo aliqua praeterirem, pleraque ordine immutato referrem, nonnulla ex aliis quae necessaria uidebantur insererem. Recte an perperam fecerim, tu iudicabis: nec enim uolo haec in multorum manus peruenire.' Cui epistolae simillima sane prooemia et epilogi sunt librorum ad Her.: utrumque nimirum opus pertinet ad illud genus litterarum quod isagogicum appellat LMercklinus Philologi IV p. 413 seqq.

De Ciceronis libris de inu.

Atque Cicero eiusmodi scripta ut agrestes plane contemnit in libris de or. fratre consentiente II 3, 10 et libros de inu. sibi puero aut adulescentulo *ex commentariolis suis inchoata ac rudia* excidisse conqueritur I 2, 5 M. que Antonium similiter inducit querentem de libello illo de ratione dicendi I 21, 94 'qui se imprudente et inuito exciderit et

peruenerit in manus hominum'. Quodsi M. Tullius scisset fore ut partitiones oratoriae quas uiuus silentio oppressit se mortuo in uulgus ederentur, non dubitandum est quin eodem modo de illis conquesturus fuerit atque M. Antonium de suo libro illic fecit querentem. De omnibus istiusmodi libris stat Quintiliani sententia et interpretatio quam III 6, 59 protulit ille de libris de inu.: 'Sunt enim', inquit, 'uelut regestae in hos commentarios quos adulescens deduxerat scholae et si qua est in iis culpa tradentis est.' Quis fuerit ille cuius praecepta Cicero in libris de inu. exposuit, plane incertum est neque omnino constat de tempore. Sed non est cur illud quod tradit Cicero sese puerum aut adulescentulum libros de inu. conscripsisse ad tempus definiendum reiciamus. In quibus nulla res commemoratur acta aut bello Marsico aut post bellum Marsicum: quae II 37, 111 commemorantur pertinent ad annum 659/95, causa Curiana qua de agitur II 42, 122 acta est ante annum 663/91, tum I 49, 92 ubi legitur 'ut si quis apud equites Romanos cupidos iudicandi Caepionis legem iudiciariam laudet' notandum est quod Caepionis legem anno 648/106 latam nominat non illam Liuii Drusi anno 663/91 latam, quae simillima fuerit Seruiliae qua de re conf. ThMommsenus Römisches Staatsrecht III (1887) 1 p. 532. Quam diuersa est in hac re rhetorica ad Her.! Quam qui legit sibi uidetur audire tumultum Marsicum et Marianum, sociorum querelas et fremitus, nobiles Romae sese inuicem arguentes calumniantes, sentire iudiciorum strepitum lege Varia lata, tum Sulpicii turbas leges exitum tristem ac funestum. Itaque neque Ciceroni neque illi argumento ex libris de inu. sumpto fidem nos negamus statuentes Ciceronem praecepta illa quae in libris de inu. seruantur audisse intra annos IV illos inde a 660/94 ad 663/91 quo tempore *puerum* rhetoricae sedulo operam nauasse natum annos fere XV constat Suetonii testimonio de rhet. 2. Atque ne quis qua de re iam supra dixi p. 76 studia rhetorica arbitretur hominum aetate prouectiorum esse quam illo tempore erat Cicero, hoc loco addo illud quod Tacit. dialog. 34 monet paullum correctum, L. Crassum accusasse anno aetatis XXI C. Carbonem, C. Caesarem XXIII Dolabellam,

Polionem XXII C. Catonem, Caluum admodum adulescentem Vatinium eis orationibus, quas posteri cum admiratione legebant, tum Atratinum annos natum septendecim accusasse Caelium oratorem secundum Hieronymum ad Abrah. 1996, Octauianum XII annum agentem auiam, Tiberium Caesarem nouem natum annos defunctum patrem pro rostris laudasse. Schola autem rhetoris utebantur praetextati: conf. Suet. de rhet. 1 Auson. profess. Burdig. XVIII 7 p. 65 Peiper XVII 10 p. 64: 'pueros . . . formasti metam prope puberis aeui.' Veluti Persius inde a XII usque ad XVI annum quo a Cornuto in philosophiam inductus est audiuit rhetorem Verginium Flauum, ut in uita eius traditur Sueton. p. 73 R, M. Tullius M. f. Q. Tullius Q. f. Cicerones anno 700/54 exercentur apud Paeonium rhetorem auctore M. Cicerone patre ad Q. fratrem III 3, 4 cum ille fuerit XI hic XII annorum. Itaque Ciceronem illa qua posui aetate rhetoricis institutum esse uix poterit negari.

Sed quando libros de inu. ediderit plane incertum est. Qua in re illud considerandum est prooemia utriusque libri a praeceptis plane aliena esse et ab auctore ex prooemiorum quadam collectione qua in scriptis philosophicis etiam postea usus est, in libris II. III. de legibus usurus erat adsumpta: quales libros prooemia continentes commemorat ad Att. XVI 6, 4 (conf. XIII 32, 2) Plin. epist. II 5, 12 scriptor ad Her. III 23, 39. Atque prooemia illa librorum de inu. satis eleganter scripta sunt et polite: in praeceptis ipsis rudia nonnulla inueniuntur et inculta quorum similia in reliquis Tullianis aegre inuenias quale est illud quod II 27, 82 legitur enuntiatum: 'extrema est ut in comparatione adsumptio iudicationis et de ea per amplificationem ex deliberationis praeceptis dictio.' Tota uero librorum de inu. natura et compositio ea est ut Cicero non uideatur sua conscripsisse sed aliena aut exscripsisse aut descripsisse dictata. Errant igitur qui prooemiis illis utantur ad auctorem Graecum quem Cicero secutus sit in libris de inu. inuestigandum quorum de tempore praeter illa quae modo enarraui nullum aliud poterit adferri argumentum quam quod I 4, 5 Gracchos laudauit his uerbis: 'Quod nostrum illum non fugit Catonem neque Laelium neque eorum ut uere

dicam discipulum Africanum neque Gracchos Africani nepotes: quibus in hominibus erat summa uirtus et summa uirtute amplificata auctoritas et quae et his rebus ornamento et reipublicae praesidio esset eloquentia.' Quo loco iam Grillius in Halmii RLM p. 598 adnotauit: 'sed quaeritur cur hic optimos rhetores Gracchos enumeret cum eos constet conturbasse remp.' Quippe eodem modo quo Grillius de Gracchis iudicat Cicero in scriptis philosophicis et rhetoricis posterioris aetatis de or. I 9, 38 de legg. III 9, 20 de fin. IV 24, 65, eodem modo cum apud patres conscriptos loquitur in Catil. I 12, 29 de harusp. resp. 19, 41, alio modo cum apud Quirites contionatur pro Rabir. perd. 4, 12. 5, 14 de lege agr. II 5, 10. Quibus locis comparatis nihil colligi potest nisi libros de inu. eo tempore editos esse quo popularibus auctor faueret: quod tempus accuratius nos quidem definire non possumus.

De illo praeceptore Ciceronis cuius disciplinam in libris de inu. litteris tradidit nihil est quod erui possit certa argumentatione. Nam ipse admodum pauca de doctoribus quibus usus est adulescentulus tradidit in Bruto 90, 310 alibi, nihil de M. Antonio Gniphone quem praetor audiuit secundum Suet. de gramm. 7. Nos duo tantummodo nouimus quorum adulescentulus institutione usus est: L. Aelium Stilonem et M. Pupium Pisonem cos. anni 693/61. De quo Asconius p. 14 edit. K. S: 'Fuit', inquit, '. . . eisdem temporibus quibus Cicero sed tanto aetate maior, ut adulescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret quod in eo et antiquae uitae similitudo et multae erant litterae: orator quoque melior quam frequentior habitus est.' Sed Cicero ipse de Pisone loquitur in Bruto 67, 236. 68, 240. 90, 310 non ut de praeceptore sed ut de sodali suo: apud ueteres famam tamen fuisse Ciceronem puerum praeceptore usum esse Pisone intellegitur ex inuectiua illa Sallustii nomine inscripta 1, 2. Maluit uero Cicero cum Brutum componeret sese appellare Aelii Stilonis discipulum l. s. 56, 207 qui optimatium fautor fuerit acerrimus quam Pisonis qui nobilitatis partibus alienus erat sicuti 89, 306 Q. Mucium P. f. Pontificem doctorem suum fuisse tradit a Damasippo occisum, tacet de Q. Mucio Q. f. Augure Marii patrono et fautore cuius nomen editores non

recte l. s. contra codd. auctoritatem posuere collato Lael. 1, 1. Atque de Stilone haud inscite cogitauit van Heusdeus in disquisitione de L. Aelio p. 47 seqq. 107 cum temporum ratio egregrie concinat. Nam Cicero sese Aelium studiis rhetoricis operam dantem audisse tradit anno 664/90 ineunte Brut. 56, 206: accedit quod in libris de inu. nonnulla insunt quae insulam Rhodum aperte spectant ubi Stilo Metellum Numidicum in exsilium comitatus anno 654/100 'legendo et audiendo magnos uiros auocabatur': conf. Suet. de gramm. 3 Liu. perioch. 69. At Aelius Stilo Stoicus esse uoluit ut tradit Cicero Brut. 56, 206: libri de inu. potius ex Peripateticorum schola profecti esse uidentur, quamquam in definitionibus quae ex Hermagorae libris desumpta esse possunt nonnulla inueniuntur Stoicis probata. Nam Stoicorum laudatur nemo, Aristoteles Theophrastus saepissime, ex Aristotelis rhetoricae denique II cap. 23 nonnulla ad uerbum translata esse de inu. I 30, 46. 47 iam Petrus Victorius animaduertit et Cicero ipse I 35, 61 sese sequi Aristotelis et Theophrasti sectatores dilucide indicauit. Quae omnia magis commendant Pisonem illum, Staseae Peripatetici amicum (de or. I 22, 104 de fin. V 3, 8. 25, 75), Peripateticorum sectatorem omnium celeberrimum (de nat. deor. I 7, 16) quem Cicero libro de fin. V inducat Peripateticorum praecepta enarrantem. Etiam illa quae supra p. 78. 79 de Gracchorum laude (de inu. I 4, 5) disputauimus, possunt quodammodo commendare nomen Pisonis quem Cicero consularis et nobilitatis fautor factus acerbissime castigat ab optimatibus seiunctum ad Attic. I 13, 2. Sed haec incerta: nos ea exponere debebamus quo magis postea cum de libris ad Her. agemus possimus omittere quid de libris de inu. sentiamus exponere. De quibus hoc unum constare iudico praecepta omnia quae ibi enarrantur exposita fuisse a magistro ante bellum Marsicum: quando editi sint, indagari non iam potest.

De commentariis scholasticis.

Libros igitur de inu. σχολικὸν ὑπόμνημα dici oportet de quo genere commentariorum conf. KLehrsius Aristarchi[2] p. 22 Quintil. inst. or. prooem. 7 VIII 3, 76 Seneca controu. I praef. 11 Tacit. dialog. 20. Conscripti sunt ad dictata magistri Latini: nam Graecus homo uersus Ennii aut Plauti

neque suppeditare potuit neque laudare ab aliis prolatos. Is porro praeceptor Latinus Graecam quandam artem in suum usum conuertit adhibuitque simul rhetoricorum Graecorum translationes uetustiores. Nam ita factum esse inde ab antiquissimis temporibus usque ad Theodorici regis aetatem innumera euincunt exempla. Grammatica Graeca postquam inuecta est in urbem et nouam et felicem inter Latinos genuit doctrinam: rhetores Latini per omnia saecula qui florebant nihil nisi Graecorum praecepta decantabant Latine nec potuit rhetorica umquam nec philosophia Graecum illum ac peregrinum abicere colorem. Quod etiam hodie in artis uocabulis perspicuum est: in grammatica Latine dicuntur et intelleguntur, in rhetorica Graece. Interroga puerum quid sit μετοχή, σύνδεσμος, αἰτιατική: non habebit quod respondeat. At si participium, coniunctionem, accusatiuum appellaueris, facile se inueniet. Contra qui cito intelleget quid sit hyperbole, metaphora, apostrophe, metonymia, in uocabulis qualia sunt superlatio, translatio, exclamatio, denominatio haesitabit, cum numquam ita usu fuerint trita et recepta, ut non potuerit rhetor aliquis Latinus ea nouis uocabulis uertere Latine. Iuuenalis in satura VII in qua ad exemplum Orbilii illius professorum exposuit iniurias et aerumnas u. 177 rhetorem iubet scindere Theodori artem, grammaticum u. 215 inducit artem Palaemonis tractantem. Itaque ea potissimum in rhetoricis Latinis ualeat necesse est regula et norma tractandis: mera apographa ea esse additis tantummodo uerbis. Quare sane fieri potuit ut Cicero cum modo hunc modo illum sequatur auctorem Graecum, alia docuerit in libris de inu., alia in libris de or., alia in partitionibus, ubi nil fecit nisi ut Academici alicuius Philonis ni fallimur praecepta modo Graece tradita uerteret additis exemplis perpaucis Latinis: nec magni fecit quod in libro de or. I 31, 139 constitutiones quattuor, II 30, 132 tres, III 19, 70 quattuor esse debere interlocutores docere lector potuit suo iure mirari. Ergo in libris de inu. seruata nobis est ars quaedam Graeca quae Ciceronis praeceptor eodem modo uertit Latine quo C. Valgius Apollodori praecepta, Iuba Heliodori metrica, Hieronymus Eusebii chronica, Priscianus

Apollonii syntaxin. Praecepta autem quaedam aut doctrinam rhetoricam homines Romani numquam nouarunt: ne rhetores quidem, qui profitebantur, nedum pueri illi aut adulescentuli qui commentariolos suos sedulo elucubrabant.

Quae modo de libris de inu. exposui, eadem omnia cadunt in rhetoricam ad Herennium. De qua uix quicquam potuit statui peruersius quam illud quod statuit van Heusdeus scriptam eam esse ab Aelio Stilone sene, eruditissimo, Stoico, nobilium fautore acerrimo: nam conscripta est ab adulescentulo immaturo et satis indocto, in qua Stoici et dialectici ridentur et contemnuntur, nobiles tantum non acerbissime impugnantur. Atque quoniam statim demonstrabitur eam esse *σχολικὸν ὑπόμνημα* nos in libro tractando eadem ratione qua supra usi sumus statuemus omnia praecepta illa arte comprehensa non scriptoris sed *tradentis* esse, rhetoris dico Latini qui rursus minime tradiderit eam quam ipse inuenerit doctrinam sed artis cuiusdam Graecae praecepta docuerit uerbis Latinis. Atque primum quidem librum illum *σχολικὸν* esse *ὑπόμνημα* neque maturi sed adulescentis ingenii opus multis locis clare apparet. Neque enim quisquam scriptorum Latinorum similiter sese puerum adhuc esse significauit quam ille ad Her. I 11, 18 his uerbis: 'Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tres putauit esse non ut de illorum quicquam detraheret inuentione sed ut ostenderet id quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter ac bipertito.' Fac M. Ciceronem in scripto aliquo haec ita posuisse: quodsi fecisset scripta ea esse a Cicerone scholastico et admodum adulescentulo qui nihil nisi tradentis praecepta posset transscribere uehementer decurtata quilibet facile iudicaret. Nam ea quae praeceptor Latinus Graeca sua arte usus uberius sine dubio de illa falsa partitione exposuerat, ea in libris ad Her. nusquam leguntur. Idem IV 56, 69 sese nonnihil profecisse in rhetorica schola his uerbis scribit: 'Nam et simul libenter exerceamur propter amicitiam, cuius initium cognatio facit, cetera philosophiae ratio confirmabit, et nobis non diffidimus propterea quod et aliquantulum processimus, et alia sunt meliora, quae multo intentius petimus in uita ut

etiamsi non peruenerimus in dicendo, quo uolumus, parua pars uitae perfectissimae desideretur.' Quibus uerbis non utitur rhetor aliquis, sed is cuius successum magister scholae rhetoricae modo laudarat, qui schola rhetorica modo relicta cum philosophiae operam dat illam disciplinam didicit contemnere prae noua et praestantiore. Sicuti in exitu operis ita in initio sese 'id ipsum quod datur otii libentius in philosophia consumere' consuesse scribit. Quapropter nos eum eadem fere aetate fuisse statuemus qua Persius qui relicta Verginii Flaui schola annos natus XVI ad Cornutum philosophum se contulit (Suet. p. 73 R) et Vergilius qui Hipponacteo illo propemptico prosecutus est scholam rhetoricam modo relictam apud Baehrensium PLM II p. 165: 'Ite hinc inanes, ite rhetorum ampullae inflata rore non Achaico uerba . . . scholasticorum natio madens pingui, ite hinc inane cymbalon iuuentutis . . . nos ad beati uela mittimus portus magni petentes docta dicta Sironis uitamque ab omni uindicabimus cura.' En habes uitam illam perfectissimam quam laudat scriptor l. s.: etenim Philodemus docet Epicureus de rhetorica edit. Sudhaus. p. 250, 29 *τῶν δὲ ῥητόρων ἡ τέχνη πρὸς οὐδὲν ἐπιδείκνυται τῶν εἰς μακάριον βίον ἀνηκόντων χρησιμεύουσα*: conf. p. 260, 11. Nimirum Epicuri praeceptis scriptorem ad Her. operam dedisse cum ideo sit probabile, quod nulli illis temporibus haeresi plures per totam Italiam sese dederant, tum uerba illa nos commonefaciunt uersus Lucretii III 323 'ut nil impediat dignam dis degere uitam' (conf. V 1152) et Epicuri ipsius praeconii (p. 66 edit. Usener) *ζήσεις δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. οὐθὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζώῳ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς.* Accedit quod l. s. amicitiam tantopere commendat et in praeceptis nonnulla aut a magistro tradita tolerauit aut ipse inseruit quae ex Epicuri schola profecta esse uideantur, cuius sectatores fuisse inter grammaticos Pompilium Andronicum et Aurelii Opillii qui rhetoricam quoque docebat patronum tradit Suet. de gramm. 6. 8. Nam acerbissime scriptor ad Her. inuehitur in dialecticos II 11, 16 ubi 'Verum', inquit, 'horum pueriles opiniones rectissimis rationibus cum uoles refellemus.' Atqui Epicurei auctore Laert. Diog. X 31 *τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκι-*

De philosophia scriptoris ad Her

μάζουσιν. Quare nos ex locis ab HUsenero Epicur. p. 178 de hac re conlatis Hieronymi uerbis contra Rufin. I 30 uol. II p. 487 b utemur quibus ita scriptorem adloquemur: 'Et quoniam Stoici logicam sibi uindicant et tu huius scientiae deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es.' Nec non in aliis partibus Epicureum eum fuisse cognoscitur. Nam II 21, 34 hoc utitur exemplo quod in libris de inu. non inuenitur: 'Duae res sunt, iudices, quae omnes ad maleficium inpellant, luxuries et auaritia. Quid amor? inquiet quispiam? quid ambitio? quid religio? quid metus mortis? quid imperii cupiditas?' Quibus in uerbis nemo non reminiscitur Lucretiani illius ἐπιφωνήματος I 101 'tantum religio potuit suadere malorum' neque quicquam magis proprium est Epicureorum quam mortis metus cum religione consociatus ueluti Lucretii II 44 'religiones effugiunt animo pauidae mortisque timores tum uacuum corpus lincunt.' Praecipue denique conferendi uu. Lucretii III 59 seqq.: 'Denique auarities et honorum caeca cupido quae miseros homines cogunt transscendere fines iuris et interdum socios scelerum atque ministros noctes atque dies niti praestante labore ad summas emergere opes, haec uolnera uitae non minimam partem mortis formidine aluntur. Turpis enim ferme contemptus et acris egestas' e. q. s.

De prooemiis et epilogis librorum ad Her.

Scriptor igitur praecepta omnia quae in schola ad dictata doctoris conscripserat postquam collegit in IV libros distribuit, quibus singulos postea adiungeret et epilogos et prooemia. Nam quicumque prooemia libri II et III accurate perlegerit, is intelleget iam tum cum libri II prooemium conscriberet, praeparata illi fuisse illa tria uolumina quae singulos deinceps reciperent libros I—III et librum II tunc iam perfectum et absolutum fuisse: conf. II 1, 1 'ea quoque nobis erit hoc libro propemodum absoluta: paruae partes eius in tertium uolumen transferentur.' 2, 2 'Deinde ad extremum (30, 47 seqq.) docuimus cuiusmodi conclusionibus orationum uti oporteat.' III 1, 1 'De elocutione . . . in quarto libro conscribere maluimus quem ut arbitror tibi librum celeriter absolutum mittemus.' Atque in libris ad Her. prooemiorum et epilogorum idem stilus et eadem ratio est dicendi: in libris de inu. epilogi breuissimi sunt et a prooemiis

copiosissimis admodum diuersi cum minime ex eodem libro sumpti sint quo prooemia sed secundum consuetudinem quandam uilem et uulgarem ficti esse uideantur. Satis autem inepte in epilogi libri I ad Her. *magnitudo uoluminis* sicuti in Nepotis praefatione excusationi est breuitati. Inprimis considerandus est libri II ad Her. exitus ille: 'Fere locos obscurissimos totius artificii tractauimus in hoc libro: quapropter huic uolumini modus hic sit, reliquas praeceptiones, quoad uidebitur, in alium librum transferemus.' Quem uidetur imitatus esse Augustinus in epilogis libri I et II de ciu. dei his uerbis: 'Hic itaque modus sit huius uoluminis, ut deinceps disposita ab alio sumamus exordio' et '... deinceps uidebimus ut hic sit huius uoluminis modus.'

Insunt igitur in rhetorica ad Her. praecepta et dictata magistri modo ad uerbum a discipulo transscripta modo paullulum mutata et additamentis transscribentis aucta. Veluti adhortationes illae quae passim inueniuntur ex ore doctoris accepit quem secutus commendat exercitationem III 24, 40: 'in imaginibus conlocandis exerceri cotidie conuenit' et: 'tu primas quasque partes in animo frequenta et quod maxime necesse est exercitatione confirma' sicuti Dionysius Halicarnassensis in epilogo libri de compos. uerborum ad Metilium Rufum '... *εἰ βουληθείης*,' inquit, '*συνασκεῖν αὐτὸ ταῖς καθ' ἡμέραν γυμνασίαις·* (conf. Cic. Brut. 90, 310) *οὐ γὰρ αὐτάρκη τὰ παραγγέλματα τῶν τεχνῶν ἐστι δεινοὺς ἀνταγωνιστὰς ποιῆσαι τοὺς βουλομένους δίχα μελέτης τε καὶ γυμνασίας*' *κτλ.* conf. ad Her. l. s.: 'cum in omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa adsiduitate exercitationis' e. q. s. Quam sententiam aliis locis ita ponit ut non soli Herennio sed ipsi quoque scriptori proponatur sequenda conf. I 1, 1 II 4, 7. 8, 12 III 15, 27 IV 56, 69 bis. Neque enim ut praeceptor discipulo dare praecepta uoluit scriptor, sed accepta a praeceptore communicare cum cognato ut cognatus et discipulus: conf. III 1, 1 'Interea prima quaeque et nobiscum cum uoles et interdum sine nobis legendo consequere nequid inpediare quin ad hanc utilitatem pariter nobiscum progredi possis' et II 31, 50 'haec ... tu diligenter et nobiscum et sine nobis considerabis.' tum IV 56, 69 quae uerba omnium summi erunt

momenti: 'Nam et simul libenter exerceamur propter amicitiam, cuius initium cognatio facit, cetera philosophiae ratio confirmabit.' In quibus nos non recepimus lectionem uulgatam *confirmauit* quae in solo H inueniatur neque scripsimus *fecit* quod et aeuo Karolingio et posterioribus saeculis probatum fuisse cod. C et editionum demonstrat consensus, sed et plurimorum et optimorum codd. auctoritatem secuti sumus: ad *confirmabit* conf. II 4, 7 'Initia enim inuentionis ab arte debent proficisci, cetera facile conparabit exercitatio', ubi in uocabulo *conparabit* similiter mendosi sunt HPB. Quo magis optimi cuiusque cod. lectio *facit* illo loco seruanda est: unde discimus scriptorem cum librum scripsit modo affinitate quadam cum C. Herennio coniunctum esse aut matrimonio iuncto aut adoptione facta aut alio quodam pacto. Qua cum condicione optime congruit quod in prooemio libri I et in epilogis libri I et II admodum comiter et humane sese noui cognati uoluntati morem gerere professus est eumque non ut amicum et bene notum sed ut hominem etiamtunc a sua consuetudine remotum et alienum appellat reuerenter et honorifice.

De stilo scriptoris puerili.

Totus uero stilus ratioque dicendi qua utitur scriptor nunc egregius et perfectus est ueluti in exemplis et praeceptis quibus doctoris dictata sequitur nunc admodum μειρακιώδης et ληρώδης ueluti in transitionibus prooemiis epilogis omnibusque additamentis ab illo ipso conscriptis. Etenim puerum sapit causarum tripertita diuisio et curiosa et inepta quae fit IV 56, 69, tum antitheta illa I 1, 1 'ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares' III 24, 40 'ne aut tuo studio diffisi aut minus quam res postulat dixisse uideamur' nec minus inepta plurima illa quae cum *ne* particula incipiunt enuntiata praecipue in prooemiis et epilogis occurrentia. Tumidus autem et inflatus est libri I exitus hic: 'ut pro tuo in nos officio nostro in te studio munus hoc adcumulatissume tuae largiamur uoluntati.' Praeterea in rhetoris schola cum talia traderentur praecepta qualia leguntur I 6, 10 'nos non eodem modo, ut ceteri soleant uerba facturos' 11, 18 'constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tres putauit esse', 9, 16 'soli praeter ceteros in tria tempora diuisimus' III 7, 14 'non quemad-

modum ceteris detrimento' IV 47, 60 'Non enim ita ut in ceteris rebus' e. q. s., ea libentissime amplexus est et imitatus est: Pharisaeorum profecto similis est in prooemio libri I 'non enim spe quaestus aut gloria commoti uenimus ad scribendum, quemadmodum ceteri' — tamquam ceteri omnes auaritia inducti scripserint et cupidi pecuniae — et in epilogo IV: 'quod ali cum molestia tribus de causis maxime faciunt ... quae ab nobis absunt omnes difficultates' et III 24, 40 'Non enim sicut a ceteris studiis abducimur nonnumquam occupatione, item ab hac re' e. q. s.

Tum ea re potissimum rudis et incomposita nobis uidetur scriptoris elocutio, quod saepius duo posuit eiusmodi enuntiata quorum prius coniunctione *ut*, posterius aut altera *ut* aut *ne* uocabulo incipiat: ueluti I 1, 1: 'ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares' IV 56, 69 'et grauitatem et dignitatem et suauitatem habere in dicendo poteris, ut oratorie plane loquaris, ne nuda atque inornata inuentio uulgari sermone efferatur' III 23, 38 'Scio plerosque Graecos ... fecisse, ut multorum uerborum imagines conscriberent, uti qui ediscere uellent, paratas haberent nequid in quaerendo consumerent operae' IV 34, 45 'Translationem pudentem dicunt esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne sine delectu temere ac cupide uideatur in dissimilem transcurrisse.' II 28, 45 'ut quom alteros magis laudaris, aliquam alteris partem laudis adtribuas ne cupide pugnasse contra ueritatem puteris.' Conf. Cornel. Nep. V 4, 2 et similia sententiarum paria cum uocabulo *ut* incipientia ad Her. I 7, 11 III 24, 39 IV 28, 39. 37, 49. 44, 56: similia quae uocabulis *quod quae* incipiunt habes I 7, 11. 16, 26 II 13, 20 alibi. Porro scriptoris tenuem scribendi facultatem ostendunt enuntiata talia: II 29, 46 'Item uitiosum est *id* quod aduersarii factum esse confiteantur, *de eo* argumentari et planum facere factum esse' III 14, 25 'Sin erit sermo in iocatione, leuiter tremibunda *uoce* ... leniter oportebit ab sermone serio torquere ad liberalem iocum *uocem*' 21, 34 'ut *uersu* posito ipsi nobiscum primum transeamus bis aut ter eum *uersum*' IV 42, 54 'cum *re* semel *dicta* iterum aut saepius aliis uerbis quae idem ualeant

eadem res proferetur' 6, 9 'sic *mercem* ipsi qui uenditant aliunde exemplum quaeritant *mercis.*'

Denique nulla re magis conspicuum fit puerile scriptoris ingenium quam illa qua saepissime utitur commutatione uerborum quam ex doctoris praeceptis quae sunt de adnominatione IV 22, 30 (conf. 21, 29 temperare — obtemperare, 8, 12 excogitare — cogitarit), de disiuncto 27, 37 de frequentatione in continuationibus 19, 27 inprimis de interpretatione 28, 38 prorsus edidicerat. Atque Quintilianus iure suo IX 3, 72 'Pessimum uero', inquit: 'Ne patres conscripti uideantur circumscripti. Raro euenit sed uehementer uenit': quorum exemplorum prius ita legitur ad Her. IV 22, 30 'Demus operam Quirites ne omnino patres *conscripti circumscripti* putentur.' Alterum exemplum in libris ad Her. quamquam non inuenitur tamen ex Cornificio petitum esse ideo probabile est — qua de re iam supra egimus p. 72 — quia scriptor ad Her. saepenumero eiusmodi figuris utitur quales in schola qua uterque usus est commendari solitas esse ex isto consensu efficitur. Veluti IV 19, 26 legitur: 'Illud tardius et rarius *uenit,* hoc crebrius et celerius *peruenit.*' Et III 2, 2: 'In quibus causis rei natura *faciet* deliberationem, omnis oratio ad ipsam rem adcommodabitur: in quibus extranea causa *conficiet* deliberationem' e. q. s. IV 32, 43: 'ut cum desidiosam artem dicimus quia desidiosos *facit* et frigus pigrum quia pigros *efficit*' I 17, 27: 'in ea nec ratio qua re fecerit *quaeritur*: fecisse enim negatur: nec firmamentum *exquiritur,* quoniam non subest ratio' III 8, 15: 'ut si laudemus, aliud iuste, aliud fortiter, aliud modeste et aliud prudenter factum esse *dicamus,* si uituperabimus, aliud iniuste, aliud inmodeste aliud ignaue aliud stulte factum *praedicemus*' 22, 36: 'Solis exortus ... nemo *admiratur* propterea quia cotidie fiunt: at eclipsis solis *mirantur*' 11, 20: 'quoniam altera natura *paritur,* altera cura *conparatur*' quibus haec addi oportet exempla: I 15, 25: 'et uel in hominem *transferimus* uel in rem quampiam *conferimus*' II, 8, 12: 'aut fictam fabulam in aduersarios *adferemus* ... aut uerum rumorem *proferemus* qui illis' e. q. s. III 13, 24: 'Cohortatio est oratio quae aliquod peccatum amplificans auditorem ad iracundiam *adducit.* Conquestio est oratio quae incommodorum

amplificatione, animum auditoris ad misericordiam *perducit'* alia. Praeterea saepissime interpretationem qua de agitur IV 28, 38 quo gratior et concinnior fiat oratio adhibuit sed admodum pueriliter et delicate. Conf. uelim II 4, 7: 'si ex altera parte uires pecunia consilium scientia apparatio *uidebitur fuisse* ex altera inbecillitas inopia stultitia inprudentia inapparatio *demonstrabitur fuisse'* et IV 25, 35: 'ut neque pluribus uerbis oportuisse *dici uideatur* neque breuius potuisse *dici putetur.'* Inprimis autem rhetorum scholae eiusmodi commendabant loquacitatem et uerborum tinnitum et inanem et ineptum propter continuationum siue periodorum compositionem elegantem et concinnam, in quibus maxime membrorum *παρίσωσιν* plenam et perfectam studebant impetrare. Qua in re rhetores Demetrius Alexander Tiberius Isocratis sententiolam Helenae 17 exemplo proponunt: *τοῦ μὲν ἐπίπονον καὶ φιλοκίνδυνον τὸν βίον κατέστησε, τῆς δὲ περίβλεπτον καὶ περιμάχητον τὴν φύσιν ἐποίησεν* (RG III p. 266. 36. 40. 74 Sp IX p. 14 VIII p. 475. 485. 562 W). Cuiusmodi enuntiata passim in libris ad Her. exstant ueluti in uerbis dicendi uariauit II 28, 45: 'uelut Sulpicius, qui intercesserat, ne exules ... reducerentur, idem posterius immutata uoluntate ... aliam se ferre *dicebat* propter nominum commutationem: nam non exules sed ui eiectos se reducere *aiebat*.' Ubi *aiebat* uerbum satis remotum elegit uarietatis gratia sicuti in uerbis necessitatis III 14, 25 post *oportebit* — *oportet* posuit *iubemur*. Nam in eiusmodi uerbis copiam uerborum ostentare solet scriptor: conf. III 12, 21: Et interuallis longioribus uti *conuenit* ... Et in continuo clamore remittere et ad sermonem transire *oportet* ... Et acutas uocis exclamationes uitare *debemus* ... Et uno spiritu continenter multa dicere in extrema *conuenit* oratione e. q. s. Eodem modo uariatur III 3, 6: 'quam is qui contra dicet iustitiam *uocabit*, nos demonstrabimus ignauiam esse et inertiam ac prauam liberalitatem: quam prudentiam *appellarit*, ineptam et garrulam et odiosam scientiam esse dicemus: quam ille modestiam *dicet* esse, eam nos inertiam et dissolutam neglegentiam esse dicemus: quam ille fortitudinem *nominarit*, eam nos gladiatoriam et inconsideratam appellabimus temeritatem.' Et

IV 34, 46: ut si quis Graecum ... *dicat* ... ut si quis hominem prodigum ... *appellet* ... ut si quem inpium ... *uocemus*, intemperantem ... *nominemus*. Ex eadem consuetudine uariandi explicandi hi loci: III 2, 3 Dicitur ... appellatur: conf. I 4, 6 IV 10, 15 *med.* 8, 11 II 7, 10: 'quae uere *dicerentur*. ... quae falso *pronuntiarentur*' I 5, 8 'in odium *rapiemus* ... In inuidiam *trahemus* ... In contemptionem *adducemus*' e. q. s. II 19, 29 '*uideamus* ... *intellegamus*' III 5, 9 'si is *timeatur* — si ea *formidetur*' 16, 30 'cuiusmodi locos *inuenire* et quo pacto *reperire*'. Postremo conf. has παρισώσεις III 22, 36: 'uulgari et usitata *re* non exsuscitari, nouitate et insigni quodam *negotio* commoueri' ubi in altero membro pro *res* uocabulum *negotium* adhibet ut adsolet: conf. 20, 33 II 5, 8 ubi modo dicitur *re transacta*, modo *transacto negotio* — III 20, 33 'Rerum similitudines *exprimuntur* ... uerborum similitudines *constituuntur*' e. q. s. 19, 31 IV 38, 50 extr. alias. Haec omnia uberiore disputatione tractaui ideo, quod editores in multis eiusmodi locutionibus offendentes tradita aut mutanda esse putarunt aut ut spuria eicienda.

De epilogo totius operis.

Quod praecipue usu uenit in epilogo totius operis quem inde a Grutero ut spurium notauerunt editores: 'Demonstratum est enim, quomodo res in omnibus generibus causarum inuenire oporteat; dictum est, quo pacto eas disponere conueniat; traditum est, qua ratione esset pronuntiandum; praeceptum est, qua uia meminisse possemus; demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio conpararetur. Quae si sequimur, acute et cito reperiemus, distincte et ordinate disponemus, grauiter et uenuste pronuntiabimus, firme et perpetue meminerimus, ornate et suauiter eloquemur. Ergo amplius in arte rhetorica nihil est. Haec omnia adipiscemur, si rationes praeceptionis diligentia consequemur exercitationis.' Quae omnia puerilia et inepta esse nemo non iudicabit: falsa et spuria iudicanda tum concedam si quis mihi uel unum uerbum non secundum usum scriptoris positum esse demonstrauerit. Sed plurima insunt in hoc loco quae maxime secundum usum scriptoris composita esse demonstrari potest: praecipue extremae duae sententiae poterant commonere criticos ut manus abstineant uerbis genuinis. Veluti *nihil amplius* habes

IV 54, 67 *in arte* grammatica 12, 17: legitur 56, 69: ut *consequamur artis rationem studio et exercitatione* 2, 3: redigit in singulas *rationes praeceptionis* 35, 47: *opera et diligentia consequi* senatus uoluntatem, denique assiduitas exercitationis laudatur II 8, 12 his uerbis: 'si ad hanc rationem praeceptionis adsiduitatem exercitationis adcommodaremus' et III 24, 40: 'infirma est artis praeceptio sine summa adsiduitate exercitationis' e. q. s. Etiam principium totius loci illud dico *Demonstratum est enim* plane ex usu scriptoris dictum est qui *enim* tertio loco nonnisi post *est* uocabulum uoluit poni ut III 24, 40 'Numquam est enim' IV 2, 3 'Quis est enim' 17, 25 'Necesse est enim' 36, 48 'Quid est enim'. Porro quod posuit *quo modo quo pacto qua ratione qua uia quibus modis* secundum ordinem a trito ad rarius uocabulum progrediens, de ea re conf. IV 8, 12 ubi priore loco posuit *quo pacto*, sequitur *quo modo* I 16, 25 *quo modo* eas et *qua uia* tractari conueniat, III 3, 4 *quo modo* aut *qua* quidque *ratione* fieri oporteat; *quibus modis* non dixit sed *quattuor modis* bis I 4, 8 IV 45, 59 et audacius illud: '*isdem uiis quibus* omnis coniectura tractatur' ponere maluit II 7, 10. Denique aduerbium *ordinate* quod in plerisque est codd. quamquam nonnisi hoc loco legitur tamen neque prorsus nouum est cum sit apud Cic. de inu. I 14, 19: 'tum denique ordinandae sunt ceterae partes orationis' et in eiusmodi aduerbiis a participiis perfecti ductis multa nouauit scriptor qui aut primus aut solus omnium dixerit *adcumulatissime conmutate confirmate perpolitissime* alia: similiter tamen atque in hac uoce fluctuant codd. in *perpetue* aduerbio. Ergo qui propter haec uerba de origine epilogi istius dubitat, is nulla re impeditur quominus cum cod. H hoc loco legat *perpetuo*, cum o et e saepissime inter se confundantur, cum codd. PC *ordine* quae uerba leguntur II 30, 47 *bis* III 7, 13 I 7, 11 III 18, 31. Sed nos caueamus ne hoc testimonium exercitationis rhetoricae deleamus egregium. Apparet pueros in scribendo usos esse collectione quadam synonymorum qualem commemorat Quintilianus X 1, 7: 'Et quae idem significarent solitos scio ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus et cum essent usi aliquo, si breue intra spatium rursus desideraretur, effugien-

dae repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intellegi posset. Quod cum est puerile et cuiusdam infelicis operae, tum etiam utile parum: turbam tantummodo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque.' Cuiusmodi synonymorum collectiones tunc potissimum commodae erant cum illa figura quae ad Her. IV 28, 38 interpretatio, apud Graecos *συνωνυμία* appellabatur et exemplo solet probari ex [Demosth.] contr. Philippi epistol. 3 desumpto, erat adhibenda: praeterea in uno quoque enuntiato talis uariatio locutionum et lepida et grata uidebatur, qua noster scriptor admodum pueriliter utitur nec satis tecte et caute. Apud Graecos et Telephi *ὠκυτόκιον* erat *συναγωγὴ ἐπιθέτων εἰς τὸ αὐτὸ πρᾶγμα ἁρμοζόντων πρὸς ἕτοιμον εὐπορίαν φράσεως* secundum Suidam s. u. *Τήλεφος* et Iulius Pollux conscripsit opus cui *ὀνομαστικὸν . . . ἐστὶ . . . τὸ ἐπίγραμμα, μηνύει δὲ ὅσα τε συνώνυμα ὡς ὑπαλλάττειν δύνασθαι καὶ οἷς ἂν ἕκαστα δηλωθείη.* Apud Latinos Fronto rhetor M. Antoninum philosophum deliciarum rhetoricarum commonefacit his uerbis p. 151 Naber: 'nonne te tumultuaris quibusdam et lucratiuis studiorum solaciis fulciebas, synonymis colligendis, uerbis interdum singularibus requirendis, ut ueterum commata, ut cola synonymorum ratione conuerteres' e. q. s.: satis denique nota est illa quae sub Ciceronis nomine fertur synonymorum *συναγωγή* ad Veturium. Sed antiquissimum hoc genus studiorum et exercitationum fuisse inde efficitur, quod Pacuuius talem *συνωνυμίαν* audacissime in poesin introduxit in uersibus illis quae seruantur ad Her. II 23, 36: 'Fortunam insanam esse et caecam et brutam *perhibent* philosophi Saxoque instare in globoso *praedicant* uolubili Id quo saxum inpulerit Fors, eo cadere Fortunam *autumant.* Caecam ob eam rem esse *iterant*, quia nihil cernat, quo sese adplicet; Insanam autem *aiunt*, quia atrox, incerta instabilisque sit, Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere. Sunt autem alii philosophi, qui contra Fortunam *negant* Ullam miser*am in rebus esse, Temer*itatem esse *autumant.*' Quibus in uersibus sex synonyma postquam consumpsit poeta, ad illud quod iam usurpauerat *autumant* rediit sicuti in rhetorica ad Her. l. s. ad illud quod primum posuerat *demonstratum est* redit

scriptor et III 12, 21 adhibitis *conuenit oportet debemus* iterum primum illud ponere *conuenit* non dubitauit. Sed quod in uersibus Pacuuii qui noua rhetoricae dulcedine captus illa ausus est potest ferri ut licentiae poeticae concessum, id apud scriptorem pedestris sermonis pueri uel adulescentuli ostendit ingenium curiosum et tamquam immaturum: scilicet propter hunc ipsum epilogum operis concedendum non est ut de grandi aliquo praetextato qui auctor librorum ad Her. fuerit omnino cogitetur.

Atque praecipue in eis quae non tradentis sed ipsius scriptoris sunt ueluti prooemia et epilogi multa inepta et puerilia inueniri consentaneum est. Quod idem pertinet ad additamenta illa quibus singulae inter se praecepta collinuntur: transitiones illas dico et enumerationes rerum antea expositarum quas editores inde a Schuetzio eiecerunt plerasque, ego potius uituperandas et quando libebit ridendas esse puto quam eiciendas ut scriptore indignas: quem plerique prius uiolenter mutare ausi sunt quam qualis reuera sit intellexerint. Quodsi quis talem sententiam qualis traditur IV 46, 59: 'ut paulo ante cum de cursoribus adserebatur' ut spuriam damnabit, ego probabo, quia *adserendi* uocabulum ecclesiasticorum scriptorum stilum redolet: sin alia quae bonis uerbis dicta sunt idcirco reicienda esse iudicabit, quia inepta sint aut futilia, ego eum totum potius reicere iubebo scriptorem quam singulos eius locos. Eiusmodi uero enumerationes rerum antea expositarum quae plerumque cum *Igitur Ergo Quoniam igitur* incipiant scribendi facultatem tenuem et exiguam scriptoris satis manifesto ostendunt: nam cum praeceptorum doctoris ipsorum quae quoque loco antecedunt compositio admodum sit sobria et recta, in additamentis illis discipulus garrit et balbutit ineptissime. Sunt tamen genuina. Sin aliter iudicas, demonstrato in hoc loco a Kaysero aliis eiecto uel unum uerbum contra consuetudinem scriptoris positum esse IV 37, 50: 'Ergo haec exornatio, cui licentiae nomen est, sicuti demonstrauimus, duplici ratione tractabitur: acrimonia, quae si nimium fuerit aspera, mitigabitur laude, et adsimulatione, de qua posterius diximus, quae non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam et sua spontest ad animum auditoris adcommodata.' Cuius loci simillimi sunt

hi: 43, 56. 44, 58 ubi ad uerba *extra causam* conf. II 3, 5 *extra id crimen*, 12, 15 II 19, 30. 21, 33. 22, 34. 25, 39 III 12, 22 I 16, 26 *bis* alii.

Tum plurimi loci sunt quibus aliqua transitio et praeceptorum quasi conglutinatio desideratur, plurimi denique, quibus nihil fere a scriptore positum est quam praecepti titulus aut definitio tenuis omissa omni explicatione, ut nonnisi a rhetoricae peritis eiusmodi loci intellegi potuerint. Veluti inde a I 11, 18 cum constitutiones singulae exemplis adlatis explicantur coniecturali explicatio scriptoris apposita est, item usu uenit in aliis nonnullis, in plerisque nihil praeter nomen constitutionis in fine singulorum capitum subscriptionis instar additum est: quas subscriptiones editores ut spurias reiecerunt, similes illas in locis communibus factas II 9, 13 extr. 10, 14 extr. 15, 22 med. (16, 24 extr. 17, 26) et seruarunt neque compararunt illis. Transitiones porro desiderantur II 3, 5. 15, 22 ante *Primum*, 14, 21 ante *Cum ex conparatione* alibi. Praeterea multis locis ordo praeceptorum inuersus est ita, ut scriptor cum scripta sua commutare postea noluerit, praecepta falso loco ponat ueluti II 12, 17 scribit 'id quod ex iuris partibus sumetur de iuridiciali absoluta, de qua iam loquemur.' Sed de iuridiciali non continuo, sed inde a 13, 19 demum agitur, quia quae legitimae partes sunt translationem et ratiocinationem postea opinor inseruit 12, 18 nulla transitione facta sed epilogo satis inepto addito. Eodem modo I 7, 11 enuntiatum illud *Exordienda causa*, II 30, 47 praeceptum de IV locis praepostero loco postea intulit. Quid sit constitutio, definiuit quidem, sed neque explicationem qua utique opus erat in re difficillima neque exemplum apposuit: ipsam definitionem posuit loco peruerso satis inepte I 11, 18: 'Utrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causae cognouerimus. Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tres putauit esse, non ut de illorum quicquam detraheret inuentione, sed ut ostenderet, id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito. Constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta. Constitutiones itaque, ut ante diximus, tres sunt: coniecturalis, legitima,

iuridicialis.' Quare nos noluimus scriptorem cum aliis corrigere in ordine peccantem praeceptorum II 23, 35 ubi uana ratio inter infirmam temere interposita est neque III 6, 10 ubi inuerso ordine confirmationis praecepta antecedunt reliqua omnia ueluti de principio narratione aliis. Tum multos locos omnino tractare omisit. Quamquam II 20, 31 ea 'quae tacite contemni atque uitari sine reprehensione' conueniat quod uidetur omisisse, id factum est lacuna illa in exitu II 22, 34 coorta. Sed librum I ad genus iudiciale pertinere docuit demum in prooemio secundi: IV 33, 44 superlationis quae minuendi causa ponitur exempla cum apud alios scriptores legantur addita nulla exstant neque ibidem singula intellectionis genera suis explicantur exemplis. In sermocinatione autem IV 52, 65 alterum huius figurae genus his tantummodo tractauit uerbis: 'Sunt item sermocinationes consequentes hoc genus: Nam quid putamus illos dicturos si hoc iudicaueritis? Nonne omnes hac utentur oratione? Deinde subicere sermonem.' Quem locum item ut spurium eiecerunt, temere, opinor: neque enim quicquam inest quod a scriptoris sermone alienum sit: conf. IV 17, 24: 'Sunt item sententiae' e. q. s. II 13, 20 'Sunt item pacta' e. q. s., uocabulum *consequi* et participium *consequens* saepissime adhibet, qui *uerens loquens* posuit IV 55, 68. 32, 43. Itaque nos omnes eiusmodi locos quo magis libri illius genus et natura cognoscatur non recidemus aut exturbabimus sed quam religiosissime seruabimus et quanti sint aestimabimus: est enim rhetorica ad Her. commentarii scholastici specimen singulare et egregium ex antiquitate seruatum.

Rhetorica ad Her. cum ideo summi est pretii quod uetustissima omnium artium rhetoricarum est quae tota et integra seruata sit tum ideo quod in ea primum artis cuiusdam grammaticae memoria exstat: nam IV 12, 17 legitur: 'Haec qua ratione uitare possumus, in arte grammatica dilucide dicemus.' Utrum studiis philosophicis deditus reuera scripserit artem grammaticam, an tantummodo ea re commotus quod hoc loco Graeci rhetores solebant commemorare studia grammatica (Quintil. VIII 1, 2 Mart. Cap. p. 167, 6 edit. Eyssenh.) admodum festinanter l. s. pronuntiauerit propositum De grammaticis studiis scriptoris ad Her.

sibi esse artem grammaticam componere, certo diiudicari nequit: hoc tamen probabilius putandum est propterea quod philosophiae tum uacabat totus neque alia ratione illa uerba intellexerim quam quae III 2, 3 leguntur '... de quibus magis idoneo tempore loquemur, siquando de re militari aut de administratione reipublicae scribere uelimus.' Iuuenilis enim ingenii est in ipsis studiorum primitiis quam plurima opera promittere scribenda. Videlicet homo Romanus de rhetorica eodem modo scribit quo Catones Varrones Celsi de omnibus disciplinis uel plurimis. Insunt tamen nonnulla grammatica in libris ad Her. quae in unum congregare operae pretium est quo magis ratio grammatica qua utatur scriptor cognosci possit. Atque in litteris quidem agnouit uocalium familiam IV 12, 18, quas 21, 29 in complures classes diuidit: productas ā ē ō ū, breues ă ĕ ŏ ŭ, sed ita ut i litteram segregaret a reliquis Lucilium secutus qua de re egimus in prooemio Gryphiswaldensi a. 1891 p. XVII. Neque enim eadem qua reliquae ratione i littera producebatur in pronuntiatione, sed diphthongo similior fiebat: conf. Plaut. Trucul. 262 Cic. de or. III 12, 46. Quare i producta non longa dicitur sed aut plena aut opima aut pinguis apud Lucilium libro IX 323. 327 L Cic. or. 47, 157 uarieque sonus ille et pronuntiabatur et scribebatur uulgo, cum alii *ei* alii *i*, alii *e* ponere mallent: eos qui e pronuntiabant *late* et Cicero castigat de or. l. s. et Laberius uidetur risisse in mimo Late loquentes inscripto. Rursus ĭ littera non breuis appellatur a Lucilio l. s. 322. 325. 326 sed *tenuis*: quare ad Her. l. s. ex *ei* plena illa tenuis fit non correptione, sed *adtenuatione aut conplexione* quo uocabulo similiter Quintilianus utitur I 5, 17 in diphthongo *μονοφθόγγως* pronuntiata. Quae exempla istarum i litterae mutationum posuit scriptor: 'Hic qui se magnifice iactat atque ostentat, uenīt ante quam Romam uenĭt. Et ex contrario: Hic, quos homines alea uincĭt, eos ferro statim uincīt' in quibus utrumque illud *uenit* et *uincit* ad litteram alterum alteri par esse necesse est, ea ad historiam linguae Latinae summi certe momenti sunt. Ex quibus hoc efficitur, eos quoque qui i ponebant in i longa exaranda, tamen eam pronuntiasse ut diphthongum,

tum *it* quartae coniugationis quod iam Lucilius corripiat in uerbis *delenit fit* in sermone cottidiano aeui Sullani etiamtunc longam siue pinguem fuisse. Deinde in syllabis eadem fere ratione usus est IV 20, 28, cum tria genera discerneret, breues, longas, plenas.

Partes autem orationis commemorat quattuor: nomen *ὄνομα* uocabulum *προσηγορίαν* uerbum *ῥῆμα* coniunctionem *σύνδεσμον*. Conf. IV 21, 29: 'Adnominatio est cum ad idem uerbum et nomen acceditur' cum Alexandro RG VIII p. 477 W III p. 36 Sp: *παρονομασία δὲ γίνεται ὅταν τι τῶν ληφθέντων εἰς τὴν διάνοιαν ὀνομάτων ἢ ῥημάτων κτλ.* quae Latine uertit Aquila RLM p. 31, 1 Halm: scriptor ad Her. cur uerbum nomini praeposuerit, ex exemplorum serie adiecta facile intellegas. Porro conf. ad Her. IV 30, 41: 'Dissolutum est quod coniunctionibus uerborum e medio sublatis' e. q. s. cum RG VIII p. 603 W III p. 99 Sp *Διάλυσις δὲ ὁπόταν τοὺς συνδέσμους αἴροντες κτλ.* Difficilior quaestio est de nomine et uocabulo quia his uerbis nonnumquam non grammatice sed secundum consuetudinem sermonis cottidiani utitur ueluti IV 31, 42 cum dixerit 'quod suo nomine non potest appellari' paulo post scripsit 'quae non suo uocabulo sit appellata'. Tamen aliis locis ubi res grammaticae tractantur ueluti IV 22, 30 seqq. nomen id est quod nos dicere solemus nomen proprium. Appellatiua autem ille *uocabula* nominauit sicuti Varro de ling. Lat. VIII 11. 12. 52. 53. 80 qui in his tribus translationibus *ὀνόματος ῥήματος προσηγορίας* consentit cum scriptore ad Her. Hic enim I 12, 21 II 12, 17 si *maiestas* uocabulum appellauit, recte appellauit sicuti et III 4, 7 scribit *sub uocabulum recti*. Tamen aliis locis uerba *nomen* et *uocabulum* ita posuit ut praeceptorem uerba Graeca falso intellexisse et uertisse appareat. Veluti II 28, 45 cum legimus 'Item uitiosum est de nomine et uocabulo controuersiam struere, quam rem consuetudo optime potest iudicare' nos facile agnoscimus et *συνήθειαν* illam de qua multa scripserunt grammatici et *ὄνομα καὶ προσηγορίαν* de quibus conf. Dionys. Halic. ad Amm. II cap. 11 neque a ratione grammatica alienum est quod in sequentibus ubi tractantur uocabula *exules* et *ui eiectos* ea bis dicuntur *nomina*: conf. I 12, 21. Nam eodem modo et Varronem de ling. Lat.

VIII 14 et sat constat Aristarchum et Dionysium Thracem uocabulum subiecisse nomini tamquam speciem eius auctore Quintil. I 4, 20 Dionys. Thr. p. 23 edit. Uhlig. At exspectamus non dici nomen *et* uocabulum, sed nomen *aut* uocabulum et hoc loco et III 20, 33: 'cum unius cuiusque nominis et uocabuli memoria imagine notatur' et illo IV 21, 29 ubi Latinus habet uerbum *et* nomen, Graecus scriptor *ὀνομάτων ἢ ῥημάτων*: unde apparet rhetorem Latinum neque grammaticum fuisse neque artem Graecam recte intellexisse. Eodem modo peruersum est quod I 12, 21 II 12, 17 ubi definitur quid sit *minuere maiestatem*, tamquam de unius uocabuli definitione agitur. Atque rhetorem illum uerborum potestatibus uariis et diuersis operam dedisse apparet ex eis quae IV 31, 42. 54, 67 hac de re praecipit quaeque exemplis passim probat adlatis ueluti scripsit II 30, 47 'ut renouetur, non redintegretur oratio', IV 1, 1 'ostentare se, non ostendere artem', 26, 36 'sequeris plerumque atque adeo insectaris', 44, 57 'amisit uitam: at non perdidit.' Praeterea exitus hoc est *καταλήξεις* uerborum memorat IV 20, 28 sicuti Varro de ling. Lat. X 21 et casus *πτώσεις* quae Graece dicuntur 20, 28. 22, 30. 31: priore loco distinguuntur *uerba quae casus habent* id est *πτωτικά* ut *amorem laborem* ab eis *quae non habent* quae *ἄπτωτα* appellant Graeci uelut *diligere neglegere*, posteriore quod quinque casus enumerat nec agnoscere uidetur sextum siue Latinum, id indicat eum Graecum exemplum Latine uertisse ea qua adsolet ratione. Ex quibus omnibus id apparere putamus, Graecum illum cuius illa ars fuerit grammaticae bene peritum fuisse sed rhetorem Latinum qui praecepta discipulis traderet ex lingua Graeca conuersa parum scisse grammaticam. Sed eam rationem quae inter illa quae exscripsimus praecepta atque Peripateticorum Stoicorum Aristarcheorum doctrinam intercedat accuratius definire, si quaeris, nequimus cum illa sint admodum pauca et rara neque earum rerum historia certis constet terminis.

Postremo siquidem ars grammatica continetur etiam emendatione et interpretatione scriptorum, in Medeae Ennianae exordio II 22, 34 dilucide apparet quam malis exemplaribus usi sint Romae ante M. Varronis studia philologa in ueteres

scriptores conlata. Tum quam praue et peruerse ueteres poetas illo saeculo interpretati sint, nulla re magis intellegitur quam egregio illo interpretationis Plautinae specimine, quod seruatum est II 23, 35 his uerbis: 'Infirma ratio est, quae non necessario ostendit ita esse, quemadmodum expositum est, uelut apud Plautum:

Amicum castigare ob meritam noxiam
Inmune est facinus, uerum in aetate utile
Et conducibile.

Haec expositio est. Videamus, quae ratio adferatur:

nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia.

Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri conuenit, utile quid sit, ratiocinatur.' Qui locus et in historia studiorum Plautinorum et in particularum Latinarum doctrina inprimis erit considerandus.

A grammatica transeo ad metricam. Atque numerorum quidem rationem rhetoricae studiosis ediscendam fuisse multis constat testimoniis neque inter se ita dissentiebant rhetores ut negarent omnino numeris esse utendum, sed ut alii hos alii illos potius censerent esse sequendos. Celeberrimum omnium in numerorum doctrina erat Demosthenis de cor. orationis prooemium propter tres creticos illos *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις* (Dionys. Halic. de compos. uerb. cap. 25) quod aemulatus est me iudice C. Fannius in illo exordio apud Cic. de or. III 47, 183 seruato: 'Si Quirites minas illius.' Numerosissimae deinde erant L. Crassi orationes, qui discipulus fuerit L. Caelii Antipatri rhetoris Asiani et in clausulis periodorum illae maxime omnium exhibent ditrochaeum ueluti apud Cic. de or. II 55, 225: 'quid maioribus tuis? Quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio *liberauit*? Quid te agere? cui rei, cui gloriae, cui uirtut*i studere*?' ubi in eis quae secuntur nota clausulas *contulisti, contueri*. In eiusmodi locis quas tragoedias appellat Cicero l. s. iustos fere senarios fuderat Crassus: conf. l. s.: 'Brute, quid sedes? Quid illam anum patri nuntiare uis tuo? Quid illis [omnibus] quorum imagines duci uides?' in quibus

De metricis eius studiis.

praeter illud *omnibus* omnia legitimos senarii efficiunt numeros sicuti illa quae Crassi leguntur apud Cic. or. 66, 222 'missos faciant patronos: ipsi prodeant.' Dominabatur tamen in clausulis tempore belli Marsici ditrochaeus auctore Cicerone qui or. 63, 213 ex C. Carbonis oratione clausulas illas adfert magno cum clamore contionis exceptas *persolutas comprobauit.* Eundem numerum Ciceronem probasse satis constat: quem ut efficeret auctore illo quem Gellius I 7, 16 seqq. exscripsit grammatico in oratione de imp. Cn. Pomp. 11, 30 posuit: '. . . sed consilii celeritate *explicauit*' non *explicuit* et 12, 33: '. . . in praedonum fuisse potestat*em sciatis*' non *potestate sciatis.* Atque in rhetorica ad Her. de numeris nulla quidem exstant praecepta nisi hoc quod de periodis traditur IV 32, 44: 'in quibus oportet uerba sicuti ad poeticum quendam exstruere numerum, ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutae.' Exemplis tamen accuratiora de exitu periodorum quas continuationes uocat docuit quam praeceptis. Nam casu factum esse nemo censebit quod in omnibus exemplis ad periodum periodique partes allatis explicandas in clausula unum posuit dichoreum: conf. de membris IV 19, 26. 27: 'Et inimico proderas, et amicum laedebas, et tibi ipsi non *consulebas.* Item: Nec reipublicae consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis *restitisti.*' Et de articulo hoc modo: 'Acrimonia, uoce, uultu aduersarios per*terruisti.* Item: Inimicos inuidia, iniuriis, potentia, perfidia *sustulisti.*' Et in continuatione hoc pacto: 'Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in uirtute, quam in casu, praesidium *conlocauit.*' . . . 'Nam si qui spei non multum conlocarit in casu, quid est, quod ei magnopere casus ob*esse possit?*' . . . 'Quodsi in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casum *contulerunt*, non sunt omnia committenda fortunae, ne magnam nimis in nos habeat domi*nationem.*' In quibus exemplis omnibus dichoreus periodum claudit. Quod idem accidit in eis exemplis quae ad genus graue pertinent inprimis illo quod ut exemplum huius generis legitur IV 8, 12:

'Nam quis est uestrum, iudices, qui satis idoneam possit in eum poenam ex*cogitare*,

qui prodere hostibus patriam *cogitarit?*

Quod maleficium cum hoc scelere *conparari,*

quod huic maleficio dignum supplicium potest *inueniri?*

In iis, qui uiolassent ingenuum, matremfamilias *constuprassent,*

uolnerassent aliquem aut postremo *necassent*

maxima supplicia maiores consumpserunt: huic truculentissimo ac nefario facinori singularem poenam non reliquerunt. Atque in aliis maleficiis ad singulos aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit: huius sceleris qui sunt adfines, uno consilio uniuersis ciuibus atrocissimas calamitates *machinantur.*

O feros animos! o crudeles cogit*ationes*!

o derelictos homines ab hum*anitate*!

Quid agere ausi sunt aut cogit*are possunt?*

quo pacto hostes, reuulsis maiorum sepulcris, deiectis moenibus, ouantes inruerent in *ciuitatem:*

quo modo deum templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in *seruitutem,*

matribusfamilias et ingenuis sub hostilem libidinem subiectis urbs acerbissimo concidat incendio *conflagrata:*

qui se non putant id, quod uoluerint, ad exitum perduxisse, nisi sanctissimae patriae miserandum scelerati uiderint cinerem. Nequeo uerbis consequi, iudices, indignitatem rei; sed neglegentius id fero, quia uos mei *non egetis.*'

In quibus quattuordecies in dichoreum periodum uoluit exire, spissius in principio et crebrius, quo magis statim in principio capitis auditores intellegant rem grauem tractari, ad finem rarius et modestius, ne cantilena dicatur oratio.

Iam id quod sequitur 9, 13 exemplum generis mediocris perlegas quaeso: in cuius initio nusquam apparet dichoreus in clausulis: neque enim iudic*es, uidetis* aut disces*sent, uidebant* ita umquam potuit pronuntiari propter pausam uocis inter illa uocabula intercedentem. In media oratione inueniuntur posit*um putarent* et apparatior*es uenirent*: in exitu altius surgit orationis amplitudo in sententia illa quae exit in *prouidere* et in sequente enuntiato cuius extrema uox est *sustulerunt.* Unde apparet in hoc exemplo quater illam adhibitam esse clausulam: in exemplo generis attenuati 10, 14 unus tantum-

modo exstat dichoreus *defricari* casu admissus. Adde quod in exemplo grauis figurae nusquam monosyllaba collocata sunt in exitu periodorum, in exemplo mediocris iam prima periodus exit in *soliti sunt*, alia in *conati sunt*, tertia quaedam in *necessum est*. Eadem quae in his exemplis modo obseruauimus in ceteris usu uenire facile quiuis poterit intellegere libro accurate pertractato.

De declamationibus scriptoris ad Her.

Iam de ludo ipso unde profecta est rhetorica ad Her. accuratius agendum erit: qua in re tractanda erunt nobis uerba illa quae IV 44, 58 de expolitione leguntur: quae 'non modo, cum causam dicimus, adiuuat et exornat orationem, sed multo maxime per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conueniet extra causam in exercendo rationes adhibere expolitionis' e. q. s. Unde apparet doctorem illum discipulos suos praecipue ad id instituisse ut causas agere possent docte et scite. Itaque quamquam et de deliberatiuo genere praecepta dedit, tamen primum omnium et egregie ediscendum iudiciale esse scriptor didicerat (II 1, 1): demonstratiuum raro accidere in uita pronuntiat III 8, 15. Doctor autem scholasticus ille et praecepta dabat et declamabat nec tantummodo ipse declamabat sed etiam discipulos sententia aliqua proposita iubebat in schola domique declamare: id est illud quod scriptor saepissime laudat *exerceri* et *exercitatio*, quod distinguitur a *ueris causis* II 8, 12. Appellabantur rhetoris discipuli *studiosi*: quod uocabulum tritissimum in studiis rhetoricis saeculo p. Ch. primo, quo Plinius maior rhetoricis suis libris uoluerit inscribi *studiosi* (conf. CIL IV 875 Hor. epist. I 3, 6), iam tempore Sullano in scholis rhetorum natum esse probatur uerbis Ciceronis apud Suet. de rhet. 2 'quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur' et rhetoricae ad Her. II 24, 38, ubi de dilemmate haec dicuntur: 'Utuntur igitur studiosei (studiosi **E** studiose **M**) duplici conclusione hoc modo' e. q. s. Nam Trimalchionem eadem conclusione quo se quoque studiosum esse ostentaret usum satis lepide facit Petronius 48 qui exposita rhetoris controuersia: 'Si factum est', inquit, 'controuersia non est: si factum non est, nihil est.'

De suasoriis et controuersiis.

Sed quo magis quae fuerit ludi illius condicio et indoles appareat, operae pretium uidetur et suasoriarum et controuer-

siarum quae in rhetorica ad Her. commemorantur colligere nonnullas. Atque suasoriarum quidem themata haec fere erant:

1) [Deliberat senatus] Kartago tollenda an relinquenda uideatur (III 2, 2): conf. de inu. I 8, 11. 12, 17

2) Consultat Hannibal, cum ex Italia Kartaginem accersitur, an in Italia remaneat, an domum redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam (III 2, 2)

3) Deliberat senatus captiuos redimat an non (III 2, 2): conf. Cic. de or. III 28, 109

4) Deliberant circumsessi a Poeno quid agant (III 5, 8): conf. de inu. II 57, 171

5) Deliberat senatus, soluatne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus consulem fieri (III 2, 2)

6) Deliberat senatus bello Italico sociis ciuitatem det an non (III 2, 2).

Haec sex suasoriarum themata omnia sumpta sunt ex historia populi Romani. In quibus id animaduertendum est nullum exemplum ex rebus ante bellum Hannibalicum gestis esse desumptum: neque in toto opere historia rerum ante bellum illud gestarum usquam tangitur nisi quod in declamatione illa IV 44, 57 laudatur mors Decii, 53, 66 L. Brutus. Nam fallitur qui putat suasoriam tertiam ad Atilium Regulum spectare qui non de redimendis captiuis egerit, sed de commutandis: quae scilicet pertinet ad illam senatus deliberationem factam post cladem Cannensem de qua conf. interpretes ad Cic. de off. III 32, 113 I 13, 39 III 26, 99. Sex illarum suasoriarum celeberrima tertia est quae mansisse in scholis uidetur usque ad Hadriani tempora: conf. simillimam illam quam Iuuenalis ridet VII 160 'cuius mihi sexta quaque die miserum dirus caput Hannibal implet, quidquid id est de quo deliberat, an petat urbem a Cannis, an post nimbos et fulmina cautus circumagat madidas a tempestate cohortes'. Neque dubitandum est quin iam tempore Sullano extiterint tales declamationum collectiones, quales hodie etiamnunc exstant a Seneca aliis compositae. Nam ad Her. I 3, 5 legimus: 'Honestum causae genus putatur cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum uidetur aut obpugnabimus quod ab omnibus uidetur obpugnari debere, ut pro uiro forti contra parricidam.'

In quibus cum propter durum asyndeton tum ideo male distinxere editores post *forti* quod eiusmodi themata saepissime hoc modo inscribuntur: *pro caeco contra nouercam, pro milite contra tribunum*, quomodo inscriptae sunt XIX declamationes quae maiores appellantur et sub Quintiliani nomine traditae sunt omnes et Calpurnii Flacci tricesima quarta. Qui uerba illa damnant propter syntaxin ei damnent necesse est exemplum additum I 14, 24: 'Ea diuiditur in inprudentiam, fortunam, necessitatem: fortunam, ut Caepio ad tribunos plebis de exercitus amissione, . . . imprudentiam, ut' e. q. s. quod multo durius est illo secundum syntaxin: qui damnant ea re commoti, quod reliquis nulla addita sunt exempla, illi perlegant uelim totum librum I ut intellegant quam inconstanter et temere scriptor modo addiderit modo omiserit exempla. Itaque exemplum illud documento est eam rationem declamandi quae in illis declamationibus Quintilianeis est conspicua, iam tempore Sullae fuisse usitatam nec dubitandum est quin iam illo tempore eiusmodi declamationum exstiterint collectiones.

Controuersias ego non colligam omnes: neque enim totum librum quartum exscribere uacat: sed eas potissimum tractabo quae in libro I et II commemorantur. Qua in re id praecipue considerandum est quod magnopere ratio Ciceronis et scriptoris ad Her. qua uterque utitur in controuersiis inter se differunt. Veluti nusquam neque in suasoriarum — qua de re iam supra dictum est — neque in controuersiarum thematibus apud hunc tractantur res ante bellum Hannibalicum gestae neque ex historia Graeca petitae, in controuersiis quae memorantur ea fere omnia acta sunt Romae inde a belli Iugurthini exitu usque ad exitum belli Mariani. At in libris de inu. multa exstant exempla ex uetustiorum temporum historia petita: conf. II 26, 78. 30, 91. 17, 52. 34, 105. I 30, 48 neque solum Romae controuersiae librorum de inu. aguntur sed saepissime apud Graecos ueluti Rhodi I 30, 47 II 29, 87. 32, 98 Lacedaemone II 31, 96 apud Amphictyonas II 23, 69. Unde apparet in ludo quo scriptor ad Her. eruditus erat doctorem non solum res Graecas quantum id fieri potuerit reformidasse et remouisse sed etiam eiusmodi potis-

simum declamasse controuersias quales a rebus non ita pridem gestis deductae erant: neque enim conturbatur nostra argumentatio ea re, quod in libro IV in exemplo quodam quod apud rhetores Latinos posterioris temporis tamquam sollemne mansit in usu (conf. de Moravskius Zeitschr. f. d. oesterr. Gymn. 1893 p. 97) Alexandri uirtutes laudantur et Graeciae populi qui principatum et habuerunt et amiserunt enumerantur 22, 31. 25, 34. Controuersiarum autem ueterum argumenta 'aut ex historiis . . . aut ex ueritate aut ex re siqua forte recens accidisset' trahi esse solitas auctor est Suet. de rhet. 1. Quare quoniam ad tempus libri accuratius definiendum et ad ludi illius naturam et indolem recte intellegendam summi sint momenti, eas quae ex rebus Romae gestis tractae sunt seruato temporis ordine hoc loco proponam collectas:

1) Accusatur Scipio Nasica quod sua manu Ti. Gracchum interfecerit (anno 621/133).

Ex hac controuersia superest illud fragmentum IV 55, 68 quod tractauit HABochmannus de Cornifici . . . rerum Romanarum scientia Zwiccauiae 1875 p. 36 seqq. Rhetorem expressisse exemplar orationis alicuius quam et Cicero imitatur ex adnotatione nostra poterit intellegi: res gestas ipsas ille finxit et commutauit audacissime et impudentissime neque alius locus magis idoneus ad demonstrandum quantopere a rhetoribus obscurata sit historiae ueritas. Neque enim Appianus b. c. I 16 neque Plutarchus Ti. Gracch. 19 tradunt quicquam de Tiberii caede a Nasica perpetrata: sed ille nihil omnino de interfectore Gracchi memoriae prodidit, hic P. Satureium et L. Rufum nominat solos qui Gracchum percusserint neque dubitari potest utri maior fides sit habenda, historico an rhetori. Accedit quod Nasicam quem haud multo post Gracchi mortem senatus in Asiam miserit legatum ubi obiit nemo potuit accusare: conf. Plut. l. s. 21, qui nihil tradit nisi senatum accusationibus quae ἤδη . . . τῷ Νασικᾷ προανεσείοντο illa legatione oblata uirum populo inuisum subtraxisse. Sed tempore Augusti ista rhetorum commenta in historiam inducta sunt. Illo scilicet tempore quo rhetor Dionysius Halicarnassensis nomina familiarum Albanarum quas enumerat

Liuius I 30, 2 auxit addito nomine Metiliorum archaeolog. III 29 quo de conf. Mommsenus RF I p. 104, cum in familia Rufi Metilii rhetoricam docuerit, illo tempore dico Diodorus edit. Dindorf. uol. V p. 117 tradidit Nasicam Ti. Gracchum τυραννεῖν ἐπιχειρήσαντα ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἀποκτεῖναι siue is rhetorum declamationibus illis deceptus erat siue talibus ambigue dictis quale est illud Ciceronis de or. 70, 285 'illud Scipionis illius qui Ti. Gracchum perculit'. Rhetor autem ille, cuius declamatione usus est scriptor ad Her. acerbissime inuehitur in Nasicam quem ut deorum hominumque odium increpat et lacerat. Quodsi cum hoc fragmento comparabis Ciceronis locos quibus summis laudibus ornat Nasicam, ueluti in VI de rep. 8, 8 induxerat Laelium querentem 'nullas Nasicae statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas', non dubitabis quin tales ludi in quibus illa declamabantur et inuisi et molesti fuerint nobilitati: quos nimirum non nobilium pueros sed popularium et plebeiorum frequentasse consentaneum est.

2) Defenditur uirgo Vestalis crimine incestus accusata apud L. Cassium quaesitorem (anno 640/114).

Haec declamatio cuius fragmentum illud seruatum est IV 35, 47 ad exemplum orationis reuera habitae composita erat: qua de re infra agetur.

3) I 15, 25: C. Popilius, cum a Gallis obsideretur neque fugere ullo modo posset, uenit cum hostium ducibus in conlocutionem: ita discessit, ut inpedimenta relinqueret, exercitum educeret. Satius esse duxit amittere inpedimenta quam exercitum; exercitum eduxit, inpedimenta reliquit: accersitur maiestatis (anno 647/107).

Conf. Cic. de inu. II 24, 72: accusauit Popilium Caelius tr. pl. auctore Orosio V 15, 24. Seruatum est ex defensione Popilii fragmentum ad Her. IV 24, 34

4) Accusatur Caepio ad tribunos plebis de exercitus amissione I 14, 24 (post annum 649/105).

Conf. Cic. de or. II 28, 124

5) Lex: si furiosus existet, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Et lex: qui parentem ne-

casse iudicatus erit, ut is obuolutus et obligatus corio deuehatur in profluentem. Et lex: paterfamilias uti super familia pecuniaue sua legauerit, ita ius esto. Et lex: si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque eius adgnatum gentilium esto. Malleolus iudicatus est matrem necasse. Ei damnato statim folliculo lupino os obuolutum est et soleae ligneae in pedibus inductae sunt: in carcerem ductus est. Qui defendebant eum, tabulas in carcerem adferunt, testamentum ipso praesente conscribunt, testes recte adfuerunt; de illo supplicium sumitur. Ii, qui heredes erant testamento, hereditatem adeunt. Frater minor Malleoli, qui eum obpugnauerat in eius periculo, suam uocat hereditatem lege agnationis. I 13, 23 (anno 653/101).

Eadem controuersia proponitur apud Cic. de inu. II 50, 148, ubi non quattuor sed tres tantummodo leges expositioni anteponuntur: errant tamen, qui eam legem quae apud Ciceronem non inuenitur in rhetorica ad Her. interpolatam esse arbitrantur. Haec controuersia ea re omnium maxime memoranda et consideranda esse uidetur, quod eadem ratione composita est qua similes Senecae Quintiliani Calpurnii Flacci declamationes: conf. Seneca controu. IX 3 (26): 'Per uim metumque gesta ne sint rata. Pacta conuenta legibus facta rata sint. Expositum qui agnouerit solutis alimentis recipiat. Quidam duos filios' e. q. s. Quintil. declam. min. 359 Calpurn. Flacc. 14. 15. Sed Seneca Quintilianus Calpurnius uocabula *lex* uel *et lex* omittunt: quod scriptor ad Her. et Cicero cum praeponant legum uerbis, secuti sunt aperte Graecorum declamatorum rationem: conf. Sopater RG VIII p. 362 W: *Νόμος· τὸν βιασάμενον κόρην διδόναι χιλίας. Καὶ νόμος· αἰτίας θανάτου δίδοσθαι δίκας. Κόρην τις κτλ.* Eiusdem Sopatri adferenda erit prima controuersia, quo rectius nomina constitutionum apud scriptorem ad Her. I 11, 19. 12, 20. 13, 23 in fine thematis addita intellegantur RG l. s. p. 2: *Μετὰ τὰ κατὰ Κύζικον Ἀλκιβιάδης αἰτήσας φρουρὰν τοῦ σώματος κρίνεται τυραννίδος ἐπιθέσεως. Στοχασμὸς ἁπλοῦς.* Simili modo nomen constitutionis adiectum est themati illi quod infra proponitur (8): conf. supra p. 94. Controuersias autem illas a scriptore laudatas non modo exempli loco propositas

fuisse, sed etiam reuera in ludo declamatas esse fragmenta libro II et IV seruata euincunt.

6) Controuersia de Caepione maiestatis reo ex tumultu Saturnini facto anno 654/100: conf. I 12, 21: ex declamatione unum restat fragmentum II 12, 17, conf. IV 25, 35.

7) Accusatur is qui P. Sulpicium se fatetur occidisse: defendit id iussu consulum: I 15, 25. (anno 666/88: conf. Ascon. p. 57, 11 K. S.)

Ex hac declamatione sumpta esse uidentur IV 52, 65. 34, 45 Nullius maeror e. q. s. 14, 20 Eum hominem e. q. s. 24, 33 Credo inimicum e. q. s. 28, 38 Commotus non es e. q. s. alia. Controuersiam ad similitudinem exempli Graeci fictam esse concedetur conlato Capellae loco RLM p. 460, 8 H: 'Scelus autem necessitate commisit qui praecepto ducis insontem hominem iugulauit.'

8) Lex uetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in contione orationem habere. Altera lex iubet augurem, in demortui locum qui petat, in contione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in contione nominauit. Petitur ab eo multa. Constitutio legitima ex contrariis legibus. I 11, 20 (factum ante annum 673/81 post annum 651/103).

Hanc controuersiam tractarunt Iordanus Herm. VIII p. 80 et Bochmannus l. s. p. 5. 17 qui inde effici arbitretur librum ante annum 673/81 scriptum esse. Nam altera illa lex est lex Domitia qua de lege conf. Mommsenus Staatsrecht II (1887) 1 p. 29, 4. 30 quae lege Cornelia illo anno lata sublata est. Quod tamen argumentum parum graue est neque sufficit illi conclusioni. Nam si contuleris quomodo Cicero in controuersia 3 et 5 pro nominibus Popilii et Malleoli illud *quidam* substituerit, non negabis in scriptore ad Her. pro *quidam* nomen proprium posse supponi: quo facto omnis illa argumentatio corruit. Nam nihil impedit quominus rem certam anno fere 654/100 Romae actam statuamus illo loco tangi.

Reliquas controuersias breuiter tantummodo tangam. E quibus illa quae I 12, 20 memoratur nata ex ambiguo illo testamento: 'heres meus uxori meae XXX pondo uasorum

argenteorum dato quae uolet' quam etiam Cicero de inu. II 40, 116 affert paululum mutatam ideo memoranda uidetur, quod simillimam eius iam Lucilius libro XVI tractauerat cuius hi uersus sunt: 'Legauit quidam uxori mundum omne penumque. Atqui quid mundum, quid non, quis diuidet istuc?' conf. Cic. top. 3, 13 partit. orat. 31, 107. Pleraeque uero controuersiae ex Graeco translatae sunt: ueluti

1) illa quae commemoratur I 11, 18 de Ulixe homicidii reo: cuius declamationis ampla pars exstat II 19, 28—30: conf. Cic. de inu. I 8, 11. 49, 92.

2) De naui propter tempestatem deserta I 11, 19 quam adhibet Cic. de inu. II 51, 153, similem Fortunat. RLM p. 100, 30 Halm. Hermog. de stat. RG III p. 15, 6 W II p. 141, 11 Sp.

3) Accusatur aliquis peculatus quod uasa argentea puplica de loco priuato dicitur sustulisse. Definitione usus utriusque uocabuli secum furti non peculatus agi oportere defendit: I 12, 22. Haec controuersia ex Aristotele deducta a Latino mutata est. Nam Aristoteles rhet. I cap. 13 p. 1374, 4 commemorat eandem controuersiam in qua definitione usus *κλέψαι μὲν ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι* aliquis confitetur: quam recepit Hermogen. de stat. RG III p. 35, 5 W II p. 138, 25 Sp: *ἐξ ἱεροῦ ἰδιωτικά τις ὑφείλετο χρήματα . . . ὡς ἱερόσυλος ὑπάγεται ὁ δὲ κλέπτης εἶναι λέγει* Sopater RG VIII p. 102 W Cic. de inu. I 8, 11: 'si qui sacrum ex priuato surripuerit utrum fur an sacrilegus sit iudicandus.' Vide quanto magis Latinus et Romanus sit scriptor ad Her. Qui cum sciret sacrilegii actionem omnino non esse sed sacrilegum peculatus damnari qua de re conf. Cic. in Verr. act. I 5, 14 act. II 1, 4, 11 lex Iulia instit. IV 18, 9 dig. 48, 13 exemplum illud a Graecis translatum ea ratione commutauit ut peculatus crimine pro sacrilegio subposito magis acceptum fieret uafro Quiritium populo.

4) Mimus quidam Accium poetam compellauit in scaena e. q. s. I 14, 24. Haec quoque controuersia ad exemplum a Graecis prolatum composita est. Nam Hermogenes RG III p. 60, 15 W II p. 171, 28 Sp et Sopater RG VIII p. 383 W similem controuersiam hanc inducunt: *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν ὁ*

νόμος ἐκώλυσεν. αὐτοπροσώπους εἰσάγων τις τοὺς κωμῳδουμένους ὑπάγεται τῷ νόμῳ κτλ.

5) De seruo qui manumissus erat per imprudentiam occiso I 14, 24.

6) De milite qui ad diem commeatus non uenit ibid.

7) Orestes se defendit in matrem conferens crimen I 15, 25: conf. 10, 17. 16, 26. Hae tres controuersiae ex Graeca rhetorica esse uidentur sumptae quarum simillimae exstent apud Quintil. VII 4, 8. 14 seqq. Cic. de inu. I 13, 18 II 31, 96.

Ex hac controuersiarum collectione primum hoc apparet, scriptum esse librum post annum 666/88, doctorem ludi plerasque non tantum exempli loco proposuisse, sed etiam declamasse sed nonnullas tales, quales nobilium filii haud animo aequo audierint: neque enim usquam partibus optimatium ita fauet scriptor ut eum ab illa parte stetisse appareat. Deinde hoc poterat intellegi Ciceronem magis rebus Graecis studere et Graecorum exempla nonnumquam accurate secutum esse, ubi scriptor ad Her. eadem nonnihil mutauit quo magis institutis p. R. conuenirent.

De praeexercitaminibus.

Controuersiae ad genus iudiciale spectant omnium difficillimum: conf. ad Her. II 1, 1. Faciliores ad tractandum sunt suasoriae: quare in ludis pueri ante in suasoriis exercebantur quam ad controuersias uentum est (Tacit. dial. 35 Quintil. II 1). Sed rudes et ignari rhetoricae priusquam utroque genere declamationum imbuerentur exercitationibus eis instituti sunt, quas Graeci *προγυμνάσματα* postea appellarunt: quarum exercitationum certa in rhetorica ad Her. exstant uestigia. Quae colligemus ordinem secuti a Sueton. de rhet. 1 p. 121, 14 R Quintil. I 9 II 4 Theone RG I p. 172 seqq. W II p. 72 Sp institutum:

1) *Μῦθος* et *διηγήματα* i. e. uaria narrationum genera quae enumerantur ad Her. I 8, 12 seqq. Quae genera narrationum 'a causa ciuili remota' esse tradit, in quibus 'tamen exerceri conuenit quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus': de quibus l. s.: 'Verum', inquit, 'haec in exercendo transigentur: illud quod ad ueritatem pertinet, quomodo tractari conueniat, aperiemus.' In quibus tenerrimae aetatis praeexercitationibus Milesias fabulas sat

impudicas fuisse quod nuper pronuntiatum est nullo pacto poterit aut probari aut omnino credi.

2) *Χρεία* quae exemplo egregio a scriptore ornatur IV 44, 56 seqq.: quod genus exercitationis fere idem est quod ad Her. IV 42, 54 appellatur expolitio, in qua explicanda scriptor et chrias meminit. Quibus addit haec IV 44, 58: 'In his igitur generibus expolitio uersatur, de qua producti sumus, ut plura diceremus, quod non modo cum causam dicimus, adiuuat et exornat orationem, sed multo maxime per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conueniet extra causam in exercendo rationes adhibere expolitionis' e. q. s.

3) *Κοινὸς τόπος*: id est amplificatio per locum communem II 30, 47

4) *Περὶ ἐγκωμίου καὶ ψόγου*. Eiusmodi exercitationes pertinent ad genus demonstratiuum: quod quoniam neque pari auctoritate neque pari usu erat apud Romanos, declamationes ad illud genus pertinentes neque apud Senecam neque apud reliquos inter controuersias et suasorias receptae sunt, cum ad prima rudimenta rhetoricae pertinerent: nam Frontonis aliorum ludibria sciens omitto. In rhet. ad Her. III 8, 15 huius praeexercitaminis usus commendatur his uerbis: 'Nec hoc genus causae eo quod raro accidit in uita neglegentius commendandum est . . . et si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberatiuis causis saepe magnae partes uersantur laudis aut uituperationis. Quare in hoc quoque causae genere nonnihil industriae consumendum putemus.'

Haec habui quae de tribus generibus declamationum quibus uti uoluit ludi illius unde profecta est rhetorica ad Her. magister de progymnasmatis suasoriis controuersiis proferam. Quod tempore Sullano uocabant *exerceri*, id Cicerone sene *declamare* siue *declamitare* appellabatur: quae uerba in rhetorica ad Her. nondum inueniuntur. Nam ad longe alia pertinent III 11, 20. 12, 20 ubi exercitatio moderatio ratio declamationis pluribus tractatur. Nunc de scriptoribus et auctoribus quibus usus sit praeceptor ille et de ratione qua uti illis uoluerit, agendum erit nobis.

De auctoribus et fide scriptoris ad Her.

Totius operis nos nullam partem magis admiramur quam

libri IV prooemium amplum et doctum, quo copiosissime scriptor exponat sese suis exemplis uti in praeceptis confirmandis, non alienis: cuius expositionis cum ad finem disputatio mirum in modo fiat languida et incomposita terminus hic ponitur (IV 7, 10): 'His de causis cum artis inuentionem Graecorum probassemus, exemplorum rationem secuti non sumus.' Similem quaestionem tractauit Cic. or. 38, 132 his uerbis: 'Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses, uterer alienis, uel Latinis, si ulla essent, uel Graecis, si deceret.'

Totum illud prooemium ad chrias regulam contrariis similitudinibus exemplis ornatum ex Graeco aliquo rhetore translatum est: neque enim usquam magis color quidam Graecus apparet in toto libro, quam in hac ipsa parte. Sed rhetor ille quisquis erat minime idem erat cuius sunt praecepta in libro IV tradita, quia in praeceptis illis ratio exemplorum exstat magnopere diuersa: qua re factum est ut pars illa extrema prooemii qua ad praecepta transitur tam languida et incomposita uideatur esse prae superiorum capitum et docta et faceta compositione. Graecas autem facetias Graecamque artem et elegantiam in exemplis et similitudinibus adlatis facile agnoscas ueluti IV 3, 4: 'Quasi si quis Olympia cum uenerit cursum et steterit, ut mittatur, inpudentis dicat esse illos, qui currere coeperint, ipse intra carcerem stet et narret aliis, quomodo Ladas aut Boiscus Isthmiis cursitarint; sic isti, cum in artis curriculum descenderunt, illos, qui in eo quod est artificii elaborent, aiunt facere inmodeste; ipsi aliquem antiquum oratorem aut poetam laudant aut scripturam, in stadium rhetoricae prodire non audent.' Item 6, 9: 'Si Triptolemus cum *a* se hominibus semen gigneretur, ipse ab aliis id hominibus mutuaretur, aut si Prometheus, cum mortalibus ignem diuidere uellet, ipse a uicinis cum testo ambulans carbunculos corrogaret, ridiculus uideretur: isti magistri, omnium dicendi praeceptores, non uidentur sibi ridicule facere cum id quod aliis pollicentur, ab aliis quaerunt? . . . Chares ab Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronium, brachia Praxitelae, pectus Polycletium, sed omnia coram magistrum facientem uidebat, ceterorum opera uel sua sponte poterat

considerare: isti credunt eos qui haec uelint discere, alia ratione doceri posse commodius?' Agnosce salis Graeci et artis, doctrinae, eruditionis summae uestigia neque credideris Romanum hominem excogitasse lepidissima haec tamquam Rhinthonicarum argumenta. Ne illud quidem de arte Lysippi iudicium homo Romanus aliquis putandus est excogitasse: immo haec ex tali quodam auctore sumpta esse apparet unde Varro de l. L. IX 12 periodum hanc sumpserit simillimam: 'Pictores Apelles Protogenes, sic alii artufices egregii non reprehendendi, quod consuetudinem Miconos, Dioros, Arimmae, etiam superiorum non sunt secuti: Aristophanes improbandus, qui potius in quibusdam ueritatem quam consuetudinem secutus?' Praeterea in illo prooemio libri IV septem nomina hominum Graecorum exstant rariora: in reliquis partibus uniuersis si mancipia et heroas fabularum exceperis unus memoratur Alexander Macedo. Denique haec potissimum uerba consideres (IV 3, 6): 'Tum quis est qui possit id quod de arte scripserit conprobare, nisi aliquid scribat ex arte?' Apparet enim haec ab eo dici scriptore, qui et rhetor et orator fuerit Graecumque loci istius auctorem impugnare aut unum quendam aut plures, qui oratoria praecepta enarrare possint, orationem apud populum habere aut scribere habendam non possint. Eiusmodi uero doctor umbraticus Hermagoras Temnius fuit: nam eundem eisdem uerbis increpat Cicero, id est Graecus ille rhetor quem Cicero expressit, libro I 6, 8: Nam Hermagora (nam ita scripsit Cicero teste Quintiliano I 5, 61) nec quid dicat adtendere nec quid polliceatur intellegere uidetur... Quod si magnam in his Hermagora habuisset facultatem studio et disciplina comparatam, uideretur fretus sua scientia falsum quiddam constituisse de oratoris artificio et non quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse. Nunc uero ea uis est in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit: neque eo quod eius ars quam edidit mihi mendosissime scripta uideatur: . . . uerum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit, multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse omnes uidemus.' Habes eadem fere uerba: sed noli arbitrari Ciceronem puerum aut adule-

sceutulum ita docte artem Hermagorae reprehendere; etenim uerba illa non Ciceronis sed tradentis sunt uel Graeci scriptoris illius, quem Ciceronis magister uerterat Latine.

Sed uide quo promissa illa cadant quae in prooemio libri IV per tot paginas acri cum studio exposuit scriptor. O rem ridiculam, Cato, et iocosam dignamque auribus et tuo cachinno! Rhetor ille qui tam acriter et copiose exposuit suis se exemplis et uelle uti et debere uti, quia ipsum rhetorem oporteat et parere et gignere exempla, quid, quaeso, postea fecit? Et optima et plurima ex Graecis auctoribus sumpsit. Quid nos de eo homine iudicabimus qui cum per magnam partem operis ampla et prope dixerim irata argumentatione sese suis exemplis uti debere pronuntiauerit et clamauerit, postea notissima illa Graeca pro suis ausus sit uenditare ueluti IV 33, 44: 'Cuius ore sermo melle dulcior profluebat' et 28, 39: 'Esse oportet ut uiuas, non uiuere ut edas'... 'Poema loquens pictura, pictura tacitum poema debet esse'? Qui Aristarchi illud dictum IV 28, 39, Bionis illud IV 54, 67 de quo iam monuit Petrus Victorius uariar. lect. p. 160. 271 aliorum alia ad uerbum ex Graeco transtulerit? qui translationem explicet hoc exemplo IV 34, 45: 'Cuius mater cottidianis nuptiis delectetur', uidelicet ex Demosthene desumpto qui scripsit in oratione de cor. 129: ἡ μήτηρ τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις . . . χρωμένη κτλ. ipsum illud μεθημερινοῖς apud Demosthenem perperam interpretatus? Ego quia in adnotatione editionis auctores Graecos posui hic nolo ea omnia repetere. Qui adnotationem omnem perlegerit, is longe plurima exempla ex Demosthenis oratione de corona petita esse inueniet, nonnumquam sicuti 30, 41 ex compluribus locis in unum conflata: qui locus et ideo memorandus, quod Lambini emendatio sicuti 28, 38 Halmii quaedam Demosthenis uerbis confirmantur. Quae exempla omnia ex Graeco rhetore quem ludimagister secutus erat sumpta sunt. Etenim permulta eorum a scriptoribus Graecis proferuntur ad eadem praecepta probanda, quae in rhetorica ad Her. exemplis illis confirmantur. Unde apparet prooemium libri IV ab alio auctore Graeco deductum esse, atque ille fuit cuius praecepta fuere: conf. supra p. 78. 84. Quae praecepta cum doctor ille

Latinus discipulis dictaret, ad uerbum Graecum auctorem secutus est: conf. quae adnotauimus ad IV 30, 41.

Auctor igitur rhetoricorum praeceptorum quae in libris ad Her. Latine leguntur eorum in numero erat, qui Graecorum scripta compilare Latine uersa idem esse censuerint atque noua omnino parere et gignere. Prae cuius impudentia et fraude quam religiosi et diligentes putandi sunt Plautus, Terentius, Afranius in prologis suis! Scilicet pulcherrime cum illa prooemii libri IV insolentia et arrogantia conuenit quod idem scriptor I 1, 1 inanem arrogantiam Graecorum scriptorum increpat, Graecos sese corrigere debere et posse castigare confidit III 23, 38 IV 1, 1. 7, 10. Neque tamen sui sibi peculatus praeceptor ille Latinus cuius doctrinam scriptor ad Her. transscripsit non conscius fuisse putandus est.

Nihil enim magis mirabile est et inauditum, quam quod in toto opere cuius et praecepta omnia et exempla plurima ex Graecis scriptoribus sumpta sunt, scriptoris Graeci nomen aliquod reperitur nusquam.

Quod ne credas casu factum esse, comparato Senecam rhetorem, comparato libros de inu. in quibus nominantur Tisias Corax Gorgias Socrates Isocrates Aristoteles Theophrastus Aeschines Socraticus Xenophon Apollonius Hermagoras Euripides. Neque enim ulla re magis duorum operum natura diuersissima intellegitur neque quisquam hac re cognita Ciceronem et scriptorem ad Her. ex eodem ludo profectos esse atque ab eodem praeceptore institutos arbitrabitur. Nam scriptoris ad Her. praeceptor rhetoricam Latinam ita docuit ut Graecos scriptores omnino eiecerit et tamquam furca expulerit ex sua ciuitate.

At Ciceronis praeceptor nec Graecis litteris dignitatem nec Graecis scriptoribus suam negauit gloriam, quorum ne nomina quidem in suis sermonibus audiri Latinus ille rhetor passus est. Cui scilicet homini Demosthenes Homerus Hermagoras numquam uidentur uixisse: auctores laudari poterant tantummodo Catones Crassi Ennii Caelii (IV 5, 7). Egregie uero concinit cum hac proprietate scriptorum, quod supra p. 104. 109 de controuersiis utriusque docuimus, quas apud illum esse saepe Graecas et ex Graecorum uita et moribus

ductas uidimus, apud hunc qui germanissimus erat Latinus, ita inueniuntur mutatae ut quam proxime ad populi Romani instituta mores leges accedant. Quare non recte neque ex libri natura neque ex codd. auctoritate editores fecerunt qui uerba Graeca quae in libris ad Her. inueniuntur, litteris Graecis scribenda esse duxerunt. Nam I 4, 6 omnes codd. habent *epodos* et *prohemium*, II 2, 2 in uocabulo *epicheremata* in optimis nulla scripturae Graecae uestigia sunt, sicuti ne in *nemonicis* quidem III 17, 30. 24, 40: optimi codd. I 16, 26 habent *crinomenon* ubi quod d habet *kpinomenon* id natum esse ex librarii cuiusdam studio apparet qui sese uel Graece scire abbati suo erat demonstraturus sicuti I 4, 6 in nonnullis libris male interpolatis pro epodos id est ἔφοδος a peruerse docto quodam monacho positum inuenitur επωδος. II 30, 47 omnes codd. praeter H *epilogi*, ille επιλογη pro *epilogi* habet natum ex glossa Byzantini alicuius siue Langobardici librarii, qui ex dominatu Byzantinorum Graecis litteris imbutus erat. Nam η pro οι positum serae aetatis est: idem autem homo aetatis Byzantinae IV 31, 42 illud ονοματοποεια apposuisse putandus est. Quare nos Graecas litteras ex eo opere sustulimus, cuius auctor ne Graeci scriptoris quidem nomen usquam uoluit inueniri. Sed in his quoque quos modo posui locis apparet quam diuersi sint Ciceronis libri de inu. a rhetorica ad Her. Neque enim in libris de inu. usquam talia inueniuntur uerba Graeca qualia illa sunt epicherema prohemium epodos epilogi crinomenon sed ubique artis uocabula tantummodo ponuntur Latina. Denique hoc animum aduertendum neque de lingua neque de litteris Graecis neque de exercitationibus lingua Graeca faciendis quas Cicero apud Suet. de rhet. 2 Brut. 90, 310 in caelum fert ullam in libris ad Her. exstare memoriam.

Iam agendum erit de exemplis Latinis, in quibus adferendis pari ratione non potuit uti atque in Graecis nisi discipulis uideri uoluit cerritus et furiosus. Neque adhuc demonstrari potuit hominem oratorem aliquem aut scriptorem ad uerbum expressisse, quamquam permulta exstant indicia eum artissime ueterum oratorum uestigia esse secutum in exemplis suis. Unum tantum exemplum hoc proferam. IV, 13 19 repetitionis exemplum proposuit hoc: 'Tu in forum pro-

dire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum uenire conaris?' Crassus dixit in oratione contra Brutum apud Cic. de or. II 55, 226: 'Tu lucem aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in ciuium esse conspectu?' Praeterea conf. quae passim adnotauimus in editione. Quae similitudines omnes repetendae erunt ex consuetudine discentium et ex institutione oratoria. Cuius rei omnium clarissimum exstat testimonium apud Cic. de or. I 34, 154, qui Crassum haec inducit loquentem: 'In cottidianis autem commentationibus equidem mihi adulescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem . . . solitum esse uti sciebam, ut aut uersibus propositis quam maxime grauibus aut oratione aliqua lecta ad eum finem quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, uerbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animaduerti hoc esse in hoc uitii, quod ea uerba quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius uersus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem' e. q. s. Quo loco sane memorantur illae καϑ' ἡμέραν γυμνασίαι quas Dionysius in epilogo libri de compos. uerb. laudat. Apparet iam temporibus Gracchanis hoc exercendi genus fuisse usitatum quod etiam postea commendat Quintil. X 5, 5 et Fortunatianus RLM p. 122, 19 H qui metaphrasin appellat qua sese exercet Demosthenes apud Plut. Demosth. cap. 8. Qua ratione declamandi cum certe usus fuerit praeceptor ille scriptoris ad Her. non potuit non accidere ut loci in illo libro inueniantur ueterum oratorum simillimi.

Sed locus ille Ciceronis etiam hac de causa inprimis considerandus est, quod ibi Ennium et Gracchum illis iam temporibus tamquam exempla proposita fuisse apertis uerbis traditur: nam eosdem auctores proponit scriptor ad Her. IV 1, 2 his uerbis: 'Etenim cum possimus ab Ennio sumere aut a Gracco ponere exemplum uidetur esse adrogantia illa relinquere, ad sua deuenire.'

Ratio igitur exemplorum Latinorum inprimis erit consideranda. Oratorum omnium maxime admiratur C. Gracchum et L. Crassum cuius facultatem homines studere consequi

tradit IV 2, 2. C. Gracchum laudari ab homine qui nobilibus parum fauebat consentaneum est: L. autem Crassus C. Marii affinis erat (Cic. de or. I 15, 66 pro Balb. 21, 49 ad Att. XII 49, 1) cuius eloquentiam aemularetur P. Sulpicius et Marii amicus et Crassi (de or. I 21, 97 II 3, 12. 21, 89 III 12, 47). L. Crassi fragmentum unum exstat IV 3, 5 quem locum accuratius exhibet Cicero l. s. in adnotatione, praeterea in uitiis demonstrandis adfertur Caelii Antipatri locus IV 12, 18 et Curionis fragmentum subtracto auctoris nomine II 20, 33. Quod cum scriptor IV 12, 18 dicat ‘in uitiis nihil prohibere alienis exemplis uti’ et illo loco II 20, 33 nomen auctoris in exemplo aliquo non attulerit, nos in uitiorum exemplis eum saepius auctorum nomina silentio oppressisse facile suspicabimur. Veluti IV 12, 18 quae inter Ennii uersus extant uerba: ‘Nam cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non est fidem habere’, ea uidesis quam facile legitimos capiant numeros:

Nam cuius rationis ratio non extet ⟨bona⟩
Ei rationi habere non ratiost fidem.

Neque enim eiusmodi uerborum lusus apud ullum poetam saepius inueniuntur quam apud Ennium cuius similes uersus legantur et ad Her. l. s. et apud Gellium XVIII 2, 7: ‘Nam qui sese frustrari quem frustra sentit Qui frustratur is frustrast si non ille est frustra’ — in quibus poeta comicorum Graecorum aemulatus erat lusus quales sunt Menandri CAF III p. 266 edit. Kock. *ὁ μὴ γέλωτος ἄξιος ἂν ᾖ γέλως αὐτὸς πέφυκε τοῦ γέλωτος κατάγελως* et Philemonis l. s. II p. 484 *ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν.* Illud denique fragmentum quod hiatus exemplum adfertur l. s.: ‘bacae aeneae amoenissime inpendebant’ Asianum aliquem redolet scriptorem qualis Caelius Antipater erat l. s. qui uituperatur aut Sisena Milesiarum auctor. Quales scriptores Varro Menippeus aut deridet aut imitatur ut erat Hegesiae laudator teste Cicerone ad Att. XII 6, 1 sat. Menipp. 375 B hac descriptione: ‘ante auris modo ex subolibus paruuli intorti demittebantur sex cincinni, oculi suppaetuli nigellis pupulis liquidam hilaritatem significantes animi, rictus paruissimus ut refrenato risu roseo.’

Sed rhetorem exempla illa omnia quae in uitiis adferuntur ipsum in Ennii Caelii Curionis libris conquisiuisse omni caret probabilitate. Creditur quidem uulgo Ciceronem compilasse libros ad Her. quae quaestio quoniam artissime cum ista disputatione de exemplis coniuncta est iam accuratius nobis erit tractanda. De ratione quae inter Ciceronis libros de inu. et rhetoricam ad Her. intercedat.

Atque tres praecipue de ratione quae inter libros ad Her. et de inu. intercedat prolatae sunt sententiae. Alii dixerunt libros ad Her. ex libris de inu. exscriptos esse, alii utriusque operis auctorem in eodem ludo ab eodem doctore institutum, longe plurimi Ciceronem furem per malam fraudem libros ad Her. compilasse. Quarum sententiarum quae tertio loco profertur cum longe plurimis probata sit, nos eam primum diligenter iam examinabimus. Atque grauissimus quidem omnium locus et huius sententiae fundamentum unicum et singulare hic est:

Iam Antonius Mancinellus in praefatione edit. Venet. a. 1496 comparauit ad Her. I 9, 16 cum de inu. I 17, 23 ubi haec leguntur: 'Nunc insinuationes quemadmodum tractari conueniat deinceps dicendum uidetur. Insinuatione igitur utendum est, cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est. Id autem tribus ex causis fit maxime: si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudo, aut ab iis qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum uidetur aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi quos audire oportet, defessi sunt audiendo.' Plane similiter ad Her. I 6, 9: 'Deinceps de insinuatione aperiendum est. Tria sunt tempora quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut cum turpem causam habemus, hoc est cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat, aut cum animus auditoris persuasus esse uidetur ab iis qui ante contra dixerunt aut cum defessus est eos audiendo qui ante dixerunt.'

Hunc ipsum locum postea tangit cum transitione usus admodum loquaci et continuatione impedita et molesta haec scribat I 9, 16: 'Adhuc quae dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli praeter ceteros in

tria tempora diuisimus, ut plane certam uiam et perspicuam rationem exordiorum haberemus. Nunc quod reliquum est, quoniam de rerum inuentione disputandum est, in quo singulare consumitur oratoris artificium, dabimus operam ut nihilo minus industrie quam rei utilitas postulabit, quaesisse uideamur, si prius pauca de diuisione causarum dixerimus.' Quibus locis inter se comparatis nemo non uidet doctrinam illam a scriptore ad Her. traditam et tempore et arte priorem esse ea quae in libris de inu. traditur neque hanc rem bonis diluere potuerunt argumentis Weidnerus praef. edit. de inu. p. XV G. Thieleus Quaestiones de Cornifici et Ciceronis artibus rhetoricis Gryphiswaldiae 1889 p. 19. Itaque Mancinellus ita conclusit: Cicero illa doctrina, quae ab auctore librorum ad Her. primum profertur est usus. Cicero fur non est. Ergo libri ad Her. Ciceronis sunt. Recentiores editores Schuetzius Kayserus alii contra hoc modo: Cicero illa doctrina est usus. Libri ad Her. Ciceronis non sunt. Ergo Cicero fur est scripsitque post editos libros ad Her.

Utraque conclusio falsa est. Ego uelim illi qui ita concludunt quo uulgo solet hodie concludi prius illam tractauerint quaestionem de fide scriptoris ad Her. Etenim ego quidem nego hominem Romanum in praeceptis rhetoricis tale quid nouasse nedum eum scriptorem qui talem periodum posuit elumbem et claudicantem qualem l. s. legimus, qui in exemplis eam rationem secutus sit, quam supra p. 114 satis accurate cognouimus. Ille enim qui complures per paginas satis studiose declamauerit sese suis usurum esse exemplis quandoquidem rhetorem ipsum gignere deceat et parere exempla, non aliena pro suis uenditare, paucis paginis post talia ponat exempla quale illud est 'poema loquens pictura, pictura tacitum poema debet esse', ille dico qui Graecorum nomina auctorum, quos ubique expilat ad uerbum, non ausus est laudare, nulla sane dignus erit fide. Neque hercle quae est ratio studiorum istorum meum erit demonstrare, hominem illum aut ipsum aut eius praeceptorem non potuisse tale quid inuenire aut nouare, sed eorum qui hoc credunt omni dubitatione abiecta officium erit ostendere quid rhetores Latini, quid hic scriptor eiusue magister omnino nouauerint;

qui IV 7, 10 scribat sese exemplorum rationem a Graecis adhibitam non sequi, probasse eorum artis inuentionem. An quisquam propter uerbum illud *separauimus* IV 31, 42 censebit scriptorem ad Her. tropos ipsum separasse a reliquis figuris uerborum? Nam nos in dies magis magisque hoc discimus in artibus rhetoricis in philosophia in aliis disciplinis Romanos scriptores nihil aliud fecisse quam uestigia eos doctrinae Graecae secutos esse, scripta illorum mera apographa esse litterarum Graecarum uerbis additis quibus abundabant. Tamen nemo Romanorum tam ridiculus hercle factus est quam scriptor ad Her. illo prologo libro IV agglutinato.

Acta esset res, si hanc ipsam de insinuatione quae Graece *ἔφοδος* appellatur doctrinam apud Graecum aliquem rhetorem possem inuenire. Sed in tanta rhetorum et artium iactura idem confiteor quod Doxopater ille RG II p. 546, 25 W *ἐγὼ δὲ ἀκριβέστερον τῶν νῦν περὶ αὐτῆς εἰρημένων οὐδὲν εὗρον παρὰ τοῖς παλαιοῖς*. Nihilominus ego meo iure illum locum fere ad uerbum ex Graeco translatum esse censeo, dum aliquis certis rationibus et argumentis me errare demonstrauerit. Nam translationis Graecae signa toto hoc loco satis aperta sunt ueluti conf. quae in epistola rhetoricae ad Alex. praemissa p. 4, 20 edit. Sp. exstant *παρειλήφαμεν δὲ καθάπερ ἡμῖν ἐδήλωσε Νικάνωρ καὶ τῶν λοιπῶν τεχνογράφων ὅστις κτλ.* et quae ad Her. I 7, 11 leguntur: 'At insinuatio eiusmodi debet esse ut occulte per dissimulationem eadem illa conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendi opere uenire possimus': quae ex Graeco uersa esse intellegitur conlatis RG VII 1 p. 54, 14 *ἡ δὲ ἔφοδος τότε γίνεται ἡνίκα μὴ φανερῶς τι βουλευόμεθα σημαίνειν καὶ λαθραίως δι' ἑτέρων λόγων εἰσάγομεν αὐτό*. Postremo quo magis intellegatur plane Graecae indolis esse locum illum ad Her. I 6, 9 s. s. conf. Anonymus Seguerianus RG I p. 430 Sp. p. 6 edit. Graeuen.: *Ἰστέον ὅτι πολλάκις δεῖ παραιτεῖσθαι τὰ προοίμια· οὐ γὰρ ἀεὶ προοιμιαστέον. πολλὰ δέ ἐστι τοιαῦτα, οἷον ὅταν ἢ περὶ κυνιδίου ἢ ἀργυρίου δίκη ᾖ . . . δεύτερον, ὅταν πάθος μὲν ἔχῃ, ὁ δὲ ἀκροατὴς μὴ προσίηται τὸν ἔξω τῶν πραγμάτων λόγον ἤτοι σπεύδων ἢ ὀργιζόμενος. τρίτον,*

ὅταν οἰκεῖοι ὦσιν οἱ ἀκούοντες . . . τέταρτον ὅταν ὀλίγον λαμβάνωμεν ὕδωρ κτλ.

Praeterea supra uidimus secundum sententiam scriptoris ad Her. in exemplis idem esse Graecorum scripta ad uerbum compilare atque noua ipsum gignere et parere. Quodsi idem scriptor l. s. ait 'Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora diuisimus', ea secundum illam scriptoris rationem qua alienis utitur audacter nihil indicant nisi apud Latinos artis scriptores sese primum hanc protulisse diuisionem. Etenim cum de Graecis scriptoribus agitur, semper additum legimus nomen *Graecus* ueluti I 1, 1 III 23, 38 IV 1, 1. 7, 10 neque IV 7, 10 neque omnino ullo loco sese primum omnium de ratione dicendi apud Romanos aliqua scribere conatum esse scriptor ad Her. ausus est pronuntiare. Tum illud ipsum de quo agitur enuntiatum addas oportet eis compluribus quae per iocum ex more Pharisaeorum dicta diximus supra p. 87 quo magis appareat quam propensus fuisse ille sit putandus ad eiusmodi sententias satis gloriosas enuntiandas.

Ergo nos ex illis locis inter se comparatis nihil effici censemus nisi hoc unum, artem illam Graecam quam auctor librorum ad Her. secutus sit, aetate priorem fuisse ea quam Ciceronis praeceptor in linguam Latinam transtulerat: quod omnes qui utramque bene nouerunt — quamquam hodie perpauci libros de inu. accurate legerunt, pauciores recte intellexerunt — ex ceteris praeceptis confirmari concedent. Veluti conf. quae leguntur ad Her. I 11, 18: 'Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tres putauit esse, non ut de illorum quicquam detraheret inuentione, sed ut ostenderet id quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito.' Parum accurate Graeca uertisse apparet rhetorem, quoniam quartam constitutionem non plures inuenerunt, sed teste Cicerone I 11, 16: 'Huius constitutionis Hermagora inuentor esse existimatur, non quo non usi sint ea ueteres oratores saepe multi, sed quia non animaduerterunt artis scriptores eam superiores

nec rettulerunt in numerum constitutionum. Post autem ab hoc inuentam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus, res enim perspicua est, quam inuidia atque obtrectatione quadam impediri.' Audi rhetores inter se litigantes: Graeculus ille, quem Cicero sequitur, cum in principio libri I (6, 8) acerrime in Hermagoram inueheretur, hoc loco illum defendit a reprehensione rhetoris illius cuius artem scriptor ad Her. expressit: nam omnem hanc rixam Graecis auctoribus tribuendam esse nec hominem Latinum illis temporibus tali naso praeditum fuisse ut rhetorum artificia Graecorum suo superare posset acumine manifestum est. Color autem utriusque loci plane Graecum auctorem esse suadet: conf. Hermog. RG III p. 46, 23 W II p. 163, 5 Sp: *'Επειράθησαν δέ τινες τῶν ἐπιγραψαμένων τέχνην ῥητορικὴν τὸ περὶ διαιρέσεως μέρος αὐτῆς εἴδη τινὰ εἰπεῖν ἀντιστάσεων καὶ νὴ Δία γε τῶν ἄλλων ἀντιθετικῶν στάσεων, οὐχ ἵνα διάφορόν τινα οὖσαν τὴν διαίρεσιν ἐν αὐταῖς διδάξωσιν ἡμᾶς, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ἔν τε ἀντιλήψει καὶ ἐν ἄλλοις πεποιήκαμεν, ἦ γὰρ ἂν ἴσως τινὸς ἦν ἄξιον, ἀλλ' ὅτι φασὶν ἡ μὲν ἰδιωτική, ἡ δὲ δημοσία, ἡ δὲ μικτή ἐστι, καὶ τοιαῦτά τινα.* Interpretatus autem est semper fere scriptor ad Her. eiusue praeceptor in praeceptis ad uerbum Graecos auctores. Conf. quae adnotauimus ad IV 30, 41 alibi et 39, 51 extr. cum Apsinis praeceptis RG IX 585 W I 398 Sp: quo loco egregie apparet quam male in rhetorica ad Her. ad praeceptum illud quo *breuiter* describere iubemur, exemplum additum sit nimis longum et amplum.

Cum uero tam immensa multitudo rhetorum Graecorum illis temporibus docuerit in orbe terrarum, ex illis duobus locis inter se comparatis licebit suspicari auctores librorum ad Her. et de inu. Graecos illam suam exercuisse litem non alterum ab altero procul remotum sed illos in eadem parte terrarum positos diuersa de rhetorica praecepta tradidisse. Auctor uero Graecae artis quam scriptor ad Her. expressit etiam Quintiliani saeculo erat illustris: artis enim inuentionem ad tres status adcommodauerat, quorum primus erat *στοχασμός*, sequebatur *στάσις νομική*, tertius *δικαιολογία* appellatus erat: eosdem tres Latine uersos constituerunt cum

alii tum Verginius Flauus rhetor, Quintiliani aequalis: coniecturalem legalem iuridicialem (Quintil. III 6, 45). Verginium sicuti illum rhetorem apud Iuuenalem de quo supra p. 81 egimus Theodori ita Graeci cuiusdam rhetoris artem in praeceptis Latinis secutum esse eo efficitur, quod νομική non uerterat *legitimus* sicuti scriptor ad Her., sed *legalis*.

Praeterea hoc uelim considerent ei, qui Ciceronem arbitrantur libros ad Her. compilasse, quod locis haud paucis ille multo est diligentior et accuratior. Veluti apud hunc legimus II 31, 50: 'Commiserationem breuem esse oportet: nihil enim lacrima citius arescit.' Iure laudauerit quis hoc dictum quasi uere Romani saporis: at eadem Cicero, sed accuratius I 56, 109: 'Commotis autem animis diutius in conquestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacrima nihil citius arescit.' Certe tali modo furari non consuerunt illi quos aliorum scripta in suos libros inferre non pudet. Quod dictum cum ex Graeco uersum esse pateat, primum ni fallor Gybertus Longolius in edit. Coloniensi a. 1539 uerba Graeca constituit haec οὐδὲν θᾶσσον ξηραίνεσθαι δακρύου quae eadem in Stephani thesauro s. u. ξηραίνω hodie leguntur. Quae uerba num apud Graecum aliquem scriptorem exstent, ego nescio. Facile autem hunc tu restitues senarium θᾶσσον γὰρ οὐδὲν δακρύου ξηραίνεται. Accedit aliud. Legitur quidem ad Her. II 20, 33: 'Item uitiosa expositio est, cum id quod raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo: Nemo potest uno adspectu neque praeteriens in amorem incidere.' Quanto doctior Cicero I 43, 80: 'aut si id, quod raro fit, fieri omnino negatur, ut Curio pro Fuluio: Nemo potest uno adspectu neque praeteriens in amorem incidere.' Tune putas reuera Ciceronem oratoris tam obscuri orationem parum celebrem in exemplo tam simplici et uulgari exscribendo euoluisse nomenque potius addidisse? An id ueri similius est, scriptorem ad Her. eodem usum esse auctore Latino quo Cicero, sed nomen oratoris illius omisisse? Cuius id praecipue proprium est ut nomina omittat uel supprimat ueluti in loco illo I 11, 18 supra p. 122 tractato omisit nomen Hermagorae, quod recte exstat apud Ciceronem, supposito uocabulo *alii* satis inepte:

deliberationis exemplum uterque proponit Casilinenses ab Hannibale circumsessos III 5, 8 II 57, 171: sed Cicero solus nomen Hannibalis et Casilinensium addendum esse putauit.

Neque uero scriptor ad Her. tantummodo nomina auctorum suppressit sed etiam exempla consulto praeteriuit a Cicerone recte posita. Veluti ille libro I 8, 13 haec tradit: 'Fabula est, quae neque ueras neque ueri similes continet res, ut eae sunt quae tragoedis traditae sunt. Historia est gesta res, sed ab aetatis nostrae memoria remota. Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit uelut argumenta comoediarum. Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festiuitatem animorum dissimilitudinem' e. q. s. Plane eadem Cicero I 19, 27: 'Fabula est in qua nec uerae nec ueri similes res continentur, cuiusmodi est: Angues ingentes alites iuncti iugo. Historia est gesta res, ab aetatis nostrae memoria remota: quod genus: Appius indixit Karthaginiensibus bellum. Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit. Huiusmodi apud Terentium: Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia. Illa autem narratio, quae uersatur in personis, eiusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint: hoc modo: Venit ad me saepe clamans: Quid agis, Micio? Cur perdis adulescentem nobis? Cur amat? . . . Nimium ipse est durus praeter aequumque et bonum. Hoc in genere narrationis multa debet inesse festiuitas, confecta ex rerum uarietate, animorum dissimilitudine' e. q. s. Atque isto certe loco Cicero alio auctore usus est: nam apud scriptorem ad Her. omnia illa exempla omissa sunt. Qua uero de causa?

Cur exempla ista Cicero addiderit, ego non uideo: cur ille omiserit, intellego. Copiosissime enim libro IV prooemiatus est sese alienis exemplis non usurum sed sua tantummodo prolaturum: IV 12, 18 addit in uitiis sese alienis exemplis quin utatur nulla re prohiberi. At I 9, 14 paulo post illum ubi exempla omisit locum, de uitio narrationis praecipit nec exemplum proferre alienum aspernatus est: 'Athenis Megaram uesperi aduenit Simo' e. q. s., quod exemplum apud Ciceronem non inuenitur. Ergo nos non mirabimur, quod in uitiis

demonstrandis scriptor ad Her. multo copiosior est et largior exemplorum auctor, in praeceptis quae ad uitia non spectant multa ille omisit. Quod inprimis apparet in ampla illa dissertatione quae est de uitiis argumentationis II 20, 31—30, 47 cum qua conf. Cic. I 42, 78—51, 96. In qua longe plura poetarum exempla scriptor ad Her. attulit quam Cicero. Thieleus l. s. p. 86. 87 arbitratur scriptorem ad Her. in hac de uitiis argumentationum disputatione melioribus uti rationibus quam Ciceronem: quod ego quidem fieri nego. Videsis quam manifestum sit totam illam de uitiosa argumentatione expositionem a scriptore ad Her. ex uetustiore rhetore Latino desumptam esse. Cuius rei tria haec proferenda sunt argumenta:

Primum tota illa disputatio cum antecedente disputatione quae est de argumentatione ea coniuncta est transitione II 20, 31, quae sane ita contorta et conturbata est, ut aegre cum antecedentibus praeceptis possit consociari, cum sequentibus non possit. Quamquam duo esse cum scribat genera uitiosarum argumentationum et profiteatur sese utriusque generis exempla esse subiecturum, quod horum generum postea nec mentionem fieri usquam uidemus nec exempla proferri, id potest quodammodo explicari lacuna illa II 22, 34 extr. coorta nec recte editores ea de causa hunc locum aut totum aut partem eius damnarunt ut spurium. Nam singulae locutiones omnes ueluti *nugatorius, indiget reprehensionis* aliae stili scriptoris maxime propriae sunt. Sed in eis quae secuntur bipertitam illam diuisionem aut parum respici aut non respici manifestum est. Itaque nos ex illa transitione nihil nisi hoc intellegemus in uetustiore illa rhetorica Latina aliam fuisse uitiorum et exemplorum dispositionem quam illa est quae in libris ad Her. l. s. exstat.

Deinde quamquam scio scriptorem eandem rem alio loco dicere *abscisionem*, alio *praecisionem*, eandem alio loco *exsuperationem*, alio *superlationem*, tamen permirum est quod ille cap. 18 argumentationis partes V appellat *propositio, ratio, rationis confirmatio, exornatio, complexio*, inde a cap. 20 pro *propositio* semper posuit *expositio*, cum reliquae partes isdem nominibus appellentur. Quod eo grauius erit argumentum, quod in reliquis partibus operis uocabulum expositio

longe aliam habet uim — nam locus III 9, 16 grauiter corruptus est —, sed propositio recte positum inuenitur IV 16, 23. 49, 62. Idem cadit in uocabulum *reprehensio* quo neglecto illo uocabulo *confutatio* nonnisi hoc capite usus est.

Postremo quod supra suspicati sumus per totum illud caput exempla ordine immutato singulis partibus argumentationis addita esse, id quiuis facile perspiciet semel de hac re monitus qui expositionem totam accurate perlegerit. Nam ille ad uitia partium priorum III illustranda multa habet exempla, ad exornationis uitia demonstranda 29, 46 uix unum, ad ultimae partis uitia, i. e. complexionis, quae pars omnium sane grauissima est, nullum iam exemplum praesto est omnibus iam in prioribus partibus consumptis. At quomodo exempla sua consumpsit! Conf. quae leguntur in confirmatione rationis uitiosa inde a II 24, 38 ubi primo sane loco et secundo capitula incipiunt uerbis *uitiosa est confirmatio rationis*, inde a tertio nihil praemittitur nisi uerba *Item uitiosum est.* Sed quid omnino ad confirmationem rationis pertinet si praecipit 26, 41 'item uitiosum est uulgaribus definitionibus uti', 27, 43 'item uitiosum est quod dicitur contra iudicis uoluntatem', 27, 44 'item uitiosum est artem aut scientiam aut studium quodpiam uituperare'? Quanto melius et aptius Cicero I 48, 89 seqq. haec omnia uoluit pertinere ad ipsum genus argumentationis uitiosum? Itaque apparet opinor in uetustiore aliqua rhetorica Latina amplam fuisse et copiosam dissertationem de uitiis argumentationum qua et Cicero et scriptor ad Her. usus est, exempla poetarum hic plura exscripsit, quia in uitiis alienis exemplis se uti posse arbitrabatur, doctrinam auctoris ipsam neuter satis accurate consecutus est neque quae erat artis Graecae quam quisque secutus est condicio apte potuit consequi. Atque hunc ipsum de uitiis poematum locum operae pretium est monere iam ab antiquissimis grammaticis tractatum esse siquidem auctore Charisio p. 141, 33 'Q. Laelius ex principibus grammaticis librum suum ita inscripsit: de uitiis uirtutibusque poematorum'.

Itaque qui arbitrantur Ciceronem libros ad Her. compilasse uelim et illa quae modo exposui argumenta refellant et haec. Primum eis demonstrandum erit Ciceronem illo

loco de or. I 2, 5 ubi tradit libros de inu. a se puero uel adulescentulo compositos esse parum recte locutum esse, deinde — quod argumentum omnium est grauissimum — uelim exponant qui factum sit ut Cicero cum libros ad Her. exscriberet, omnia illa exempla quae et ad bellum Marsicum et ad Marianum pertinent omiserit neque ullam rem passus sit inueniri in suis libris gestam post annum fere 662/92: quod casu factum esse nego. Postremo uel unum locum demonstrent, quo Cicero libros ad Her. eodem modo exscripserit quo Solinus Plinium uel Macrobius Gellium, quo possit bonis ostendi argumentis, non utrumque hausisse ex fonte communi, sed alterum alterius riuulos in suum per fraudem deduxisse campum. Quam difficile uero sit in singulis locis diiudicare utrum hoc ab illo an illud ab hoc enuntiato sit descriptum exemplum unum proponam. Ad Her. IV 25, 35 legitur in definitionis praeceptis: '. . . fortitudo est contemptio laboris et periculi cum ratione utilitatis et compensatione commodorum, temeritas est cum inconsiderata dolorum perpessione gladiatoria periculorum susceptio' cuius loci similis est ille III 3, 6 extr. At III 2, 3 fortitudo sic definitur: 'Fortitudo est rerum magnarum appetitio et rerum humilium contemptio et laboris cum utilitatis ratione susceptio.' Attamen illa temeritatis definitio conficta esse uidetur ad fortitudinis definitionem eam quae in libris ad Her. nusquam, sed in II de inu. 54, 163 legitur: 'Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio.' Neque tamen quisquam libros ad Her. ex Ciceronis libris de inu. descriptos esse iudicabit quae erat sententia uetustiorum illorum editorum ueluti Burmanni edit. praef. p. XXIII. Quam sententiam nemo poterit defendere qui uel illud caput de uitiis argumentationum in utroque opere positum accurate pertractauerit.

Alii ueluti Weidnerus in praef. edit. librorum de inu. negarunt libros de inu. ex rhetorica ad Her. descriptos esse, cuius in hac re iudicium probo, rationem et argumenta non probo. Quorum in numero Handtius est qui in Erschii et Gruberi onomatologo uol. XVII p. 208 censet fieri potuisse ut et Cicero et scriptor ad Her. eiusdem rhetoris Latini institutione et sermonibus usi suos libros elucubrauerint: iam

Badius Ascensius in edit. Parisina a. 1508 in disquisitione praemissa libros ad Her. dixit esse 'fortassis opus hominis in eodem cum Cicerone ludo instituti'. Hanc sententiam uberius exsecutus est auctore Kiesslingio Thieleus in dissertatione supra p. 120 laudata. Attamen si ea quae supra de natura et origine utriusque operis exposuimus p. 104. 115 si utrumque opus commentarius scholasticus est nec scriptorum illa praecepta rhetorica sed tradentium, illa nullo pacto sententia poterit stare. Scriptor ad Her. purus putus est Latinus, res Graecas remouit ex libro suo nec nomen Graeci scriptoris in opere suo passus est inueniri. Longe aliter Cicero cuius opus si comparaueris palliatae, rhetoricam ad Her. compares oportet togatae. Praeterea utriusque operis praecepta minime possunt nata esse in eadem schola, nisi forte quis demonstrare possit philosophum aliquem modo docuisse Peripateticam doctrinam, modo Epicuream uel rhetorem quendam modo Apollodori modo Theodori disciplinam esse professum. Toto caelo enim artes Graecae quas secuntur inter se diuersae sunt, immo altera alteri infensa: conf. supra p. 123. Multo copiosior et plenior Cicero multoque doctior: numerum paginarum consumpsit in inuentione tractanda altero tanto ampliorem quam scriptor ad Her. Praeterea quae de constitutionibus docent, maxime inter se discrepant, cum Cicero controuersiam esse aut in scripto aut in ratione doceat, illam esse quinquepartitam, hanc quomodo apte interpretatus sit, non inuenio: deinde quattuor esse constitutiones ab istis controuersiis, quarum alteri Hermagoras quattuor constitutiones subiunxerat, diuersas: at anonymus ad Her. controuersias scripti et rationis omnino omittit, tres adhibet constitutiones, coniecturalem, legitimam, iuridicialem. Atque coniecturalis quidem constitutio etiam apud Ciceronem inuenitur, sed ita tractata et in partes ita distributa, ut nihil omnino simile apud utrumque inueniatur: legitima constitutio eadem esse apparet atque controuersia scripti Ciceronis, nisi quod apud anonymum illum translatio pars est legitimae constitutionis, apud Ciceronem constitutionis quartae numero habetur. Iuridicialis constitutio apud anonymum tertia est, cum Cicero partem eam dicat esse constitutionis generalis. Ordo deinde disputationis diuersus est: Cicero

illam de IV constitutionibus doctrinam ante exordium et narrationem explicatam enarrat: scriptor ad Her. exordio narratione diuisione absoluta, cum ad confirmationis praecepta adgreditur. Postremo confirmationis praecepta quam subtilia et copiosa exhibeat Cicero, cum apud alterum illum pauca tantum et tenuia exstent, omnes sciunt qui eam partem accurate perlegerunt: nihil hic docet de ratiocinatione, nihil de inductione. Porro ipso illo loco quo Ciceronem anonymi praecepta de exordio enarrata sequi uiri docti arbitrantur, hic IV genera causarum enumerat, ille V. Deinde in amplificatione scriptor ad Her. II 30, 48 decem locos communes enumerat, quindecim Cicero I 53, 100 et quantum diuersos! in misericordia ille II 31, 50 fere octo, hic I 55, 106 sedecim. Ex quibus omnibus id sane apparet, artem illam Graecam quam Cicero sequitur et auctiorem et quasi prouectiorem fuisse illa quam anonymus est interpretatus: unde ne efficias Ciceronem post illum scripsisse, Verginium Flauum memento eadem illa arte in constitutionum doctrina esse usum: conf. supra p. 124. Tum artis uocabula passim diuersa leguntur: apud Ciceronem appellatur partitio relatio criminis indignatio conquestio casus temperantia narratio aperta probabilis quae apud alterum uocantur diuisio translatio criminis amplificatio commiseratio fortuna modestia narratio dilucida uerisimilis. Cornificii opus de figuris in eodem ludo quo rhetorica ad Her. natum esse potest: Ciceronis opus de inu. non potest.

Eo maioris momenti sunt illa artis uocabula Latina quae casu eadem esse non possunt ex Graeco translata. Quae ni fallor nos relegant ad aetatem illam qua Lucilius saturas suas composuit. Atque primum quidem utrique rhetoricae Latinae communis est ratio exordii. Exordium diuiditur in insinuationem et in principium, quae Graece appellantur *προοίμιον* et *ἔφοδος*. Manifestum est inuentorem huius partitionis Graecum exordio suum tribuisse ac proprium uocabulum. Quale id fuerit, non traditur. Quid tamen apertius est et ueri similius, cum ad Her. II 30, 47 conclusioni datum sit nomen *ἐπίλογος*, quam ut exordio nomen fuerit *πρόλογος*? Atqui iam Lucilius libro XXIX FPR p. 225 hoc uocabulum ita uerterat uersu illo 'uerum tristis

contorto aliquo ex Pacuiano exordio' quo in uersu poeta iam quodammodo docuit idem de exordio quod ad Her. I 9, 15 de inu. I 20, 29 de narratione praecipitur 'ne quid contorte'. Appellatur autem insinuatio ad Her. I 4, 6 *epodos*, non *ephodos*, cum 11, 19 aspiratio recte seruata sit in *scapham*, II 24, 38. 25, 39 in *Chrespontem*, 27, 43 in *Zethus cum Amphione*, sicuti alibi in *Corinthus Aethiops Prometheus cithara Chares architectari choragium* — uocabula *carta coclea clamyde* iam diu cum facta fuerint Latina praetermittenda certe sunt. Quare illud *epodos* plane singulare et inauditum a scriptore sumptum esse statuemus ab auctore quodam rhetoricae Latinae qui scripsit ante annum 650/104 usi Mommseni disputatione Herm. XIV p. 68.

Deinde in constitutionum doctrina multa artis uocabula apud utrumque inueniuntur simili modo Latine uersa. Veluti pro *στάσις* uterque *constitutio*, pro *στοχασμός* uterque *coniecturalis*, pro *δικαιολογική* uterque *iuridicialis*, cuius constitutionis partes *ἀντίληψις ἀντίθεσις συγγνώμη μετάστασις κατ' ἀντέγκλημα ἀντίστασις κτλ.* apud utrumque non modo eaedem inueniuntur sed etiam eisdem uocabulis appellantur *absoluta adsumptiua concessio remotio criminis relatio* (ita Cicero: alter *translatio*) *criminis comparatio*: quod casu factum esse nemo arbitrabitur. Sed ne hoc quidem casu factum esse potest quod in his duabus constitutionibus adhibendis non solum alter cum altero sed uterque cum doctrina M. Antonii consentiunt qui librum illum de ratione dicendi ante annum 663/91 ediderat. Cuius doctrinam ut restituamus nolumus uti Ciceronis libris de oratore sed iure utemur Quintiliano qui III 6, 45 haec tradit: 'Tres (constitutiones) fecit et M. Antonius his quidem uerbis: Paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur: factum non factum, ius iniuria, bonum malum.' Tertia constitutio est *προτρεπτική* illa Athenaei (Quintil. l. s. 47) quae suasoriae est propria: priores duae illae sunt coniecturalis et iuridicialis. Multa praeterea in utroque opere inesse ex Antonii libro desumpta consentaneum est nisi forte quis summi oratoris quem uterque scriptor ualde admiratur commentarium rhetoricum prorsus ab illis neglectum esse statuere maluerit.

Ad idem illud tempus delegamur si exempla poetarum in uitiis allata in rhetorica ad Her. percensemus. Praeceptor ille tribus contentus fuit poetis: Plauto Ennio Pacuuio. Terentium quem Cicero laudat ille nusquam nominat, neuter Lucilii aut Accii uersus adhibuit, etiamsi utrumque poetam commemoret scriptor ad Her. I 14, 24 II 13, 19, qui tamen IV 4, 7 tantummodo tragoedias Ennii et Pacuuianas laudet. Fragmenta poetarum nos non expectabimus inueniri nisi in uitiis adhibita: quare uersum illum III 21, 34 'iam domum itionem reges Atridae parant' a rhetore ipso confictum esse necesse est de quo alio argumento adductus idem statuit Lucianus Muellerus de re metr. p. 429. Atque in eis fragmentis quae II 26, 42 leguntur Aiacis illa ῥῆσις hac de causa Pacuuio uindicanda praesertim cum uocabulum *dictio* proprie Pacuuianum sit (TRF 5. 150. 308). Summi deinde momenti tria illa sunt fragmenta quibus exerceri studiosos tradit II 24, 38 ad dilemmaton scientiam ediscendam quae Cresphonti Ennii solent adtribui. Ego non solum arbitror Ribbeckium recte statuisse TRF p. 29 alterum illud fragmentum *Nulla te indigna* rhetoris esse commentum, sed omnes illos uersus satis frigidos ex Graecis censeo translatos et profectos esse ex rhetoris cuiusdam Graeci officina, qui discipulos suos ad Euripidis Cresphontem exerceret. Ea quoque res nos deducit ad Lucilii fere aetatem qui Graeco aliquo auctore usus illa enthymemata Euripidis in Cresphonte posita ut nimis arguta castigauit in saturis teste Gellio VI 3, 28.

Nimirum uersus ille bis ita traditus 'Nam si inprobum esse Chrespontem existimas' admisso hiatu foedissimo quem bis a librario in eodem uersu commissum esse credi minime potest nec nos inserto *tu* uocabulo tollere studuimus, ille dico uersus non poetarum ueterum artem redolet sed talis grammatici doctrinam qualem ille exhibet quem Cicero sequitur or. 45, 152 qui libris poetarum male usus eos ferri posse censuerit hiatus, quos librarii commiserint, poetae ueteres non commiserint. Itaque uersus illi omnes eodem pacto ad Ennii Cresphontem pertinent quo fragmentum illud apud Nauckium TGF[2] p. 666 ad Euripidis Cresphontem, cum sit iussu magistri facta a puero aliquo μετάφρασις tragici Attici, quo de genere exercitationis supra egimus p. 117.

Postremo haec quoque comparatio ad uetustiores nos deducet auctores. Q. Terentii Scauri grammatici Hadriani temporibus uel nobilissimi scripta complures posterioris aetatis grammaticos compilasse exposuit HKummrowus symbola critica ad grammaticos Latinos Gryphiswaldiae 1880 p. 9 seqq. quorum celeberrimi sunt Charisius Diomedes Donatus. Ex quibus Charisius p. 273, 19 et Diomedes p. 458, 13 de metonymiae modis eandem doctrinam proferunt quam scriptor ad Her. IV 32, 43 eadem usi partitione. Ille extremo loco haec habet: 'ab eo quod fit id quod facit, ut pigrum dicitur frigus; non enim ipsum frigus pigrum est, sed pigros facit': eadem fere leguntur apud Diomedem l. s. nec diuersa ad Her. l. s.: 'aut si, quod facit, ab eo quod fit, ut cum desidiosam artem dicimus, quia desidiosos facit, et frigus pigrum quia pigros efficit.' Nec non aliis locis eadem agnoscitur affinitas. Ad Her. IV 12, 18 haec traduntur: 'et si uitabimus eiusdem litterae nimiam adsiduitatem cui uitio uersus hic erit exemplo . . . O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.' Charis. p. 282, 7 haec praecipit: 'Parhomoeon est cum uerba omnia similiter incipiunt ut O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti': conf. Donat. GL IV p. 398, 20. Pergitur ad Her. l. s.: 'et si non utemur continenter similiter cadentibus uerbis hoc modo: Flentes plorantes lacrimantes obtestantes.' Conf. Charis. p. 282, 12: 'Homoeoptoton est oratio excurrens in eosdem casus similes, ut maerentes flentes lacrimantes ac miserantes.' Eadem habet Diomedes p. 447, 16, Ennii uersum alio modo exhibet Donatus GL IV p. 398, 23: 'maerentes flentes lacrimantes commiserantes' quae lectio uidetur esse praeferenda. Apparet tamen in eodem uersu annalium libros Ennii eodem modo tempore liberae reipublicae discrepasse, quo discreparunt in exordio Medeae. Etenim cum neque Cornificius talia tractauerit praecepta neque libri ad Her. ante saeculum p. Ch. IV doctis fuerint noti, Scaurum ex Varronis aliorum thesauris illa sumpsisse necesse est statuamus: comparatis autem locis illis rhetoricae ad Her. ad auctores Varronis deueniemus qui ante Sullae tempora libros suos composuerint.

Sed iam noua quaedam oboritur nobis quaestio illa de aetate et origine rhetoricae Latinae quae eo difficilior uidetur *Initia rhetoricae Latinae.*

esse ad soluendum quia ueterum scriptorum rhetoricorum praeter illos M. Catonis et M. Antonii libellos memoria hodie extat nulla. Sed ne hac re commoti nullos eiusmodi praeterea libros exstitisse arbitremur magnopere cauendum est. Neque enim illam puerorum doctrinam quam neque praetextati legebant libris conscriptam quia melius erat eam audire neque adulti quia aut nouerant aut contemnebant sicuti supra p. 76 ostendimus operae erat pretium aut bybliopolis proponere uenalem aut doctoribus in uoluminibus describere: quod si fecissent lucro suo inuidere uisi essent ipsi. Hoc saeculo scholasticos libros nemo pretio emit nisi scholasticus: apud antiquos eiusmodi libros raro scribebat doctor qui plerumque dictabat praecepta discentibus unde commentarii illi nati sunt scholastici de quibus supra p. 80 egimus. At si consideraueris quam pauca eiusmodi scripta quorum numerus fuisse putandus est immensus ad hanc peruenerint aetatem, si memineris Ciceronis partitiones oratorias auctorem ipsum non agnoscere, rhetoricam ad Her. a nemine laudari per multa saecula, dum Ciceronis nomine aucta fuerit, facile concedes praeter duos illos de rhetorica libros multos alios saeculo a. Ch. altero extitisse. Scilicet rhetorica populo Quiritium et utilior et conducibilior uisa esse putanda est quam grammatica et reuera prius in urbem est inuecta, Poenico bello secundo, ut uidetur. Nam grammatica Graecorum sub ipsam Ennii mortem a Cratete Mallota Romam introducta est: rhetorica iam apud Ennium memoratur FPR p. 131 'alii rhetorica tongent' qua de locutione supra egimus p. 75. Ennio seni suam inscripsit historiam A. Postumius Albinus adulescens, qui praecipue illis temporibus 'eloquentiam, philosophiae alumnam inculcandam aiebat' commendans studia rhetorica Romanis: conf. Buechelerus Mus. Rhen. XXXIX p. 623. Quae studia quam laete tunc effloruerint, eo potissimum apparet, quod paucis annis post anno 593/161 rhetores et philosophi urbe eiecti sunt. Acerrimus Postumii illius aduersarius M. Porcius Cato erat qui haud scio an suum de oratoris officio condiderit librum Graecis illis aut Graecanicis rhetoricis artibus prouocatus. Neque tamen ipse aut erat aut esse poterat rhetoricae Graecae plane expers: uide quam

studiose rudis ille utatur anaphora p. 41 edit. Jord.: 'quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc seruitutem ferre potest? nemo hoc rex ausus est facere: eane fieri bonis, bono genere gnatis, boni consulitis? ubi societas, ubi fides maiorum? . . . set quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrimarum, quantum fletum factum audiui?' e. q. s. Quae uerba ille dixit anno fere 564/190. In rhetorica ad Her. IV 5, 7 hi enumerantur oratores: Cato, Gracchi, Laelius, Scipio, Galba, Porcina, Crassus, Antonius, qui tempore Sullano omnium existimabantur clarissimi et optimi. De Crasso et Antonio hoc loco non agetur: in reliquorum reliquiis studia rhetorica dilucide cernuntur. Veluti in illis Scipionis quae leguntur in ORF^2 p. 181. 193 licet admirari rhetorum schemata, multo magis in C. Gracchi orationibus qui ne eiusmodi quidem aspernatus sit uanos uerborum tinnitus l. s. p. 238. 231: 'Quae uos cupide per hosce annos appetiistis atque uoluistis ea si temere repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupide appetisse aut nunc temere repudiasse dicamini.' Et alio loco: 'Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet.' In quibus non solum sententiae circuitus delicatior est quam consuetudo ueterum oratorum fert, uerba quoque collocata sunt accuratius modulatiusque. Illis nimirum temporibus laete et feliciter rhetorica Latina luxuriabatur cuius rei C. Lucilii saturae sunt documento. Qui et mortales et immortales inducit rhetorissantes. Quam lepide enim et iocose in deorum concilio *ἄνδρες θεοί* suis quisque utuntur et prooemiis et schematibus, quam facete et uenuste induxit Scaeuolam Albucii lexeis scite et artificiose compositas apud iudices deridentem! Clara illis temporibus erant Graecorum rhetorum nomina ueluti Diophanis Mitylenaei Menelai Maratheni quorum opera Gracchi utebantur in orationibus suis conscribendis (Plut. Ti. Gracch. 8. 20 Cic. Brut. 26, 100), illis temporibus primus *λογογράφος* extitit Romae C. Persius ille, quem ualde doctum fuisse significat Lucilius (Cic. Brut. 26, 99), quo in officio secuti sunt L. Aelius Stilo L. Plotius Gallus, illis denique temporibus rhetorica a rhetoribus Latinis tradi coepta est, quamquam multorum doctorum et Graecorum et Latinorum nomina

qui aut antea aut eodem tempore docuerint obliuione esse obruta admodum probabile est.

De L. Caelio Antipatro.

Omnium enim qui Romae rhetoricam docebant princeps extitit L. Caelius Antipater iuris peritus, historicus, rhetor, 'multorum etiam ut L. Crassi oratoris magister' auctore Cicerone Brut. 26, 102, C. Gracchi familiaris (Cic. de diuin. I 26, 56). Is historiam belli Hannibalici composuit: studium historiae et rhetoricae coniunxit quod antea fecit Postumius ille, secuti sunt L. Plotius Gallus L. Voltacilius Pilutus Q. Curtius Rufus alii. De cuius elocutione quae iudicat Cicero de legg. I 2, 6: 'Fannii autem aetate coniunctus Antipater *paulo inflauit uehementius* habuitque uires agrestis quidem atque horridas', ea ad Graeci cuiusdam grammatici iudicium de Graeci historici alicuius elocutione composita esse apparet collato Dionys. Halic. ad Cn. Pomp. epist. cap. 4 qui haec de Xenophonte tradat: *κἄν ποτε διεγεῖραι βουληθῇ τὴν φράσιν ὀλίγον ἐμπνεύσας ὥσπερ ἀπόγειος αὖρα ταχέως σβέννυται.* Is Caelius ea de causa diligentius tractandus est, quod scriptor ad Her. ex scriptoribus sermonis pedestris solum hunc adhibuit pro exemplo IV 12, 18 praeterea huius discipulum L. Crassum IV 3, 5.

Oratorem Caelium fuisse traditum non est: rhetorem eum fuisse ex loco Bruti s. s. didicimus, praeterea historicum et iuris ualde peritum. Atque in eis quae de iure ciuili composuerat plus eum operam dedisse eloquentiae quam iuris scientiae auctor est Pomponius dig. I 2, 2, 40: in historia conscribenda Asianorum rhetorum imitatus est scribendi rationem de qua egit Cic. or. 69, 229. Stili uero Asiani signa tria fere sunt: primum enim Hegesias ille Hegesiaeque sectatores sententiolis et minutis et paribus quasi frustilatim iactis tanquam saltabant incidentes particulas. Deinde inflatum et tumidum quoddam genus dicendi captantes sermonem sanum et simplicem aspernabantur ut friuolum ac uulgarem: postremo — id quod grauissimum est omnium — puerili quodam studio rhythmicae orationis uerba huc illuc traiciebant insane, modo numerose caderet oratio, ne uersus quidem sermoni inseruisse se aegre ferentes: conf. supra p. 99. Quae poetica sermonis numerositas mire placuit oratoribus aeui Gracchani et sicuti omnia quae

noua sunt nimio quodam ardore ab hominibus solent arripi ita rhythmorum illud studium tempore illo breui in ludibrium et lusum quendam puerilem uerti coeptum est. Theon RG I p. 168 W II p. 71 Sp τὴν ἔμμετρον καὶ ἔνρυθμον λέξιν et in Hegesia et reliquis rhetoribus Asianis uituperat (conf. Dionys. Halic. de compos. uerb. cap. 18) et in Epicuro, in Epicureo Mucius Scaeuola apud Lucilium FPR p. 147, qui in oratione T. Albucii aduersarii sui uerba eadem sollertia collocata esse clamat atque lapilli picti in pauimento artificum docta manu inseruntur: 'Quam lepide, inquit, λέξεις compostae ut tesserulae omnes Arte pauimento atque emblemate uermiculato.' Eodem studio numerositatis agitatus Antipater uersus integros ausus est inserere, uerba insolenter traicere, sententiis delicate discissis quasi singulis uocibus ut ait Fronto p. 114 N res gestas scribere eoque processerat audaciae Asianorum furorem aemulatus, ut L. Aelio quem in prooemio adloquitur religiosum sibi uisum sit sese non purgare de uerborum traiectione nimia quidem sed necessaria conf. Cic. or. 69, 229. Veluti HRF edit. 1883. p. 100, 5 cum scribit 'tántum bellum súscitare cónari aduersários cóntra bellosúm genus', poetae credideris audire tetrametros trochaicos et cum l. s. p. 105, 44 Syphacis regis casum narrat his uerbis: 'Ipse regis eminus equo ferit pectus aduorsum, congenuclat percussus, deiecit dominum', et sententiarum usum breuium et aequalium nullo uinculo inter se conexarum et uerborum traiectionem miramur. Quare ne illud quidem Caelii fragmentum quod restituimus ad Her. IV 12, 18: 'In priore libro has res ad te scriptas Luci misimus Aeli' neque propter nimiam illam numerositatem neque propter uerborum insanam transiectionem nos nimis mirabimur. Quam qui dicit esse ineptissimam is cum Cicerone et cum scriptore ad Her. nec non mecum in hoc de Caelio iudicio plane consentit: qui omnino ferri posse haec ita in codd. tradita negat, is uel optimos scriptores dixisse 'M. ad me Brutus uenerat' similia considerasse non uidetur. Secuti sunt Caelium in isto elocutionis morbo cum alii tum inprimis Sisena et Maecenas in quo uerborum traiectionem improbam eodem pacto uituperat Quintilianus IX 4, 28 quo scriptor ad Her. l. s. in Caelio.

Plurima Caeliana in rhetorica ad Her. indagasse sibi uisus est Boehmannus l. s. s. p. 105. Ego contentus ero eo fragmento quod Boehmanno nondum erat notum IV 12, 18 et illo quod supra posuimus argumento p. 103, ubi demonstrauimus res ante bellum Hannibalicum quod conscripsit Caelius gestas in rhetorica ad Her. non memorari. Etiam illam metaphraseos exercitationem supra p. 117 tractatam de qua Crassus Caelii discipulus apud Cic. de or. I 34, 154 refert, ad magistrum ego quidem rettulerim. Nam Caelius rhetoricam sine dubio ita docebat, sicuti eam doceri in Ciceronis et scriptoris ad Herennium libris rhetoricis intellegimus. Exempla uidelicet et ex historia et ex uita desumpta proposuit discipulis ad laudandum uituperandum suadendum dissuadendum, nec non lites finxisse existimandus est ad leges quas egregie nouerat, quae orationibus ex utraque parte habitis peterentur. Itaque multa exempla ex historia desumpta uel ex iuris ciuilis ambiguitate sollerter ficta quae in rhetoricis scriptis sollemnia sunt, ea iam ex Caelii Antipatri institutione profecta esse, qui in utroque genere litterarum laudem magnam adeptus esset, haud alienum erit suspicari. Nomen uero Graeci rhetoris quem secutus sit L. Caelius Antipater traditum non est. Metrodorum Scepsium nouo genere dicendi illustrem in Asia audiuisse fertur L. Crassus quaestor teste Cicerone de or. III 20, 75: etenim ad claras Asiae uolabant urbes qui Graecorum artes liberales temporibus illis ediscere studebant sicuti Accius (Gell. XIII 2, 2) alii.

De L. Aelio Stilone

Longe diuersus scriptor erat L. Aelius Stilo, familiaritate et studiorum affinitate coniunctus cum Caelio, qui librum suum belli Punici ad illum miserit et in prooemio operis illius de stili sui ratione ad Aelium scripserit. Is teste Charisio p. 129, 31 seqq. omnium primus linguam Latinam ad certas quasdam leges exigere conatus esse uidetur nec solum poetas legere et emendare grammatici esse duxit fuitque primus inter Latinos grammaticus Aristarcheus: nam illos superiores criticos rectius dixeris uel grammaticos *τῶν τὰς ἀκροάσεις ποιουμένων* (Polyb. XXXII 4. 6, 5). Aristarcheum dixi Stilonem: nam Aristarchi notis eum usum esse in adnotationibus Ennii et Lucilii et historicorum (quod

uocabulum recte traditum noli mutare: conf. Gell. VI 9, 11. 12) codicis illius Parisini GL VII p. 534, 5 constat testimonio. Quae notae non omnium similiter grammaticorum sed inprimis Aristarcheorum erant propriae. Unde uero Aelius hanc Aristarcheam doctrinam sumpsit? An ex libris Aristarchi? Quod fieri profecto potuit: tamen si quaeris, multo plus ualet cum hodie tum ualebat apud antiquos institutio facta per magistrum uiua uoce disserentem quam quae cartae mutae et silentis opera magno labore parabatur. Grammaticae autem Aristarcheae dux et princeps illo tempore fuit Dionysius, cui cognomen erat Thraci, qui Rhodi docuit saeculo a. Ch. altero exeunte (GL IV p. 529, 7) et Aristarchi signa in scholis suis interpretabatur (Schol. Venet. A ad *O* 86). L. Aelius Stilo anno 654/100 auctore Suetonio de gramm. 3 in exsilium comitatus est Q. Metellum Numidicum qui Liuio auctore per. 69 'in exsilium uoluntarium Rhodum profectus est ibique legendo et audiendo magnos uiros auocabatur'. Nemo uero grammaticus illo tempore maioris auctoritatis erat, quam Dionysius ille Aristarchi discipulus, qui primus artem grammaticam composuit, rhetor, pictor, caelator (E. M. p. 277, 53 Athen. XI p. 489 A), utpote qui in Homero interpretando Nestoris poculum ipse ad poetae uersus finxerit argento a discipulis conlato. Grammaticum igitur illum Rhodium cum fuisse comperimus, qui et pingendi et caelandi artibus operam dederit ne nimium mireris in Ciceronis Varronis Quintiliani Dionysii Halicarnassensis libris tot locis utriusque artis rationem haberi: conf. supra p. 112. 113. Multo uero acrius Aelius litterator Rhodi rhetoribus philosophis grammaticis sine dubio studebat, quam Metellus consularis et anni illi duo quos Aelius cum Numidico exsule Rhodi degit eiusdem profecto momenti fuerunt ad studia quae postea Romae Aeliana appellabantur excitanda et augenda atque celeberrima legatio illa Attali. Atque rhetoricis quidem studiis Stilonem operam dedisse et Suet. l. s. et Cicero auctor est qui Brut. 46, 169. 56, 206 nobilissimis in ciuitate uiris eum orationes composuisse tradit ueluti C. Cottae Q. Caepioni Q. Metello Q. Pompeio: unde Stilonis stili sui fama cognomen duxit. Ad Aelii istas orationes Cicero sese facultatem suam

exercuisse narrat Brut. 56, 207 his uerbis: 'His enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adulescens eumque audire perstudiose solerem.' Quibus uero studiis Aelius Ciceronem qui tunc XVI fere annorum erat erudiisse putandus est? Philosophicisne et grammaticis? Fieri sane potuit: sed ante omnia rhetoricis studiis operam dare praetextati illo tempore solebant et praeter ceteros Cicero orator et causidicus futurus: totus praeterea et locus et liber ille quo de Aelio magistro suo tradit ad rhetorica pertinet. Dubitare igitur nolim, quin Aelius et orationes scripserit aliis et de orationibus scribendis praecepta tradiderit. Neque tamen crediderim idem genus scribendi Aelium probasse atque Caelius Antipater amicus eius, quem Asianum fuisse demonstrauimus: leues certe oratiunculas Aelii fuisse nescio quo iure idem Cicero eodem loco significat. Audierat profecto Aelius cum Rhodi moraretur non solum grammaticos et philosophos, sed etiam rhetores qui tunc maxime florebant sanos et rectos, ab Asianorum tumore et praestigiis liberos, Atticorum similiores. Etenim cum Asiani illi ueluti Caelius et Sisena emendatores extiterint sermonis usitati qui recte loqui putarent esse inusitate loqui (Cic. Brut. 75, 260) ueluti ille ausus est dicere *custodibus discessis* hic *sputatilica crimina*, uterque *indulgitas* alia, huic prurigini elocutionis acerrime obpugnauit postea C. Iulius Caesar praecepto illo in I de analogia posito: 'tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens uerbum.' Neque tamen primus haec praecepit siquidem Varro de l. L. VI 59 scribit: '. . . extremum nouissimum quoque dici coeptum uolgo, quod mea memoria ut Aelius sic senes aliquot nimium nouum uerbum quod esset uitabant' conf. Gell. X 21. In rhetorica ad Her. Caelium uituperari supra uidimus: cuius scriptor illud quoque monet ne nouis uerbis utamur neue quid noue dicamus I 9, 15 IV 10, 15. 31, 42.

Eodem fere tempore quo Stilo Aurelius ille Opillius florebat qui auctore Suetonio de gramm. 6 'philosophiam primo, deinde rhetoricam, nouissime grammaticam docuit. Dimissa autem schola (anno fere 662/92) Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus ibidem Zmyrnae simulque consenuit composuitque' e. q. s. Neque de schola eius neque

de rhetorica quam docebat plura tradita sunt quam haec quae modo ex Suetonio protulimus.

De Latinis rhetoribus.

Eodem fere anno quo Opillius cum Rutilio exilii causa solum uertit nouum genus rhetorum qui proprie appellarentur Latini rhetores Romae extitit. De quibus quae nobis tradita sunt, ea fere omnia aut etiamnunc apud Ciceronem inueniuntur aut antiquitus inueniebantur, quem Latinis illis rhetoribus infestissimum fuisse mox uidebimus. Nam quae apud Suet. de rhet. 2 Tacit. dialog. 35 Senec. controu. II praef. 5 Quintil. II 4, 42 leguntur qui haec tradit: 'Nam fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalerea institutum fere constat ... Latinos uero dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse Cicero auctor est, quorum insignis maxime Plotius fuit', ea omnia ex Ciceronis scriptis desumpta esse certum est. Sed in hac re nihil magis mirabile est, quam quod modo pluraliter Latini rhetores appellantur modo unus ille L. Plotius Gallus. Nam praeter hunc nullius rhetoris qui ad illos pertineat nomen traditur neque ulla re probari potest Voltacilium Pilutum Antonium Gniphonem alios in Plotii illius secta fuisse: nihil uero probabilius quam pluralem numerum tractum esse ex edicto illo censorum anno 662/92 contra Latinos rhetores facto. Ciceroni autem graues cum rhetoribus Latinis agitabantur inimicitiae. Anno 698/56 M. Caelius Rufus orator accusatus a L. Sempronio Atratino de ui orationem illam habuit in qua Suetonio auctore de rhet. 2 'hunc Plotium . . . significat dictasse Atratino accusatori actionem subtractoque nomine hordearium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum ac leuem et sordidum'. Videlicet grammatico aliquo auctore usus est Suetonius qui sicuti Asconius p. 14 K. S. in Pisonianae uerbis illis 28, 68 'Est quidam Graecus' e. q. s. Philodemum ita in Caelii oratione recte Plotium illum agnouerit. Usus est autem Caelius facetiis ex Graecorum criticorum libris desumptis in quibus teste Hermog. RG III p. 384 W II p. 413 Sp. *οὐκ ἀχαρίτως* Dinarchus appellabatur *κρίθινος Δημοσθένης*: conf. Meyerus ORF[2] p. 464. Unde apparet Plotium scribere solitum esse orationes non nobilissimo cuique sicuti Aelium sed popularibus et nobili-

tati infestis et stetisse eum contra M. Ciceronem, cuius oratio habita illo anno pro M. Caelio etiamnunc exstat. Eodem uero tempore anno 699/55 Cicero libros de oratore composuit, in quibus testimonium illud de Latinis rhetoribus exstat luculentum. Qui III 24, 93 L. Crassum oratorem anno 663/91 exeunte haec facit declamantem: 'Rerum est silua magna, quam cum Graeci iam non tenerent ob eamque causam iuuentus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini si dis placet hoc biennio magistri dicendi exstiterunt: quos ego censor edicto meo sustuleram non quo ut nescio quos dicere aiebant acui ingenia adulescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos cuicuimodi essent uidebam tamen esse praeter hanc exercitationem linguae doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia; hos uero nouos magistros nihil intellegebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus coniunctum per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae ludus esset, putaui esse censoris ne longius id serperet prouidere. Quamquam non haec ita statuo atque decerno ut desperem Latine ea de quibus disputauimus tradi ac perpoliri: patitur enim et lingua nostra et natura rerum ueterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri: sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nostri nulli fuerunt. Sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.' Quae omnia apparet inuidiae odii insectationis esse plena scriptaque sunt Plotio illo etiamtunc uiuo qui teste Suetonio de rhet. 2 diutissime uixerit. Nam contra unum illum Plotium haec omnia subtracto nomine — quod idem paulo antea Caelius fecerat — scripta esse et ex eis quae antea exposuimus et inde apparet, quod non de pluribus scholis sed de uno illo 'ludo impudentiae' agitur. Improbe praeterea Crassum Cicero et Aurelium Opillium et suum ipsius doctorem Caelium Antipatrum ut homines sordidos et ineruditos introducit castigantem. Nec non loco isto Ciceronis cognito et lectitato acriter doluerunt rhetores Latini Plotio mortuo. L. Cestius Pius rhetor Latinus acerbissimo odio insectatus est Ciceronem dictis scriptis-

que (Quintil. X 5, 20 Senec. controu. III praef. 15) et tamquam si uerbis illis 'sed hominibus opus est eruditis' responderet 'negabat litteras scisse Ciceronem' (Senec. suas. VII 13).

Sed uerba illa Crassi apud Ciceronem 'quos ego censor edicto meo sustuleram' et 'putaui esse censoris ne longius id serperet prouidere' summi ad nostram quaestionem sunt momenti. Etenim ex plusquamperfecto apparet, rhetores illos Latinos anno 662/92 edicto Crassi oppressos paulo post denuo emersisse. Deinde id potissimum considerandum est, auctore Cicerone non ambos censores sed solum Crassum sustulisse ludum illum Plotii edicto suo et remouisse: quod alibi longe aliter traditur. Neque tamen continuo iudicandum est parum diligenter locutum esse Ciceronem neque id ipsum quod alter censorum omnino l. s. non commemoratur nimium aliquis miratus sit. Nam famosa admodum Romae erat censura Cn. Domitii Ahenobarbi L. Licinii Crassi propter iurgia assidua et altercationes acerbissimas quae etiam in libris de or. II 11, 45. 56, 230 commemorantur — testimonia omnia collata sunt ORF² p. 306 — nec poterat gloriari Crassus sicuti Gracchus ille censor 'quod insciente collega in censura nihil gessit' (de inu. I 30, 48). Immo in tot tantisque iurgiis 'propter morum dissimilitudinem' natis admodum mira sane esset talis concordia atque consensio. Praeterea alterutrum censorum suo Marte edicere potuisse nullo testimonio prohibemur quin iudicemus, cum de M. Calpurnii Bibuli consulis edictis in collegam satis constet et tota ratio muneris censorii et uerba Nepotis Cat. 2 'multas res nouas in edictum addidit' huic opinioni suffragentur: nec Tacitus dialog. 35 parum accurate locutus est, cum scribat 'quod [M.] Crasso et Domitio censoribus cludere ut ait Cicero ludum impudentiae iussi sunt.' Tum quod Cicero tradit sustulisse Crassum Latinos rhetores, id prorsus consentit cum eis rationibus quibus uti solebant praefecti morum in rebus mollibus et delicatioribus coercendis ueluti 639/115 censores 'artem ludicram ex urbe remouerunt', 665/89 edixerunt ne quis uenderet unguenta exotica (Plin. n. h. XIII 24) et alia eiusmodi ne fierent aut prohibuerunt aut uetarunt teste Plinio l. s. XIV 95 VIII 209 XXXVI 4.

Itaque indiligentiae aut erroris quo auritum et oculatum testem coarguam non habeo. Neque tamen ista quae apud Ciceronem leguntur consociari poterunt cum edicto ipso censorum apud Suet. de rhet. 1 Gell. XV 11 sic tradito: 'Renuntiatum est nobis esse homines qui nouum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras: ibi homines adulescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare uellent, instituerunt. Haec noua, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta uidentur. Quapropter et his qui eos ludos habent et his qui eo uenire consuerunt, uidetur faciundum ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.' Tamen nos ne continuo eiusmodi monumento confisi expeditam rem et apertam esse dicamus eo commouemur quod Mommsenus RF II p. 419. 427 docuit quam audacter et studiose annalium scriptores tales confinxerint tabulas: neque enim in toto illo edicto quicquam inest quin confictum esse potuerit a rhetore quodam aut historiarum scriptore. Praeterea uide quam longus sit sermo et quam loquax, quam morator stilus et quam otiosus, quam inepte res singulae ad rhetoras illos pertinentes enumerentur, quam omnia illa enuntiata abhorreant ab sermone illo uere Latino sobrio et modesto, breui et conciso, qualis in publicis populi Romani monumentis exstare solet: indignum profecto Licinii Crassi ore facundo et polito uidebitur esse enuntiatum istud duplex: 'Haec noua quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt *neque placent* neque recta uidentur. Quapropter et his qui eos ludos habent et his qui eo uenire consuerunt uidetur faciundum ut ostenderemus nostram sententiam, *nobis non placere*' quibus in uerbis ne quis sollemnem iure consultorum sermonem agnosci arbitretur conferto ad Her. IV 1, 1 'necessario faciendum est ut paucis rationem nostri consilii demus.' Denique illud enuntiatum 'Maiores nostri quae liberos suos discere et quos in ludos itare uellent, instituerunt' quam sit ineptum apparet collato Cic. de rep. IV 3, 3 'Principio disciplinam puerilem ingenuis, de qua Graeci multum frustra laborarunt et in qua una Polybius noster hospes nostrorum

institutorum neglegentiam accusat, nullam certam aut destinatam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse uoluerunt.' Ergo si denique ita edixerunt censores eos et inepte et inique edixisse satis me arbitror demonstrasse: tamen ne spurium illud edictum et a posterioris saeculi homine quodam temere confictum esse dicam nulla re deterreor nisi ualidiorum et firmiorum argumentorum inopia.

Sed siue Ciceroni fidem habebimus siue edicti auctoribus, ex utroque monumento manifestum erit non Crassum solum, sed etiam collegam qui minime illi in ea re refragatus sit infesto animo fuisse in Latinos illos rhetores. Atque scriptum quidem est in illo edicto 'nouum genus disciplinae' homines instituisse: difficile uero est demonstrare quid rhetores illi Latini nouauerint in docendo. Neque enim sola Graeca lingua usos esse in docendo Caelium Antipatrum uel Opillium Aurelium credi potest neque M.' Antonium Latina lingua librum illum conscripsisse non constat. Ne illud quidem credi potest illo tempore primum ludos rhetoricos Romae exstitisse quoniam Suetonius de Opillii schola ab eo dimissa rettulit neque probabile est ab illis rhetoribus controuersiarum exercitationem primum usurpatam esse: conf. Senec. controu. I praef. 11 seqq. Suet. p. 122, 24 R. Cic. de or. I 33, 149. Totam uero indolem ac naturam illorum rhetorum et ex nomine cognosci licet et ex Ciceronis sententia de illis proposita. Latinos proprie sese nominarunt rhetores. Inde efficitur eos remouisse omnem doctrinam Graecam omnesque litteras et docere sese esse professos rhetoricam Graecam exclusis et scriptoribus Graecis et litteris et ipsa lingua Graecorum non adhibita. Qui ab ista docendi institutione alieni erant ueluti Cicero ita docebant uti ex partitionum oratoriarum initio illo dilucide potest cognosci: 'Studeo mi pater Latine ex te audire ea, quae mihi tu de ratione dicendi Graece tradidisti.' Qui utraque sane lingua utebantur et in praeceptis tradendis et in declamationibus exercendis: Latini illi rhetores Graeca uerba omnino remouerunt. Quae omnia satis aperta fient si ea considerabimus quae apud Suet. de rhet. 2 L. Plotio illo defuncto ut opinor Cicero ad Titinium scribit: 'Equidem memoria teneo pueris

nobis primum Latine docere coepisse Plotium quendam. Ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.' Eadem fere idem refert Brut. 90, 310: 'Commentabar declamitans . . . cotidie idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius, uel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi adferebat uel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem neque corrigi possem neque doceri': conf. de off. I 1, 1. Ergo Latini illi rhetores non id nouarunt ut Latine docerent, sed ut Latine docerent omni Graeca lingua e schola sublata: neque enim ea quae Cic. de or. I 33, 149 Crassum fecit disserentem de controuersiarum fictarum declamatione aliter possunt intellegi quam de exercitationibus Latinis. Mirum profecto est, quod L. Crassus ῥητορικώτατος ille omnium qui Metrodorum Graecum et Caelium Latinum rhetorem audierat, in censura sua rhetorum scholas illas sustulit: quae uero apud Ciceronem in libris de oratore anno proximo in rhetores illos animaduertit, ea leuia sane sunt: opus esse hominibus eruditis ad adulescentes instituendos: uulgaria esse ea quae illi traderent adulescentesque nihil in ludis illis discere nisi impudentes esse et audaces: neque uero illo usus est argumento, 'Graecis exercitationibus omnino ali melius ingenia posse'. Cur igitur Crassus qui Graecos rhetores probaret Plotii ludum sustulit? Nam edicto illo etiamsi ut erat necessarium communiter Latini rhetores appellarentur tamen unum illum L. Plotium petitum fuisse sicuti postea solus M. Cicero lege Clodia petebatur (Vellei. II 45, 1) summopere probabile est: conf. supra p. 143 et Suet. l. s. s. 'Non quo', inquit, 'ut nescio quos dicere aiebant, acui ingenia adulescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam.' Quibus uerbis apparet magnam illo edicto apud aduersarios Crasso contractam esse inuidiam: nec immerito. Nam quae ab illo apud Ciceronem contra Latinos rhetores dicuntur aut omnino dici poterant, ea et contra Caelium et Opillium et contra Graecos rhetores poterant proferri multoque iustius et aequius ueteres

illi decreuerunt rhetores uti ne Romae essent omnino omnes. Itaque aliis rationibus commotus Crassus Latinos rhetores urbe curauit prohibendos.

De L. Plotio Gallo C. Marii amico.

Omnes illi qui proprie Latina studia et litteras uernaculas prae Graecis litteris neglecta et excitari et augeri Romae uolebant, illi non nobilitatis erant fautores sed a parte stabant popularium. Veluti palliatarum auctores Ennius et Terentius nobilium atria frequentarunt, togatarum scriptorum nomina Afranius Titinius Atta plebeia sunt neque quisquam memoriae tradidit nobilem aliquem istorum studia fouisse. Quod idem usu uenit in studiis rhetoricis: optimates enim illis L. Plotii studiis minime fauisse manifestum est. Nam doctissimi illi homines, quorum contineretur tunc auctoritate Cicero auctore Suet. l. s. sine dubio erant Crassi Aelii — nam Aelius acerrimus nobilium fautor exstitit — Opillii alii qui rhetoricis studiis non obtrectabant, Latinis illis rhetoribus obtrectabant. Illi enim qui Athenis Anaxagoram, qui Romae Archiam reos fecerunt non philosophum aut poetam illum petierunt sed fautoribus eorum Pericli et Licinio Lucullo negotia facessebant. Crassi uero censorio edicto caue putaueris tenuem illum rhetorem peti: C. Marium, cuius in amicitia Plotius ille fuit, nobilitas illo edicto insectata est. Marius enim Cicerone teste pro Archia 9, 20 'eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea quae gesserit posse celebrari'. Desii dubitare num idem fuerit Marii iste amicus atque rhetoricae Latinae auctor, cum scholion Ambrosianum legerem (p. 357 O) loco illi adscriptum: 'Hic primus Romae studia Latina docuisse fertur.' Sicuti igitur L. Aelius Stilo Graecae eloquentiae patronus et nobilitatis fautor acerrimus Metelli Numidici amicus fuit, ita L. Plotium Romanam rhetoricam condidisse in clientela C. Marii qui inimicissimus erat Metello, ipsumque Marium, quem contemptorem et inrisorem facundiae Graecae exstitisse constat, eo intentius studiis domesticis et Musis uere Latinis fauisse iam plane apparet. Quid porro magis consentaneum quam eum qui Graecas litteras nesciret summopere eas detrectare sicuti hoc tempore nonnullos uidemus facere et ea potissimum studia et augere et fouere quae Graecis litteris nihil indigerent? Nam

Marius *λέγεται μήτε γράμματα μαθεῖν Ἑλληνικὰ μήτε γλώσσῃ πρὸς μηδὲν Ἑλληνίδι χρῆσθαι τῶν σπουδῆς ἐχομένων, ὡς γελοῖον γράμματα μανθάνειν ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις· μετὰ δὲ τὸν δεύτερον θρίαμβον ἐπὶ ναοῦ τινος καθιερώσει θέας Ἑλληνικὰς παρέχων εἰς τὸ θέατρον ἐλθὼν καὶ μόνον καθίσας εὐθὺς ἀπαλλαγῆναι* (Plut. Mar. 2). Is 'non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit' ut refert Sallustius (Iug. 63, 3: conf. 85, 32 Val. Max. II 2, 3) neque haec Graecanica studia postea in eius familia in honore erant cum M. Marius ille auctore Cicerone epist. VII 1, 3 'ludos Graecos ita non amet, ut ne ad uillam quidem suam uia Graeca ire soleat'. Eodem autem odio Graecae linguae flagrabant L. Plotii successores Ciceronis inimici Cestius Pius eiusque discipulus Argentarius Cestii simius, qui in imitatione praeceptoris 'illud tamen optima fide praestitit cum uterque Graecus esset, ut numquam Graece declamaret' (Senec. contr. IX 26, 13), cum Cicero Graecas declamationes in caelum ferret: conf. supra p. 146. Clarissimum autem istius odii contra Graecos testimonium exstat in Iuuenalis rhetoris Latini saturis III 58 seqq. et in Flori rhetoris carmine PLM IV p. 347.

Iam uide quam diuerso modo Cicero L. illum Plotium appellet. In oratione pro Archia L. Plotium appellat C. Marii dilectissimum amicum, in libris de or. eundem insectatur nomine subtracto, in epistola ad Titinium satis maligne eundem appellat L. Plotium *quendam.* Diutissime eum uixisse Suetonius auctor est: celeberrimum eum fuisse praeceptorem ex Varronis saturis uidemus qui 257 B: 'Automedo meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitarat, erili dolori non defuit.' Lepide hercle sicuti in Atellana Varro bubulcum et agasonem illum fecit rhetorissantem qui et circumitione et deminutione utatur facete (conf. ad Her. IV 32, 43. 38, 50): illa figura eodem fere modo satis frigide et delicate scriptor ad Her. abusus est in exitu libri I 'ut . . . munus hoc adcumulatissume tuae largiamur uoluntati'. Eundem porro L. Plotium Gallum a Varrone 379 B tangi statuerim in satura qua *περὶ ἐγκωμίων* egerat Graecorumque et Latinorum studia rhetorica comparauerat ut ex fragmentis etiamnunc agnoscitur, his uerbis: 'ille ales gallus qui suscitabat Atti-

carum Musarum scriptores an hic quia gregem rabularum', ubi epitheton *ales* demonstrat poetam ancipiti uocabuli significatione ludere qua de re conf. quae ENordenus exposuit in Fleckeiseni supplem. XVIII p. 280, 1. Qui similiter lusit in uocabulo *suscitabat* neque ea quae ad Hor. sat. I 1, 10 adnotantur id possunt efficere ut Varronem de duobus gallis agere arbitrer gallinaceis, cum in omni poesi sicuti in apologis Aesopicis unum tantummodo nominari gallum consentaneum sit Micylli Lucianei suscitatorem. Verbis illis praeponas oportet considerata inscriptione saturae *laudandus*: quo facto uides M. Terentium iuuenem eodem modo delectari cognominum ueluti *Gallus* ambiguitate quo senex satis superque iocos mouit rer. rust. III 2, 2 in cognominibus Cornelii Merulae Fircellii Pauonis Minucii Picae Petronii Passeris. Quo cognomine quamquam me non fugit Q. Roscium Gallum histrionem Lanuuinum fuisse Luscii illius municipem, tamen ad Galliam cisalpinam Plotii patriam quam C. Marius a Rauennatibus postea statua honoratus (Plut. Mar. 2) defenderat a saeuo barbarorum impetu nos deduci arbitror. Quo nos deducit et Cornelii poetae cognomen et Plotii Tuccae de quo conf. schol. Pers. II 42 Plotiaeque Hieriae qui Vergilii amici fuerunt nomina nec non origo studiorum aeui Sullani communis quae in Gallia cisalpina illo tempore laete et feliciter efflorueraut.

Itaque Varronis illud fragmentum si recte intelleximus, gregem rabularum suscitatum esse a Plotio Gallo traditur sicut Lucr. V 1166 dicit 'qui delubra deum noua toto suscitat orbe' et Hor. carm. III 27, 11 'oscinem coruum prece suscitabo solis ab ortu'. Nempe apparet quantos concursus ille Cicerone puero in Plotii ludo factus protulerit fructus!

Atque nobilium quidem filios scholas Plotii Mariani frequentasse nemo profecto arbitrabitur: quae enim apud illum de plebe hominem audiebantur declamationes, eas Marii aduersariis et nobilitati parum gratas fuisse manifestum est. Nonnulli uero e discipulis Plotii edidisse uidentur declamationes suas, quibus Mario Mariique amicis et rei popularium animos hominum conciliarent: ueluti P. Cannutius, aequalis Ciceronis, extra ordinem senatorium homo disertissimus et

popularis, post mortem Sulpicii orationes quasdam conscripsit easque sub nomine Sulpicii edidit: conf. Cic. Brut. 56, 205. Ad idem uero genus litterarum plebeiarum pertinet Porcii Licini illius liber de poetis metro maxime plebeio quo inde a Ciceronis Glauco usque ad poetas neotericos aeui Hadrianei abstinebant poetae docti conscriptus. Qui quam fuerit infestus nobilitati ex uersibus illis quos tamquam *σαρδάνιον* ridens de Terentio nobilium amico composuit FPR p. 278 facile intellegitur.

Neque difficile sane erit ad intellegendum doctissimos illos homines qui Plotii ludum tollere studerent aut adulescentes a Mariani consuetudine arcerent infestos fuisse et inimicos C. Mario ipsi Latinorum illorum studiorum fautori: illo enim tempore cum maxime exarserat *φθόνος* ille *τῶν δυνατῶν* contra Germanorum uictorem de quo refert Plutarch. Mar. 32. L. Crassus Numidici erat familiaris (Cic. de or. III 18, 68), C. Mario alienus (de prou. cons. 8, 19): Cn. Domitius qui collega Crassi erat in censura, in his quidem inimicitiis plane cum Crasso consentiebat (Gell. XV 13, 6 XVII 2, 7), cuius frater postea iussu Marii filii a Damasippo trucidatus est (Appian. b. c. I 88 Vell. II 26). L. Aelius Stilo, Caelii Antipatri amicus, tantus erat optimatium fautor ut Metellum Numidicum in exilium comitatus sit: P. Rutilius Rufus, quem damnatum secutus est Aurelius Opillius, erat *τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστός, ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς* nec illi in historiis suis pepercit teste Plut. Mar. 28.

De doctore scriptoris ad Her.

Scriptor ad Her. I 11, 18 haec posuit: 'Causarum constitutiones . . . noster doctor tres putauit esse.' Inde a saec. IX uiri docti hoc loco frustra quaesiuerunt ex scriptore sicuti Horatius ex Catio sat. II 4, 10: 'ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes.' Sed ille: 'ipsa, inquit, memor praecepta canam, celabitur auctor.' In archetypo cod. C doctus aliquis Hieronymi chronicis usus adscripsit nomen *Voltacilii Piluti*: conf. supra p. 17 Mus. Rhen. XLIII p. 381, in archetypo codd. E alius apposuerat *ermes* nomen facundi Atlantis nepotis, 'quo didicit culte lingua docente loqui' auctore Ouid. fast. V 668, in recentissimo quodam cod. teste Kaysero docta manu saec. XV M. Pisonis nomen additum est. Quae nomina

omnia sicuti alia quaedam quae a nonnullis sunt proposita nullis nituntur argumentis. Sed nos ex eis quae de Plotii Mariani studiis modo exposuimus satis arbitramur apparere ex Plotii illius uel si fata alius alicuius rhetoris nomen nobis eripuerunt, quod uerisimile esse minime ego quidem existimo, ex Plotiani cuiusdam rhetoris schola libros ad Her. esse profectos. Nam priorem illam quaestionem 'Romanus an hospes' facile soluemus: Graeci cuiusdam doctoris nomen pro totius operis condicione omnino secernendum erit et remouendum. Inter Latinos illos rhetores uero ad Plotii potissimum ludum commentarios ad Her. referendos esse ut statuam quamquam scio certum aliquid in hac re non posse demonstrari tribus adducor argumentis quorum primum ex ratione studiorum et litterarum alterum ex ratione qua scriptor ad Her. utitur in rebus quae ad rem publicam pertineant laudandis uituperandis, tertium ex temporum ratione admodum huic sententiae suffragante petitum est.

Atque primum quidem nolo eam redintegrare disputationem quam supra p. 104. 115 institui de colore operis plane Latino. Nusquam quicquam docetur de exercitationibus Graeca lingua faciendis, exempla omnia e Graecis artibus petita ita commutata sunt ut plane Latina uideantur ad mores et instituta populi Romani accommodata neque unius quidem Graeci scriptoris, quos in prooemio libri I alibi arroganter carpit ut homines arrogantes usquam nomen inuenitur. Quare omnes illi loci quibus aut doctores aut scriptores omisso nomine *Graecus* memorantur ueluti I 1, 1. 11, 18. 9, 16 ad Latinos litteratores oporteat pertineant inprimis ille locus III 11, 19 ubi praeceptor scriptoris de pronuntiatione haec tradiderat: 'Quare quia nemo de ea re diligenter scripsit — nam omnes uix posse putarunt de uoce et uultu et gestu dilucide scribi, cum eae res ad sensus nostros pertinerent' — e. q. s. Apparet ex hoc loco de reliquis partibus rhetoricae multos eiusmodi et diligenter scriptos extitisse commentarios, de pronuntiatione quae tunc fuerint scripta ea nihil fuisse nisi doctrinae istius breuia quaedam praecepta parum diligenter adumbrata, tum doctorem illum inprimis huic parti eloquentiae operam dedisse. At Quintiliano auctore XI 3, 143

Plotius ille ante Nigidium de gestu scripsit. Artem autem illam Graecam qua praeceptor scriptoris ad Her. usus est Latini rhetores multos per annos etiamtunc secuti sunt. Quintilianus enim III 6, 45 haec tradit de statibus quae plane cum scriptoris ad Her. doctrina consentiunt: '... secuti Antonium apertius uoluerunt eosdem status distinguere. Itaque dixerunt coniecturalem, legalem, iuridicialem: qui et Verginio placent' e. q. s. conf. supra p. 124. Itaque sicuti supra p. 123 demonstrauimus uetustiorem artem Graecam nobis seruatam esse in libris ad Her., prouectiorem in libris Ciceronis de inu., cum libri ad Her. post Ciceronis opus conscripti sint, idem in aliorum quoque Latinorum rhetorum ueluti Verginii illius cadit doctrinam rhetoricam aetate multo inferiorem. Quae sententia si cui admodum contorta et parum simplex uidebitur, is consideret quaeso, Apollodorum Pergamenum sine dubio nonnulla ab Hermagora inuenta in suam artem adsciuisse: Apollodori artem C. Valgium Latine aetate Augusti interpretatum esse, Hermagorae Sanctum Augustinum rhetorem inprimis sequi praecepta.

Deinde ex tota operis illius ad Her. condicione et natura ad praeceptorem quendam uia ac ratione deducimur qui a parte C. Marii et C. Sulpicii steterit. Iam Kayserus ad II 28, 45 ubi de Sulpicii quodam uitio cum actum sit haec additur excusatio: 'Verum illi fortasse ignoscimus si cum causa fecit: nos tamen intellegamus uitiosum esse intendere controuersiam propter nominum commutationem' recte adnotauit: 'audis hominem Marianarum partium.' Quem locum uberius exsecuti sunt RKroehnertus de rhetoricis ad Her. Regimont. 1873 Bochmannus l. s. s. alii. Atque ex eis quae supra p. 106 de declamationibus disputaui satis opinor apparuit nobilium filios cum scriptore ad Her. una exerceri apud eundem doctorem minime solitos esse: conf. inprimis Gracchorum Saturnini Drusi Sulpicii laudes IV 22, 31 et oratorum catalogum qui exstat IV 5, 7 cum Velleii enumeratione II 9: quo facto quam sedulo ille nobilium nomina ueluti Fannii Scauri Metelli Numidici euitarit facile apparet. Praeterea Cornificii illius et Herennii nomina plebeia sunt et tamquam Mariana. Nam Cornificii postea inter Caesaris

sectatores extiterunt: *τοῦ δ' Ἐρεννίων οἶκον τοὺς Μαρίου γονεῖς καὶ Μάριον αὐτὸν ἐξ ἀρχῆς γεγονέναι πελάτας* C. Herennius testatur apud Plut. Mar. 5. Tamen illi qui ubique laudem senatus et optimatium tollere conati sunt in libris ad Her. egregie falluntur. Neque enim ei qui mercede docent rhetoricam si quid uolunt patere lucelli nimium possunt studere rei publicae: uide quam sollerter et Marii et Sullae nomina in rhetorica ad Her. omnino uitatum sit ne usquam inueniantur. Praeterea in C. Marium idem poterat dicterium dici quod in alterum illum iactum est Arpinatem quem satis facete Laberius apud Macrob. II 3, 10 dixit solere duabus sellis sedere. Quare nos minime mirabimur cum legimus ad Her. IV 8, 12 'optimatibus trucidatis', 34, 45: 'Aliquando reipublicae rationes quae malitia nocentium exaruerunt, uirtute optimatium reuirdescent' neque nos offendet cum I 12, 21 II 12, 17 in Saturnini tumultu Caepio narratur 'cum uiris bonis' impetum fecisse et 'malorum libidini' restitisse cum illa ipsa tempestate auctore Orosio V 17, 6 Marius 'accommodato ad tempus ingenio consensui bonorum sese immiscuit'. Eadem profecto ingenii uarietate et mobilitate multo magis opus erat rhetori illi Mariano. Qui si ipse aut orator erat aut aliis orationes scribere solebat sicuti Plotius ille Marianus suo iure in prooemio libri IV ad Her. poterat praeceptoris esse docere non modo praecepta enarrare sed etiam confirmare et probare praecepta exemplis ab ipso praeceptore compositis.

De tempore quo libri ad Her. scripti sint.

Atque hac ipsa disputationis uia ac ratione deducimur ad quaestionem de tempore rhetoricae ad Her. soluendam. Qua de re quae Kayserus disseruit — conf. Weidnerum praef. ad Cic. de inu. p. XII — ea me minime probare iam pluribus locis significaui. Pluribus enim locis liber IV ad Her. et libri de inu. eodem inter se consentiunt pacto quo I et II: conf. supra p. 113. 128 et expeditionis exempla ad Her. IV 29, 40 de inu. I 45, 84. Post Sulpicii mortem anno 666/88 rhetoricam ad Her. scriptam esse supra p. 108 uidimus: post annum 668/86 librum IV compositum esse certum est. Nam aut Marii aut Sullae ultima fata enarrari omnes consentiunt exemplo illo quod IV 54, 68 propositum est: 'Modo consul quondam, is deinde primus erat ciuitatis. Tum proficiscitur

in Asiam, deinde hostis est dictus, post imperator, et postremo factus est consul.' Locum pessime a librariis tractatum eis rationibus quas supra p. 43 exposuimus usi ita constituimus. Quod P*Π*B habent *quodam* — nam H hoc loco ita corruptus est, ut plane abiciendus sit — id supra p. 27 explicatum est: quod **E** post *quondam* addit *tribunus*, id falsum est quia iam in C inuenitur additum: *is* ab **E** male expulsum sicuti uerba *et . . . factus est* egregia sunt neque coniectura illa *quotannis* a pluribus prolata probanda: *quid deinde* legitur II 29, 46, *quae deinde* IV 51, 64. *Modo consul quondam*, etiamsi *quondam* hoc solo loco inueniatur, in breuitatis exemplo tolerari posse non poterit negari. *hostis* **M**: hostis et exul **E**: conf. supra p. 42: auctor uidelicet recensionis **E** iam statuit hoc loco C. Marii tangi fata. *postremo* **E**, quod cum plane nouum sit et in codd. **M** minime reperiatur, genuinum id esse summopere probabile est: in **M** corruptum legitur illud *et populorum factus est.* Meliorem fieri sententiam si post *postremo* inseras ueluti *VII* nemo negabit: quod ut fiat tamen utique necessarium non est. Iam auctor recensionis **E**, iam uetusti illi interpretes Veneti de quibus p. 61. 65 rettulimus C. Marium his uerbis laudari statuerunt, cum alii potius Schuetzium (praef. p. XI. XXII) secuti Sullae fata hoc loco agnoscere mallent. Quorum sententiam his de causis nos improbamus.

Primum uerba illa 'Modo consul quondam, is deinde primus erat ciuitatis' uide quam egregie conueniat C. Mario, qui anno 647/107 aegre consul factus sit, inde ab illo anno usque ad 654/100 seruator nominis Romani extiterit consensu omnium, cum Sullae primus consulatus anno 666/88 gestus iam uocabulo *quondam* reiciatur. Deinde in Sullae laude expectamus dictaturae mentionem: Sullae denique laudem in rhetoris plebei praeceptis omnino non expectamus. Accedit quod sicuti Alexandri laudatio (IV 22, 31) ita C. Marii fortuna inprimis solita est celebrari in rhetorum scholis de quo rhetor ille apud Senecam contr. I 1, 5: 'Quid referam Marium sexto consulatu Carthagini mendicantem, septimo Romae imperantem?' Quales sententiae cum alibi tum in Varronis loghistorico cuius titulus erat 'Marius de

fortuna' inueniebantur plurimae: conf. Val. Max. VI 9, 14. Verba illa '*proficiscitur in Asiam*' explicantur Plut. Mar. 31, uocabulum *imperator* illo Senecae loco et Flor. II 9, 11 p. 89, 2 Jahn. Postremo illud quoque satis graue est argumentum quod in toto opere ad Her. nihil omnino inuenitur, quod cum ea reipublicae condicione quam Sulla constituit possit conuenire. Immo si ea legeris quae IV 53, 66 declamantur: 'Quod si nunc L. ille Brutus reuiuiscat et hic ante pedes uestros ádsit, non hac utatur oratione? Ego reges eieci, uos tyrannos introducitis; ego libertatem, quae non erat, peperi, uos partam seruare non uultis; ego capitis mei periculo patriam liberaui, uos liberi sine periculo esse non curatis?' posse ea minime consociari confitebere cum eis quae Cic. epist. III 11, 2 refert 'etsi Sulla uoluit ne in quemuis impune declamari liceret'. Adde quae supra p. 108 exposita sunt, adde quod censura commemoratur II 3, 5. 26, 41, adde denique IV 35, 47 ubi exemplum distributionis hoc propositum est: 'Qui uestrum iudices nomen senatus diligit, hunc oderit necesse est: petulantissime enim semper iste obpugnauit senatum. Qui equestrem locum splendidissimum cupit esse in ciuitate, is oportet istum maximas poenas dedisse uelit, ne iste sua turpitudine ordini honestissimo maculae atque dedecori sit' e. q. s. Quo exemplo apparet praeceptorem discipulum eum instituisse cui agendum fuerit apud iudices quales ante reipublicae constitutionem a Sulla factam fuisse scimus iudiciis a senatoribus cum equitibus aliisque lege Plotia communicatis anno 665/89 de qua Cicero apud Ascon. p. 70, 11 K. S.: 'Memoria teneo cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent' e. q. s.: conf. cum illo exemplo Cic. pro Rab. Post. 6, 13. Itaque praecepta illa quae exstant in arte ad Her. tradita esse consentaneum est post annum 668/86 cum Marius septimum esset consul, ante annum 672/82 quo Sulla rempublicam constituit, illo tempore quo Mariani in urbe dominabantur Plotiusque ille summo cum successu in urbe docuisse est putandus. Ex eius schola si scriptor ad Her. profectus est, Cornificius quoque qui de figuris librum illum conscripsit a Quintiliano adhibitum item erat Plotianus. Quis fuerit Corni-

ficius ille non constat: Cornificium Gallum grammaticum qui Vergilium admodum frigide reprehendit GL V p. 43, 2 propter cognominis similitudinem ad hanc adducere quaestionem nolo: alios maiore cum probabilitate Cornificios demonstrare esse operis illius auctores nequeo.

De Graecis auctoribus librorum de inu. et ad Her.

Peracta quaestione de Latinis artibus scriptoris ad Her. et Ciceronis de Graecis eorum auctoribus pauca tantummodo proferam. Nam rerum est silua magna neque in tanta scriptorum rhetoricorum praecipue Theophrasteorum iactura certum quoddam de singulis earum partibus potest statui neque in tam immensa rhetorum multitudine de auctoribus quicquam uia ac ratione inuestigari. Clarissimi illis temporibus artis rhetoricae auctores habebantur Aristoteles Theophrastus Hermagoras 'cui maxime par atque aemulus uidetur Athenaeus fuisse' ut refert Quintil. III 1, 16. Atque Hermagorae et Aristotelis praecepta passim in utriusque libris cognoscuntur: conf. supra p. 109. 122 et quae adnotauimus ad IV 49, 62: apud Ciceronem integras partes illius capitis de inu. I 30, 46 ad uerbum ex Aristotelis rhetorica II cap. 23 p. 1397 una cum exemplis translatas esse iam statuit Petrus Victorius. Apparet rhetores illius temporis et Hermagorae et Aristotelis praecepta in unum conflasse uariis usos rationibus neque scriptoris ad Her. neque Ciceronis opus artem appellari posse Hermagoream Latine uersam. Longe aliam doctrinam secutus erat M. Antonius qui auctore Quintil. III 6, 45 tris status fecit his uerbis: 'Paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur: factum non factum, ius iniuria, bonum malum.' Itaque tres illi status quos fecit M. Antonius sunt coniecturalis iuridicialis tertius ille status boni malique, qui genus deliberatiuum complectitur. *Τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι, καὶ τρισὶν οὖσιν τρία, τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν· ὁ μὲν γὰρ προτρέπων ὡς βέλτιον συμβουλεύει, ὁ δὲ ἀποτρέπων ὡς χεῖρον ἀποτρέπει* (Arist. rhet. I cap. 3 p. 1358 b 21). Quem Graecum auctorem Antonius secutus sit, traditum non est — Menedemum rhetorem Atheniensem Romae domi eius hospitem exceptum fuisse Cicero narrat de or. I 19, 85 — quisquis tamen fuit ille, eadem ratione Athenaei de statibus doctrinam

sese corrigere posse confidebat qua auctor Graecus artis ad Her. Hermagorae. Nam, ut refert Quintil. III 6, 47, ʻquattuor fecit Athenaeus προτρεπτικὴν στάσιν uel παρορμητικήν, id est exhortatiuum, qui suasoriae est proprius: συντελικήν, qua coniecturam significari . . . apparet, ὑπαλλακτικήν, ea finitio est, mutatione enim nominis constat, iuridicialem eadem appellatione Graeca qua ceteri usus. Sunt qui ὑπαλλακτικήν translationem esse existiment' e. q. s. Quorum tres status idem illi sunt quos Antonius fecit: quartum illum qui ὑπαλλακτική appellatur, quem rectius a nonnullis translationem esse existimari arbitror, eodem modo Antonius remouit sicuti illi qui in Hermagora hunc statum reprehenderunt teste Cic. de inu. I 11, 16 in quibus erat Graecus auctor scriptoris ad Her. (I 11, 18) Fortunatiani (RLM p. 89, 30) Albucii (Quintil. III 6, 62).

Atque si quaeremus ubi terrarum artes illae duae Graecae natae fuerint quas eodem loco confectas fuisse supra diximus p. 123, certis signis uti licebit ad hanc quaestionem soluendam. Primum de Ciceronis libris erit agendum. Qui quod I 56, 109 Apollonii Rhodii dictum illud de quo supra disputauimus p. 124 attulit quod idem inuenitur in libro ad Her. subtracto auctoris nomine, id certe nos ad Rhodum deducit insulam celeberrimam litterarum sedem et nutricem. Hodie sunt qui fere omnia eiusmodi studia Pergamo arbitrentur Romam esse arcessita: illo uero tempore Pergamum quis studiorum causa petierit non inuenio, Rhodi litteris eruditi esse perhibentur Scipio Aemilianus (Cic. de rep. III 35, 48), Q. Scaeuola (de or. I 17, 75), Q. Metellus Numidicus cum Stilone (Liu. per. 69), Ser. Sulpicius (Cic. Brut. 41, 151), M. Antonius orator (de or. II 1, 3), Cicero ipse (Brut. 91, 316), M. Brutus (Auct. de uir. illustr. 82, 1), C. Cassius (Dio Cass. XLVII 33), Cn. Pompeius (Plut. Pomp. 42), C. Caesar (Sueton. Caes. 4), T. Torquatus (Cic. Brut. 70, 245), M. Fauonius (ad Att. II 1, 9) alii. Rhodii fuere clarissimi orbis terrarum qui illis temporibus uixerunt litteratores Panaetius Posidonius Hecato philosophi Apollonius ὁ μαλακός et Apollonius Molonis filius rhetores quem a patre cognomen *Molon* duxisse cum alii tum Fabricius biblioth. Graec. IV p. 273 edit. Harless. Norrmannus

apud Walzium RG VIII p. 417 recte statuerunt sicuti fecit clarissimus illius temporis grammaticus Aristarchi discipulus qui Rhodi docuit *Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρεύς, Θρᾷξ δὲ ⟨ἢ⟩ ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου Τῆρος τοὔνομα κληθείς* secundum Suidae uerba s. u. *Διονύσιος* quibus reliquis seruatis ἢ addidi. Nec non pluribus et certioribus argumentis ad insulam illam deducimur. Vetus enim illud remotionis exemplum quod exhibent his uerbis Hermog. RG III p. 13, 11 W II p. 140, 8 Sp.: *μεταστάσεως μὲν παράδειγμα ὁ πρεσβευτής, ὃν εἴσω τριάκοντα ἡμερῶν δέον ἐξιέναι λαβόντα παρὰ τοῦ ταμίου χιλίας δραχμὰς εἰς ἐφόδιον, μὴ λαβὼν καὶ διὰ τοῦτο μὴ ἐξελθών, εἶτα κρινόμενος* et Chir. Fortun. RLM p. 93, 12: 'Legatus intra XXX diem nauiget. Legatus non accepto a quaestore suo uiatico non nauigauit intra XXX diem et reus est male gestae legationis' illud dico exemplum Cicero II 29, 87 ita uariauit: 'Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quaestores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur.' Quare Rhodiorum nomen additum est? Quare, inquam, et in hoc concessionis exemplo rerum Rhodiacarum ratio habetur II 32, 98: 'Lex est apud Rhodios, ut si qua rostrata in portu nauis deprehensa sit, publicetur. Cum magna in alto tempestas esset, uis uentorum inuitis nautis in Rhodiorum portum nauem coegit. Quaestor nauem populi uocat: nauis dominus negat oportere publicari?' Rhodii, socii illi ueteres populi Romani, in rebus maritimis et naualibus celeberrimi erant. Lege Rhodia de re nautica res iudicata est ab imperatoribus Augusto et Antonino (dig. XIV 2, 9) qua de re Isidor. orig. V 17 tradit: 'Rhodiae leges sunt naualium commerciorum, ab insula Rhodo cognominatae, in qua antiquitus mercatorum usus fuit.' Praeterea in utroque opere permulta exstant de uita maritima et de re nauali petita ueluti egregium illud nauticae honestatis exemplum ad Her. IV 44, 57. Tamen ad Rhodium quendam rhetorem inprimis hoc nos delegat praeceptum ad uerbum ex Aristotele rhet. II cap. 23 p. 1397 a 25 translatum apud Cic. I 30, 47 'hoc modo . . . Nam si Rhodiis turpe non est portorium locare ne Hermocreonti quidem turpe est conducere', cum Aristoteles scribat: *οἷον ὡς ὁ τελώνης Διομέ-*

δων περὶ τῶν τελῶν· εἰ γὰρ μηδ' ὑμῖν αἰσχρὸν τὸ πωλεῖν, μηδ' ὑμῖν τὸ ὠνεῖσθαι. Sicuti rhetor ille, quid ad Her. IV 28, 38 Demosthenis uerba a Graeco rhetore exemplo proposita πόλεμον εἰς τὴν Ἀττικὴν εἰσάγεις Αἰσχίνη πόλεμον Ἀμφικτυονικόν ad eandem figuram explanandam ita mutauit: 'Tumultus, Gai Gracce, tumultus domesticos et intestinos conparas', sine dubio erat Latinus uel Romanus, ita illum qui Aristotelis illud exemplum Romano rhetori suppeditauit Rhodium fuisse manifestum est. Qui neque nomen illud neque res uidelicet finxit temere aut friuole, sed ex uita Rhodiorum sumpsit. Nam Hermocreontis nomen in inscriptione Rhodiaca saec. a. Ch. fere I etiamnunc exstat: conf. Bulletin de corresp. Hellen. XIV 1890 p. 287 Caueri DIG² 169: et quam scite Rhodius ille rhetor non τὰ τέλη appellarit, sed ἐλλιμένιον illud Rhodiorum celeberrimum (Polyb. XXXI 7, 12) facile quiuis intellegit.

In libris ad Her. uestigia Graecae originis ubique fere deleta sunt. Tamen considerandum est quod IV 6, 9 Chares ille Rhodius exemplo proponitur et scriptor IV 12, 17 Herennio hoc pollicetur: 'Haec qua ratione uitare possumus, in arte grammatica dilucide dicemus.' Qui locus cum idcirco memorabilis quod ibi primum *ars* quaedam grammatica in litteris Latinis appellatur tum idcirco quia in ista rhetorica doctrina res grammaticas cum rhetoricis artissime uidemus fuisse consociatas: neque tamen reuera scriptorem artem grammaticam composuisse illo loco effecerim: conf. supra p. 95. Atque si quaeres ubi terrarum prima *ars* grammatica nata fuerit, omnes consentient primam τέχνην γραμματικήν Dionysium Thracem Rhodi composuisse in Praxiphanis patria principis illius grammaticorum: si quaeres ubi terrarum studia rhetorica cum grammaticis artissime fuerint coniuncta, Rhodiorum litteratorum longe plurima afferri poterunt exempla. Etenim quod Aurelium Opillium alios ueteres grammaticos Romae et rhetoricam docuisse Suetonius auctor est de gr. 4, eodem pacto Rhodi Ἀριστόδημος ille, qui auditorum in gratiam Homerum Romanum fecerat, ἐρρητόρευε καὶ ἐν τῇ Ῥόδῳ καὶ ἐν τῇ πατρίδι δύο σχολὰς συνεῖχε, πρωὶ μὲν τὴν ῥητορικήν, δείλης δὲ τὴν γραμματικὴν σχολήν, sicuti Suetonio

puero Princeps quidam nomine mane disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solebat (Strab. XIV p. 650) et Cicero Philonis consuetudinem secutus ante meridiem dictioni operam dabat, post meridiem philosophiae (Tusc. II 3, 9 RG IV p. 298, 5 W). Etiam Dionysius ille Thrax Aristarchi cuius dictum laudatur ad Her. IV 28, 39 discipulus rhetoricae operam dabat. Nam licet Doxopatro RG II p. 104, 7 fidem deneges, scripsit ille *περὶ ἐμφάσεως* teste Clem. Alex. strom. V 8, 45. Apollonium Molonem non solum rhetorem, sed etiam grammaticum fuisse inde colligas, quod Homerum interpretatus est et inclutus fuit sicut Aristodemus aporia quadam soluta: quare laudatur ille apud Porphyrium quaest. Hom. p. 126, 15 edit. HSchraderi, hic schol. Ven. A ad *I* 453. Itaque Aristocles grammaticus Rhodius quin idem fuerit atque rhetor ille apud Dionys. Halic. de Dinarch. cap. VIII dubitare ego quidem nolim.

Praeterea tota illa praeceptorum sanitas et temperantia Rhodiorum qui Atticorum similiores fuerint redolet institutionem. Inter Graecos oratores plerumque in rhetoricae ad Her. IV Demosthenes et Aeschines exemplo proponuntur: inter poetas eximias fabulas Sophoclis, cuius fabulas post Alexandri tempora Rhodi actas esse GKaibelius demonstrauit Herm. XXIII p. 268, inuenire si studes usurpatas, *εἴτε σοι Ἀντιγόνην εἰπεῖν φίλον οὐκ ἂν ἁμάρτοις εἴτε καὶ Ἠλέκτραν*: conf. adnot. ad IV 15, 21. 11, 16. Denique Atticorum illa eruditio uel in exiguis quibusdam rebus dilucide apparet. Veluti ad Her. III 15, 27 iubemur uti 'pedis *dexteri* rara subplusione': unde apparet rhetorem illum iussisse oratorem sinistro pede innisum proferre dexterum. Quod schema uide quam pulchrum sit et anticum. Neque enim casu potest factum esse quod celeberrimae clarissimorum oratorum Atticorum statuae bene conseruatae Demosthenem dico Vaticanum (30 apud Helbigium) et Aeschinem Neapolitanum (1316 apud Woltersium Friederichsii retractatorem) illud ipsum ostendunt schema in GChristii historia litter. Graec.² tab. V u. VI r. commode delineatum. Stant enim prolato pede dextero in hac re a Sophocle Laterano summopere diuersi. Sed hoc Atticorum oratorum schema posteriores rhetores acriter casti-

garunt: nam Quintil. XI 3, 124. 135 (Fortunat. RLM p. 134, 5) praecipit: 'In pedibus obseruantur status et incessus. Prolato dextro stare et eandem manum ac pedem proferre deforme est': quod praeceptum secutus orator ille aeneus Florentinus in Baumeisteri monumentis p. 512 depictus stat prolato pede sinistro.

Qui fuerint Graeci auctores librorum de inu. et ad Her. indagari nequit. Ariolari non didicimus neque probamus quod librorum de inu. partes Posidonio Rhodio uindicauit RPhilippson Fleckeiseni ann. 1886 p. 417: conf. supra p. 78: quod Rhodio uindicauit probamus. Neque pluribus de Rhodiorum studiis quantopere illi ualuerint in rerum gestarum historia, in arte statuaria, in philosophia iuuat exponere. Hoc tamen addendum erit eis quae supra p. 155 de temporibus ultimis C. Marii exposui, anno 667/87 Molonem Rhodium Romae fuisse. Nam Cicero Brut. 89, 307 de illo anno haec tradit: 'Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam et actori summo causarum et magistro.' Quem locum ne cum Bakeo spurium esse iudicemus, ea re nos prohibemur quod illo anno legatos Rhodiorum inter quos et Posidonius erat Romae fuisse tradit Plutarchus Mar. 45. Itaque ego malo uerba illa statuere a Cicerone ipso esse interpolata libro ad umbilicum adducto. Is Molon cum Apollonio Alabandensi eodem modo simultatem quandam egisse uidetur quo Athenaeus cum Hermagora et Rhodiorum illud par rhetorum quorum praecepta in libris ad Her. et de inu. Latine nobis sunt tradita: conf. supra p. 123. Nam quod Strabo XIV p. 655 tradit: *ἐπεδήμησε δὲ πρότερον Ἀπολλώνιος, ὀψὲ δὲ ἧκεν ὁ Μόλων καὶ ἔφη πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνος 'ὀψὲ μολών' ἀντὶ τοῦ ἐλθών* id dictum uidetur esse tam maligne quam prouerbio illo solebant uti *ἐπὶ τοῖς καθυστερίζουσι τῶν καιρῶν· ὄψ' ἦλθες, ἀλλ' εἰς τὸν Κολωνὸν ἴεσο.*

Restat ut quae adhuc disseruimus breuiter comprehendamus. Rhodi igitur duo extiterunt rhetoricae praeceptores qui sese impugnarent in artibus suis, quorum uetustiore usus est praeceptor Latinus ille quem scriptor ad Her. sequi se ipse profitetur inter annos 668/86 et 672/82. Omnia praecepta a doctore suo dictata anonymum ad Her. descripsisse

ad uerbum additis perpaucis supplementis ex consensu operis Cornificiani qui ex eodem ludo profectus scripsit *περὶ σχημάτων* euincitur. Eodem modo Cicero auditas paulo ante bellum Marsicum praeceptoris sui scholas et in commentarios suos relatas adiectis prooemiis et epilogis edidit anno incerto homo praecocis ingenii doctus industrius: neutrum opus quae erat auctoris uoluntas et consilium in multorum manus uenire debebat. Usus est Ciceronis praeceptor recentiore illa arte Graeca: uterque doctor Latinus uetustioribus artibus Latinis qualis erat Antonii liber alii quorum memoria seruata non est. [Plura si quaeris de his quaestionibus inuenies exposita in GThielei Hermagora qui modo editus est Argentorati 1893: quo in libro multa inuenientur de his rebus eadem ratione exposita qua in hoc exposita sunt. Quae ab illo a nostris rationibus diuersa proferuntur, eis nos non commoueri scito ut commutemus nostram sententiam summatim modo expositam.]

Pertractata difficillima de auctoribus librorum ad Her. quaestione restat ut de sermone quo usus sit anonymus ille agatur qua de re conf. quae diligenter exposuit PThielmannus de sermonis proprietatibus . . . apud Cornificium et in primis Ciceronis libris Argentor. 1879. Nam ad scriptoris uerba recte restituenda quae uariis modis corrupte in codd. legantur nihil magis necessarium est quam ut consuetudinem dicendi qua utitur penitus cognoscamus. Et primum quidem de orthographia siue de litteris disputabimus.

De orthographiae rationibus.

Atque si quaeris quam rationem secuturi simus in libro edendo utrum aeui Quintilianei an Ciceroniani an alius alicuius orthographiam adhibendam esse censeamus, nos respondebimus non sicuti Kayserum uerba tradita ad unam regulam per uim exacturos sed uno quoque loco quam lectionem uia ac ratione assequi possimus antiquissimam eam nos esse recepturos. Qua in re ideo magnis impediemur difficultatibus quod et scriptor ipse non *uulgaris* quidem (conf. IV 56, 69) sed plebei sermonis amator erat et librarii inde a saeculo IV quo denuo inuentus est illam rusticitatem modo auxerunt modo sustulerunt. Veluti — nam primum de uocalibus agetur — pro i breui passim e posuerunt uitiose

De uocalibus.

unde nati sunt genetiui *amatores fures quadruplatores* II 26, 41 et IV 51, 65, *testes, quaesitores* 35, 47 in antiquissimis libris seruati cuiusmodi uitia passim in **M** extitisse apographa testantur quorum antiquissima IV 33, 44 pro *niueum* habeant *neueum*, alibi *emitari, treptolemus, facileme, commodisseme* sicuti Bullet. del. inst. archeol. 1861 p. 37 in inscriptione *emitari*, CIL II 2997 legitur *merentessemo karessemo* IV 2183 *Petecusanis* I 1065 *Mitredatis*. Quare ne illas quidem formas *accedere accedissent coniecit* praesens seruare potuimus in **M** traditas: seruauimus tamen nomen *Pennenses* II 28, 45 quod apud Plinium seruatur n. h. III 107. Itaque quamquam iam in lege Iulia municipali *profitemeno* similia inueniuntur, nos in hac quidem re omni fide et auctoritate destituti sumus.

Longe aliter res gerenda in i longa de cuius pronuntiatione supra egimus p. 96, quam modo *ei*, modo *i* scriptam esse tempore Sullano et Tulliano inscriptiones testantur: e pro i longa positum ut nimis rusticum illo tempore repudiabant (conf. ESchneideri dialecti Latinae exempla p. 167). *Ei* pro *i* seruatum est IV 15, 22 *nomen splendorei ac decori est*, ubi *splendori* **E**, *splendor ei* **M** excepto C. Quae scriptura cum sine dubio saepissime deleta sit, nos tutius esse rati sumus et cautius eam restituere ubi pro ī in codd. optimis e exstat, quamquam scimus et HKeilium *tibe ube* seruasse in Varronis r. r. libris et illud e pro ī positum in infimae Latinitatis monumentis passim inueniri ueluti *felius* exstat CIL XIV 1011. Quae res ad corruptelas recte tollendas summi momenti est: ueluti I 12, 20 pro *filius* **M** habuit *melius*, II 2, 2 pro *uitari*: *uetari* IV 37, 49 pro *amici ipsorum*: *tam̄ et ipsorum*, 39, 51 ubi **E** *aetatem et uires*, **M** teste H habuit *aetatem heres*. Itaque et his locis et aliis *ei* restituimus scripsimusque I 16, 26 *Graecei* II 24, 38 *studiosei*, III 4, 8 *rectei*, IV 3, 5 *nominei*, III 4, 7 *iudicialei*, 12, 21 *lenei*, IV 8, 11 *grauei*, II 16, 24 *fraudei*, IV 36, 48 *criminei*, 14, 21 *amarei*, 22, 31 *sepelirei*, II 24, 38. 26, 42. 31, 50 III 10, 18 IV 15, 21 *sei*, ubi in **M** erat *se* uel *sed*, III 21, 34 IV 19, 27 *nei*, ubi in **M** erat *nec*. Etenim eiusmodi corruptelis quibus ex *ei* non *e*, sed *ec ed* similes natae sunt scripturae nos deducimur ad eam quam instituimus rationem. Veluti IV 18, 26 *oratorei*

scripsimus, quia **M** habuit *oratorio*, 19, 27 *eloquei res* quia H habet *eloquiores*, III 19, 32 *contentei*, quia in **M** erat *contentio*, III 3, 5 *haberei*: *nullo*, ubi in **M** erat *habere in nullo*, in **E** et in editt. est *haberi*: *nullo*, II 7, 10 *sceirei*, ubi H habet *seuirie*, **E** habuit *scire*, IV 21, 29 *hominei*, ubi **E** habet *homini*, **M** habuit *homines*. Contra in uerbis Graecis seruandas esse duximus traditas lectiones ueluti *epicheremata* II 2, 2 siquidem recte scribitur IV 6, 9 *Polycletium*, et *Ephigeniam* III 21, 34 siquidem Lucilius dicere potuit *Eisocratium*: conf. CIL X 2777. 4411. Petron. 59. Simplicem i pro duplici positam restituimus codd. secuti I 8, 13 *tragoedis*, IV 27, 37 *Corinthis*, 51, 64 *Samis*, II 3, 4. 19, 30 *malefici*, III 9, 17 *principi*, IV 54, 67 *salsamentari*, 39, 51 *fili*, 51, 64 *domnaedi*, 3, 6. 52, 65. 56, 69 *ali*. Eiusmodi autem uarietates quales in uocabulis *delucide deserta denumeratio dimissa diligere diminutus diripere diuersorium* deprehenduntur copiosius tractare nolo: res enim incertissima, cum uel liberae reipublicae monumenta exhibeant ueluti *infistae cinsum* sicuti IV 7, 10 **M** habuit *dibeat*. Accusatiuos tamen et nominatiuos pluralis *omnis hospitis auris grauis* alios ubique ex codd. desumptos seruauimus.

Etiam in o uocalis cum u quae fit commutatione uetustiores formas restituimus ex optimis codd. III 14, 24. 15, 26 *paulolum*, 12, 22 *uolnerat*, IV 49, 63 *incuruom*, ubi **M** habuit *incoruum*, 51, 64 *seruolus*, ubi in **M** fuit *seruulos*: uocabula *incolumis adulescens iucundus* sciens omitto. Praeterea ex optimorum librorum fide superlatiuos scripsimus *optumus finitumus sedatissumus depressissumus* plerumque a librariis aut mutatos i littera inlata aut ita discissos sicut solo teste H in libri I exitu **M** habuit *adcumulatis sume*: conf. Corn. Nep. I 5, 3 adnot. crit.: denique pro *infumus* **M** habuit IV 8, 11. 10, 14 *infirmus*. Contra i litteram seruauimus in *erint* quod **M** habuit teste H I 6, 10. II 7, 10: nam licet scriptorum loci quibus ista forma inuenitur incerti sint omnes, in Claudii oratione Lugdunensi II 8 legitur *poterint*, in lege Ursonensi cap. 64 *aderint*, in donatione Flauii Syntrophi Wilmannsii Exempl. 313 *prognati erint* neque ineptum erit statuere istas formas in plebeiorum ore multis annis fuisse antequam in publica monumenta recepta sint praesertim

cum lex Acilia 63 habeat futurum *adessint.* Denique ex indole et natura scriptoris quod traditum est III 15, 27 reposuimus collatis uerbis *cludere* et *displudere* (Varr. r. r. II 5, 8) ex **M** *subplusione,* IV 10, 14 ex eiusdem archetypi auctoritate *oriculas.* Neque tamen ita rudem et rusticum fuisse arbitramur scriptorem ut eum *pretor* similia scripsisse statuamus nisi quod in uocabulis peregrinis hominem Graecarum litterarum expertem non diligentiorem fuisse arbitramur quam reliquos eius aequales. Quare cum codd. consensus I 4, 6 III 23, 39 scripturam *prohemium* testetur eam seruauimus considerantes uocabula *pomerium Cadius Coelius Aesiona Clytemestra* sicuti noluimus scriptorem ipsum corrigere in *pedagogi* IV 10, 14, *tropeis* 53, 66, cum et Pompeiani scripserint *cinedus* CIL IV 1772. 1775: *scaenam* tamen Latine scripsimus optimos libros secuti I 14, 24 II 13, 19 IV 10 14.

De aspiratione nonnulla iam supra p. 131 exposuimus. In qua admittenda scriptor cum Varronis doctrina nonnumquam consentit: conf. A. Wilmannsius de Varr. libris gramm. p. 182 seqq. Optimos libros secuti scripsimus ubique *Kartago Graecus,* IV 23, 32 alibi *pulcra, pulcritudo,* 48, 61 *irundines* conl. Varr. de l. L. V 75; 34. 46 *Ippolytum,* siquidem P. Plautius *Ypsaeus* sese ipse uoluit nominari CIL I 467 et *Agnon* legatur Cornel. Nep. XIX 3, 4.

In mutis pauca adnotanda. I 12, 22 II 4, 7 illud *puplicus* seruauimus cum H, II 31, 50 IV 1, 2 *optinere,* 42, 54 *optundere: neclegere* II 10, 14. 15. Scripsimus *confinexisse* II 8, 12, *extincxit* IV 34, 45, *coniuncxit* 39, 51, alia, sed ubique *expectare, exanguis, exules* cum codd. Optimos secuti passim restituimus *secuntur locuntur aecum inicum relicum,* seruauimus datiuos *qui* II 19, 29 IV 22, 31 *quique* II 29, 46: tamen IV 12, 18 in fragmento Ennii cum habeat P et B *quioquam,* facile *quoiquam* datiuum potuimus agnoscere. *Quoi* datiuum recte positum esse a Kaysero arbitramur I 6, 10 IV 34, 46. De mutis.

Quom coniunctionem passim restituimus ueluti II 25, 39 ubi *quō id* P, *quid* H, *quae id* BC, *cum id* **E**, 25, 40 ubi *quod* **M** habuerat, *cum* **E**, 28, 45 ubi **M** *quo,* **E** *cum,* 30, 48 ubi *quem* **M** habuit, *per quem* habent B**E**, 30, 49 ubi *quem*

erat in **M**, *cum* in **E** sicuti III 2, 2 ubi *quem* **M**, *cum* **E** et 7, 13 ubi *quem* aut *quam* **M**, *cum* **E**, IV 38, 50 ubi *quam* **M**, *cum* **E** III 23, 39 ubi *quod* **M**, *cum* **E**.

Quom praepositionem eadem ratione usi restituimus, cum inueniatur in Scipionis illius elogio *aetate quom parua*, in lege agraria 21 *oina quom agro*, CIL I 582 *quom Q. Caepione*, in tessera hospitali anni 742/12 CIL VIII 68 *quom L. Domitio* nec Iordanus [Sallust.] ad Caes. de rep. I 6, 5. 7, 4 dubitauerit scribere *quom mox futuro malo, quom animo meo*, Sallust. histor. fragm. p. 135, 19 Iord. *quom uolentibus*, ubi plura in adnot. exempla collata sunt. Quare IV 50, 63 scripsimus *ite mequom*, ubi **M** *item equum*, 49, 62 *quom domo*, ubi **E** *cum domo*, **M** *quomodo*: restituimus denique *quom ratione* IV 28, 38 ubi *qua ratione* **M**, *cum ratione* **E**, 3, 6 *quom re*, ubi **E** *cum re*, **M** *quod re*. Praeterea III 18, 30 ubi codd. omnes habent *quamplures* posuimus *quomplures* coll. Plaut. Stich. 198 et IV 6, 9 ubi **M** *cum maxime*, **E** *quam maxime*, 1, 1 ubi **M** habuit *cumpluribus*, 29, 40 ubi solus d *quampluribus*. Denique *quor* posuimus III 23, 38 ubi **M** habuit *cor*.

In d et t litteris codd. nulla fides est: saepissime enim *relinquid quit* similes errores membranae aera lapides exhibent. Cod. P saepissime habet *aliquit*: II 8, 12. 30, 49. III 3, 4 IV 49, 62, aliis locis *it quit istut aliut sid relinquid* in **M** fuisse testantur apographa. Quae corruptelae possunt quidem esse ipsius scriptoris neque tamen ideo erunt recipiendae quasi scripturae uetustae. Veluti quod I 12, 21 **M** habuit *perit temporis* IV 50, 63 *nequit is*, ea re nihil demonstratur nisi uerba coniuncte esse scribenda. Contra *set* posuimus IV 25, 35 ubi *det* **M** habuit, *sed* **E**, I 17, 27 ubi *sed* **E**, *sed et* **M**: conf. HKeilii commentarium in Varronis r. r. libros p. 16.

De semiuocalibus.

In semiuocalibus notandum nos III 24, 40 (17, 30) seruasse lectionem traditam *in nemonicis* pro *in mnemonicis* quia scriptorem Latinum linguae Graecae contemptorem in Graecis uerbis parum accuratum fuisse et ea ori Latino eodem modo adaptasse consentaneum est quo alii dixerunt *Tolomaeus tisanarium* (Hor. sat. II 3, 155), cum ne apud Graecos quidem *μν* semper uocalem breuem producat positione et CIL X 2696

Manliae Nemeni scriptum sit pro *Manliae Mnemae*. De geminatione semiuocalium supra egimus p. 30: hoc loco id addendum uidetur, quod IV 5, 7. 13, 19 **M** habuit *lellius* pro *laelius* id propie esse Afrorum uitium quem labdacismum appellat Pompeius GL V 287, 5 Isid. orig I 31, 8 et tribuendum id esse librario illi Africo qui anno fere 350 librum inuenit et propagandum curauit: conf. supra p. 4. Quodsi inscriptionem tempore Iuliani imperatoris in Africa exaratam in Brunsii fontibus iuris Rom.[5] p. 238 perlustrabimus, eadem nos uitia inueniemus quae in **M** fuisse P testatur ueluti *at . . . memoriam* (conf. supra p. 166), *praetium* (I 12, 20 II 7, 11 III 3, 4) *trittici* (IV 6, 9).

In sermone scriptoris tractando illud monere iterum iuuat quod supra p. 129 rhetoricam ad Her. togatae similem diximus: nam nonnulla ueluti *quo setius, conquisite* aduerbium communia illi sunt cum solo Afranio (ad Her. I 12, 21 III 17, 30 IV 3, 4 II 31, 50. Afran. 291. 259). Alia uerba ex Plauto sumpsisse uidetur solus ueluti *conducibilis* uocabulum II 14, 21 ex Trinummi initio, plurales *industriae, gloriae* III 7, 14 Plauti imprimis propriae sunt (Mostell. 348 Mil. 22), iubatum draconem IV 49, 62 ex Amphitr. 1108 Demostheni intulit, illud *persequentissimum inimicitiarum* II 19, 29 sumpsit ex Casin. 159, praeterea alia ueluti *exaugere, magnificare*, qualia satis diligenter collegit Thielmannus l. s. s. comico illi debet qui omnium summus iudicabatur in sermonibus; sumpsit *enodare* II 10, 15 ex tragicis, *collocupletare* uerbum ex Terent. Heaut. 258 (ad Her. II 18, 28. 29, 46), *urbs conflagrata* IV 8, 12 scripsit sicuti Ennius *fana deflagrata* TRF 79. Inter pedestris sermonis tamen scriptores propior est et similior Nepoti Liuio Sallustio Varroni quam Ciceroni: nos inprimis Nepos Gallus quae communia habeat cum illo studiose hoc loco putauimus indicandum. De sermone scriptoris ad Her.

Quae supra p. 86 seqq. de sermone scriptoris exposui, hoc loco nolui denuo tractare. Totam illam de rhetorica doctrinam ex Graeco translatam esse etiam ex sermone potest intellegi. Veluti δεινός Graecorum uertit ille uocabulo *atrox*: conf. adnot. ad IV 30, 41. Qua ratione et illud enuntiatum IV 1, 2 'Id enim quod admonuerit et leuiter fecerit

praeceptio, exemplo ... conprobatur' explicandum erit. Etenim sicuti apud Latinos declamatores sollemne illud *fortiter facere* natum esse apparet ex ἀριστεύειν rhetorum Graecorum, ueluti ille apud Senec. contr. I 8 'qui ter fortiter fecerit' est ὁ τρισαριστεύς Hermogenis RG III p. 4 W II p. 134 Sp, ita *leuiter facere* illo loco translatum uidetur esse ex Graeco aliquo uerbo quale est σχεδιάζειν neque huc pertinet ueluti illud Apuleii metam. V 24 'Sed hoc feci leuiter, scio.' Vocabula denique illa noua qualia sunt *incontinentia inapparatio* ex ἀσέλγεια, ἀπαρασκευασία Graecis esse nata facile apparet.

Rhetorem in multis uerborum lusibus facile agnoscas. Veluti iam supra p. 88 de eiusmodi locis egimus quales sunt IV 1, 1 'ostentare se, non ostendere artem' 26, 36 'quae bonos sequeris . . . atque adeo insectaris', II 30, 47 'ut renouetur, non redintegretur oratio', IV 44, 57 'amisit uitam, at non perdidit', 39, 51 'si istum . . . dimiseritis, . . . bestiam . . . inmiseritis', 8, 12 'in eum poenam excogitare, qui prodere . . . cogitarit', 21, 29 'temperare — obtemperare', 29, 39 'utamini atque abutamini licebit' sicuti Varro apud Priscian. GL II p. 381, 11 scripsit 'utile utamur potius, quam ab rege abutamur'. Ita II 20, 32 coniunxit '*maleficio* parare diuitias quam *officio* paupertatem tueri', 17, 25 'maiora *officia* quam *maleficia*': ita intellegendus locus ille de quo p. 27. 40 egimus 22, 34 'Omnium malorum stultitia est mater atque materies', ubi *materies* uerum esse ipso lusu uerborum est manifestum et coll. Calp. Flacc. decl. 8: 'Omnium calamitatum materia est homo diu felix.'

De substantiuis. In substantiuis id memorandum est, quod *mens* uocabulum nusquam posuit pro *animus*, nisi cum dicat *in mentem uenire*, quod *ciuitas* ponitur pro urbe IV 8, 12 'quo pacto hostis, reuulsis maiorum sepulcris, deiectis moenibus ouantes inruerent in ciuitatem', 28, 38 'ciuitatem funditus deiecisti'. Idem apud Nepot. XXIII 3, 2 usu uenit: 'Saguntum, foederatam ciuitatem, ui expugnauit.' IV 51, 64 'quo iste pro notitia domnaedi *iam* introit' scripsimus cod. **M** secuti qui habuit *domnediam*, cum **E** habuerit *domini edium*: conf. Wilmannsii Exempl. 223. Sermone plebeo scriptorem uti hoc inprimis signi est, quod substantiua in *io* exeuntia posuit

plurima. Scripsit igitur I 6, 10 'dubitatione utemur quid potissimum dicamus', 12, 22 'cum definitione sit usus, quid sit furtum', II 9, 13 'utemur ... percontatione scirentne ..., conlatione quid scriptum sit, quid . . . se fecisse dicant', I 2, 3 'uerborum ... ad inuentionem adcommodatio', IV 49, 62 'formae cum forma . . . conlatio', 24, 34 'Eiusmodi . . . identidem subiectiones', II 17, 25 'si nulla aut a nostris ciuibus aut ab aliqua ciuitate uituperatio ex ea re suscipietur', 22, 34 'hac ab ultimo repetitione', III 14, 25 'uocis ab imis faucibus exclamationem', IV 22, 31 posuit 'Gaio Gracco similis occisio est oblata' sicuti Plaut. Rud. 514 'mendicitatem mi optulisti opera tua': *Perduelliones* IV 10, 15 sunt homines, '*admirationes, de quibus nos narrabimus*' III 14, 24 res admirandae uel *θαυμάσια*, *deliberationes* 2, 2 res deliberandae. Genetiuum finalem qui apud Terentium Adelph. 270 'Ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes' primum occurrit seruauimus cum **M** et Weidnero I 16, 26 'se patris ulciscendi matrem occidisse' conf. II 30, 48 extr. Accusatiuos *Aenean* IV 34, 46 ex optimis libris restituimus, in declamatione II 19, 28 *Aiacen*, qua forma uti potuit HJordanus Krit. Beitr. p. 36, cum I 17, 27 *Aiacem* in praeceptis seruaremus: neque enim quicquam magis peruersum esse quam ad eandem normam et regulam uerba scriptoris redigere mox apparebit. Praeterea in casibus praecipue ablatiui qualitatis et causae notandi sunt huius scriptoris proprii. Itaque sicuti Ennius dixit in annalibus 'orator Cornelius suauiloquenti Ore' in Medea 'Medea animo aegro', ita hic III 19, 31 'magnitudine modica et mediocris locos habere oportet', IV 10, 14 'scurram exhausto rubore'. Ablatiuus causae inprimis his locis agnoscitur: 'necessitudine (conf. Plaut. Rud. 292) facere non studio' IV 1, 1 (Hor. sat. I 4, 79), III 6, 11 (conf. Cic. pro Rosc. Am. 32, 91): 'aut officio facere . . . aut studio', II 17, 26 'alieno inductu fecerit', II 19, 29 'imperii cupiditate', IV 9, 13 'ui, uoluntate', 'casu nescierit an culpa' II 16, 24, 'animi uitio . . . nescisse non inprudentia' ibidem. Ablatiuus denique aut instrumenti aut absolutus saepius in fine enuntiatorum inuenitur positus hoc modo: II 18, 28 'Ratio est quae causam demonstrat, uerum esse id quod

intendimus, breui subiectione' (conf. edicti censorii s. s. p. 144 uerba extrema), 31, 50 'si ostendemus in quibus commodis fuerimus quibusque incommodis simus, conparatione (conf. 7, 10). III 8, 15 'Conclusionibus breuibus utemur enumeratione ad exitum causae', 13, 23 'distributio est in contentione oratio frequens cum raris et breuibus interuallis acri uociferatione' (conf. 15, 27 'similibus ceteris rebus' e. q. s.), IV 19, 26 'Articulus dicitur cum singula uerba interuallis distinguentur caesa oratione'. Ablatiui absoluti gerundiui hi sunt inter se conparandi: III 14, 25 'uerbis continuandis uocem augere': 4, 8 'Confirmatione et confutatione utemur nostris locis quos ante ostendimus, confirmandis, contrariis confutandis': I 7, 11 'Exordienda causa seruandum est' e. q. s.

In genere obseruandum, quod sicuti Vergilius dixit 'triste lupus stabulis', ita ad Her. III 12, 22 'Utile est ad firmitudinem sedata uox in in principio': multo etiam audacius ponitur 11, 19 'unum de quinque rebus' II 30, 49 'earum rerum aliquid'. conf. Keilius l. s. s. p. 8.

De adiectiuis In adiectiuis notandum quod *perfidus* uocabulum aspernatus posuit *perfidiosus* I 5, 8 IV 18, 25. 15, 22: quare II 3, 5 ubi solus b habet *perfidiosum*, reliqui *perfidum* illum cod. sumus secuti. At IV 22, 31 M habuit: 'Variose hic unum nomen in commutatione casuum uolutatum est': inde a saec. IX docti correxerunt *Varie.* Ego dum quis illam litterarum corruptionem bonis usus rationibus explicauerit, seruandum duco *Variose* comparans *ebrius ebriosus dubius dubiosus uxorius uxoriosus* alia. Praeterea cum inueniantur *paruulus celeriuscule tantulus quantulum*, b cod. secuti sumus ter in uocabulo *aliquantulum* IV 9, 13. 26, 35. 56, 69. Datiuus 'totae rei' IV 48, 61 conferendus est 'totae insulae' apud Nepotem XX 3, 2 qui XX 1, 4 'praeclarissimum factum', scripserit, cum similiter legatur dictum ad Her. IV 55, 68 'facinus praeclarissimum'. In uocabulo *alii* animaduertendum est, quod sicuti saepissime apud Liuium idem est atque *reliqui ceteri* ueluti I 6, 10 'nos non eodem modo, ut *ceteri* soleant, uerba facturos: quid *alii* soleant, quid nos facturi sumus, breuiter exponemus.' IV 39, 51 'arma qui contra tulerunt . . . trucidantur, *ceteri* . . . rapiuntur in seruitutem', 8, 12 'optima-

tibus trucidatis, *aliis* abreptis in seruitutem', 56, 69 'quod ali cum molestia . . . faciunt' alibi: conf. supra p. 87.

In aduerbiis obseruandum est quod saepe eiusmodi usurpat aduerbia qualia sunt *adcommodate adcumulate commutate conquisite confirmate expresse inpunite insignite perpolite* de quibus supra egimus p. 91. *Inpraesentiarum* II 11, 16 item cum Nepote habet commune XXIII 6, 2 — neque enim uetustiores scriptores nunc moramur neque posterioris aeui, sed tantummodo saec. a. Ch. ultimo qui uixerunt — IV 51, 64 restituimus *posteridie* genetiuum ex optimis codd.: conf. II 4, 7 et aduerbium *diequinti*, III 18, 31 *inceps*. Variasse autem scriptorem in eiusmodi uocabulis propter ὁμοιοτέλευτα et παρόμοια his efficitur exemplis: IV 20, 28 *audaciter* posuit, quia sequitur *humiliter* quattuor syllabarum, III 11, 19 *audacter*, I 11, 19 cas*u* et fortuit*u*, II 17, 25 fortuit*o* aut necessari*o*, *antea* aduerbium quod non fugit Thielmannum nonnisi IV 5, 7 posuit, quia antecedit *postea*, noct*u* an interdi*u* II 4, 7: quare in exitu libri IV scripsimus *distincte et ordinate, firme et perpetue*: conf. supra p. 91. De aduerbiis.

In pronominibus uocabulorum *suus se is* uicissitudines multas turbas fecerunt. Veluti IV 24, 33 scripsit 'Nam utrum ad patris eius uirtutes confugiet?' sicuti Nepos II 8, 2 'Hic cum propter multas eius uirtutes magna cum dignitate uiueret.' Utrumque locum aut mutarunt aut deminuerunt editores. Contra *se* positum est pro *is* II 29, 46 'Simile uitiosum est quod . . . sibi ipsi obest qui adfert.' Eodem modo IV 3, 5 intellegendum est: 'Nam si eorum uolumina prenderint antiqui oratores et poetae et suum quisque de libris suis tulerit, nihil istis quod suum uelint relinquatur': ubi *de libris suis* **E**, *de libris tuis* habuit **M**, sed ex correctura librarii, opinor: nam in insequenti sententia: 'At exempla quoniam testimoniorum similia sunt' e. q. s. habuit **M** teste H solo interpolationem similem 'testimoniorum tuorum' et II 14, 22 H similiter exhibet uitiose *rationem tuam*. Itaque istud *suis* positum pro *eorum* non audacius est quam *suus* in uersu illo Naeuii de Africano: 'Eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit.' At II 5, 8 'se commotum esse' huc pertinere non uidetur. *Sese* non inuenitur nisi pro reflexiuo De pronominibus.

positum: quare IV 6, 9 in uerbis 'aceruos se dicunt . . . habere' codd. **E** probauimus lectionem.

In lepidissimo illo mimo qui IV 50, 63 introducitur ubi pecuniosi ostentator tumidus et inflatus loquitur nos eum satis plebeis uerbis uti uoluimus cum colloquitur cum seruo suo hoc modo: 'At eho tu, ueni Sannio, ne quid is barbaris turbent.' *Eho* interiectio apud scriptores pedestris sermonis fere non inuenitur: ad *At* conf. Ter. Heaut. 550 'At heus tu' e. q. s. *is* in **M** erat, et *barbaris*, quamquam hoc tantummodo P*Π* agnoscant, H habeat *barbaros*, quo solo fretus singularem et formam Graecam restituere nolo: nam *turbent* pluraliter habent omnes. Itaque *is barbaris* nominatiuum pluralem esse quales sunt *his ques liberis* statuerim ab homine rustico adhibitum, dum quis codd. scripturas melius explicauerit. In reliquis codd. qui praebent *isti barbari* nulla salus: conf. Pacuu. 221 adnot.

Istic nominatiuum in sermone quem friuolum et inliberalem uoluit esse posuit comicorum more IV 11, 16. Neutrum pluralis *istaec* posuit 15, 22, ubi E: *istec*, **M**: *ista et*: neutrum pluralis *ista* non usurpauit. Ne singularem quidem *istud* adhibere uoluit saepius: quam formam seruauimus IV 4, 6 'sin istud artificiosum', quamquam ibi cod. B habet solus *stud*, quod in **M** fuisse ideo statuendum est, quod eodem loco pro *isto* P habet *stu*, H *situ*, 50, 63 pro *istud* H habet *stud*. Contra *istuc* restituimus 13, 19, ubi ita habent HP*Π*, *istud* reliqui, 30, 41 'Tu istuc audes dicere', ubi HPB *tuis tunc*, reliqui interpolate ueluti *tu ista nunc*, 29, 40 'Tu istuc ausus es dicere', ubi *tuis tuta usus* HPB, *tu istud ausus* reliqui, 32, 43 'Mars istuc te facere . . . coegit', ubi *mauis stucte* PB, *mauis stulte* H, *mars istud te* reliqui.

Pronomine *quicumque* uti noluit: semel posuit *quotiens cumque* III 20, 34. *Quisquis* saepenumero pro *quisque* posuit: conf. II 30, 47 'ut quicquid erit dictum' et I 9, 15 'ut quicquid primum gestum erit.' Quare III 9, 16 cum **M** scripsimus 'ut certo quicquid loco pronuntietur' ubi codd. interpolati habent *quicque*: III 18, 31. 19, 31 scripsimus *quinto quoquo loco* cum **E** et *quid in quoquo loco* cum b.

Pronomen *quiuis* saepenumero cum *facile* aduerbio con-

sociauit ueluti II 4, 7 'nisi facile quiuis causa posita posset iudicare' conf. 7, 11. 8, 12: IV 4, 7 'id facile faciat quiuis': bell. Afric. 48 Ter. Hec. 296 Corn. Nep. X 9, 5. Quare recte emendatum esse arbitramur a doctis saec. IX IV 10, 14 'uoce ista quae *perfacile cuiuis* rubores eicere potest', ubi **M** habuit *uel fabule cuius*, **E** *uel facile cuiuis*: conf. Cic. pro Quinct. 30, 92 'nos nostram perfacile cuiuis probaturos': *uel* et *per* in codd. facile inter se commutari potuisse per simile compendium expressa apparet ueluti factum est Apul. metam. V 28.

Pronomen indefinitum *quis* cum **M** his locis restituimus: IV 30, 41 'Praecisio est, cum dictis quibus, reliqum, quod coeptum est dici relinquitur incoatum' ubi *quibusdam* **E**, falso, nam exstat iam in C. III 4, 7 'si qua res honestiori ordini placeat . . . aut quibus sociis', ubi *aliquibus* **E**, falso, quia iam in CP² inuenitur. IV 50, 63 'sicuti notae quae', ubi *quaedam* **E**, ex interpolatione, quia ita iam scripsit CP²B². In singulis pronominum formis non eos sequor qui omnia ad unam derexerint regulam et normam: nam scriptorum modo hanc modo illam adhibuisse formam supra p. 171 exposuimus. Veluti IV 41, 53 scripsit 'unum aliquid aut alterum', III 23, 39 'unum aliquod aut alterum', I 8, 12 'unum quidque', IV 27, 37 'unum quodque', I 5, 8 'si quid eorum spurce factum', III 14, 24 'Strenue quod uolumus ostendere factum.'

In uerbis multa inueniuntur notabilia. Nos ex **E** restituimus *depultus* IV 10, 15, conf. supra p. 60, ex **M** *ueritus*, i. e. *ueritus es* 24, 33: etiam 34, 45 *reuirdescent* cod. **M** scripturam conseruare satius esse duximus. Sermonis differentias dilucide uoluit exprimi cum IV 30, 41 scripserit 'coeptum est dici' urbane, 10, 14 'coepit defricari' cum causa friuole et neglegenter: 9, 13 *descissent* codd., *discessent* nos. Plusquamperfectum posuit pro imperfecto uel perfecto II 19, 28 similitudine uerborum adductus: 'consu*euerat*, si iure non pot*uerat*', nulla perspicua causa commotus posuit IV 51, 65 'coeperamus'. Pro *possimus* posuit *queamus* III 16, 29 in enuntiato affirmatiuo sicuti Sallustius Vitruuius: 22, 37 'ut facilius meminisse *ualeamus*' posuimus cum H, reliqui omnes glossam *possimus* receperunt. Cicero in oeconomico 6 ed. B. H. posuit 'neque miles neque imperator quicquam

De uerbis

ualet explicare', similia Vitruuius raro et Liuius. Neque I 2, 3 ausus ego sum optimorum codd. lectionem remouere qui habent: 'Imitatio est qua inpellimur cum diligenti ratione ut aliquorum similes in dicendo *ualeamus* esse' ubi librarii iam saec. XII intulerunt blandum illud *uelimus*. Sed sicuti II 21, 34. 22. 34 IV 16, 23 dicit *inpellit ad maleficium*, Cic. pro Rabir. perd. 8, 22 'cum ignauiae ratio te in fugam atque in latebras impelleret' e. q. s., ita imitatione oratorem ad Gracchi uel Crassi facultatem impelli illo loco arbitror edoceri.

Praeterea ille scriptoris usus considerandus est quem in deponentibus admittit nonnumquam: quae pro passiuo posita saepius inueniuntur. Veluti scripsit III 3, 5 'res ... celsas sequi et appeti oportere', II 2, 2 'quales argumentationes ... sequi, quales ueitari oporteret.' Itaque sicuti Orbilius apud Priscianum GL II p. 381, 1 scripsit 'quae uix ab hominibus consequi possunt', ita in rhetorica ad Her. IV 2, 2 intellegendum est 'cum spes iniecta est posse imitando Gracci aut Crassi consequi facultatem' et 5, 7 'Deinde interest magni eius qui discere uult, utrum omnium omnia an omnia a nemine [aliud alium] putet consequi posse', ubi *aliud alium* quod iam FSchmidtius damnauit illa lectione ex codd. P*Π*BC restituta — nam H et **E** grauiter corrupti sunt — expellitur foras. His locis omnibus uidemus aut *oportere* aut *posse* uerbis deponentibus additum esse: alios locos quibus passiue *consequi* potest intellegi, omittere melius erit: conf. III 5, 9. Quod Priscianus l. s. p. 383, 10 tradit: 'Aufustius: "omnia argumentata nomina", argumentata passiue, πιστωθέντα', idem statuendum esse in rhetorica ad Her. arbitramur IV 41, 53 ubi cum **M** scripsimus 'haec partim testimoniis, partim quaestionibus argumentatis omnia conprobantur et rumore populi, quem ex argumentis natum necesse est esse uerum': in **E** pro *argumentatis* falso legitur *et argumentis*, cum similiter iam in cod. C scriptum sit. Denique *confiteri* passiue dictum esse censemus II 19, 30: 'Si ergo pollicitus sum me daturum causam, qua inductus Ulixes accesserit ad maleficium, et si inimicitiarum acerrimam rationem et periculi metum intercessisse demonstraui, non est dubium quin confiteatur causam malefici fuisse.' Et *aucupari* I 13, 23: 'Ex

ratiocinatione controuersia constat, cum res sine propria lege uenit in iudicium, quae tamen ab aliis legibus similitudine quadam aucupatur', ubi *aucupatur* et lepide et bene dictum esse arbitramur pro σκοπεῖται. — In uerborum denique constructione multa cum admirari liceat mira et singularia, nos in dies singulos magis didicimus tradita antiquitus conseruare et grauioribus abstinere commutationibus ueluti mirati quod IV 8, 11 **M** habuit 'quae cuiusque rei poterunt ornatissima uerba reperiri, siue propria siue extranea, unam quamque rem adcommodabuntur', mox *adcommodari* antecedenti accusatiuo iunctum saepius inuenimus in **M** extitisse. Qui 16, 24 teste H habuit similiter 'Haec exornatio sermonem uehementer acommodata est', 7, 10 'exempla tam esse artem adcommodata', ubi PB*Π* habent 'adcommodatam artem', 12, 17 'cum in uerbis pluribus consequens uerbum superius non *ad*commodatur', ubi *commodat ars* fuerat in **M**, III 8, 15 'inuentione perpolita atque (ita P¹*Π*Bbl; adq: P² ad quę H) omne causae genus (ad genus bl) adcommodata.' Quibus locis omnibus in codd. interpolatis aut praepositiones inueniuntur additae aut datiuus positus pro accusatiuo quorum lectiones nos eo minus probabimus quod et horum enuntiatorum omnium id proprium esse uidemus, quod uerbum forma passiua exstet usurpatum praeposito accusatiuo nec magis ista constructio sit singularis et noua, quam quod Nepos dixit 'quae mare illud adiacent' XIII 2, 1. Ne hanc quidem lectionem cod. **M** ausi sumus conturbare quae extat III 7, 14 'si erunt haec corporis commoda, de his usum dicemus, quae casu et fortuna tamquam quilibet gladiator habuerit' ubi pro *de* **E** habuit *male*. Itaque cum Nepos XVIII 11, 3 dixerit 'ut sic deuteretur uicto', Ennius 'de me hortatur', Lucilius poeta 'conque tubernalem' et 'deque dicata', 'deque petigo', Plautus 'disque tulissent' Trin. 833, 'super illi fuerit' Curc. 85, Cato de agric. 157, 9 'ferue bene facito', Varro rer. rust. I 9, 2 'perferue ita fit', III 4, 1 'excande me fecerunt', II 9, 13 'consue quoque faciunt' ausi sint ponere, ego illo loco nouum quendam usum scriptoris ad Her. malui statuere seruata codd. scriptura quam mutationibus parum probabilibus indulgere.

De praepositionibus. In praepositionibus *abs testibus abs quaestionibus* scripsimus cum *PII* II 6, 9 sicuti Plaut. Menaech. 345 'abs qua' Pers. 159 dixit 'abs chorago sumito', Trin. 947 Cato de agri cult. 37, 4 Varro rer. rust. II 4, 14 'aps terra', Terent. Adelph. 254 'abs quiuis homine', Liu. 42, 66, 6 'abs trepido'. De *quom* supra egimus p. 166: *utrocum* cum b restituimus II 10, 15 ubi **M** habuit *uerum cum*, sicuti Plaut. Trucul. 153 legitur *utriscum*. In praepositionibus *e ex a ab* adhibendis certam legem scriptorem secutum non esse cum ex eis quae supra de inconstantia eius qua utitur in aduerbiis et pronominibus p. 171. 173 disserui tum ex codd. testimoniis efficitur: *sub* praepositio non inuenitur nisi cum *subicere* uerbo consociata.

De particulis. In particulis id inprimis nouum didicimus eum nusquam adhibuisse *haud* negationem etiamsi saepenumero ponat illud schema quale est *non inscius non inurbanus*; quod idcirco memorabile est, quia cum ne Seneca quidem rhetor illud uocabulum omnino admittat (conf. Reisigii syntaxin edit. 1888 p. 188), perraro Celsus et Quintilianus, proscriptum id fuisse in rhetorum scholis iure suspicabimur. Ne *neue* quidem particula usquam inuenitur in libris ad Her. usurpata. In coniunctionibus *nisi quia* restituimus ex codd. I 9, 16: conf. interpretes ad Plaut. Trin. 938: *ex eo quia* II 27, 44. *Quoniam* cum coniunctiuo recte traditum in **M** restituimus II 18, 27 'Quoniam satis ostendisse uideamur', III 14, 25 'quoniam id . . . faciendum sit.'

Puerilis scriptoris aetas et totius operis condicio et natura nulla re magis fit perspicua quam enuntiatis illis cum *sed* satis praefracte incipientibus qualia et Nepos suo operi inseruit transitionis loco XVII 4, 3 XXIII 13, 4 et hic III 22, 37 'Sed illud facere oportebit' IV 48, 61 III 7, 13 19, 32 alibi. *Sed . . . tamen* ex codd. restituimus IV 37, 49 53, 67 coll. Cic. epist. XIII 71 ad Att. I 18, 2.

In enuntiatis interrogatiuis cum codd. *ne* particulam omisimus I 10, 17 'iure fecerit et licueritne facere', II 15, 22 'aeque magnum sit illud peccatum' e. q. s. Indicatiuum cum **M** aliis contra grammaticorum praecepta seruauimus II 24, 37 'eandem adfert rationem, quare caeca . . . dicitur', 20, 31

'quae uitia uitanda sunt, consideremus', III 4, 8 'quid dicturi sumus, ostendemus', 7, 13 'exponemus quas res laudaturi sumus' . . . 'quomodo ab animo tractata sunt demonstrare', IV 9, 13 'Quibuscum bellum gerimus, iudices, uidetis' 12, 17 'qua ratione uitare possumus . . . dicemus', 44, 56 'scire possis quam facile . . . tractatur' alibi.

Quam diligenter scriptor dualem numerum a plurali discernat ex his locis apparet IV 29, 40 'utrum de duobus potius aut quid de pluribus potissimum dicat', III 2, 2 'Deliberationes partim sunt eiusmodi, ut quaeratur, utrum potius faciendum sit, partim eiusmodi, ut, quid potissimum faciendum sit, consideretur. Utrum potius, hoc modo: Kartago tollenda an relinquenda uideatur. Quid potissimum, hoc pacto: ut si Hannibal consultet, quom ex Italia Kartaginem accersatur, an in Italia remaneat, an domum redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam' ubi primum illud *an* male sustulerunt editores nonnulli cum manifestum sit scriptorem uel in interrogationibus discernere dualem a plurali numero et in hoc numero eum *an* ponere maluisse anaphorice: conf. exemplum supra p. 103 ex Iuuenale adlatum.

In consecutione temporum obseruandum est quod saepenumero scriptor illud adhibuit schema quod expressit Plauti uersus Rud. 647 'si das operam eloquar'. Quod schema a grammaticis sublatum nos ex praestantissimorum codd., nonnumquam ex omnium codd. auctoritate reuocauimus ueluti I 3, 5 'cum aut id defendimus . . . aut obpugnabimus', 5, 8 'colligitur, si . . . proferemus', 14, 24 'Absoluta est, cum . . . dicemus' (II 21, 33 III 14, 24 IV 29, 39. 38, 50), II 3, 5 'Sin . . . inpedietur . . . Sin . . . potest', 24, 38 'reprehendetur, si . . . diluitur', 30, 48 'percontamur . . . ostendemus', IV 4, 7 'Qui scribit . . . poterit', 11, 16, 'si crebrae conlocabuntur . . . reddunt', 12, 17, 'quae eius rei uerba sunt . . . qua de loquemur', 12, 18 'si fugiemus . . . quae . . . reddunt', 20, 28 'si . . . cum . . . sunt . . . erunt', 26, 36 'Est . . . si . . . erit' 31, 42 'non modo non offendet, sed etiam exornat', 32, 44 'quae rem non reddit, . . . proderit', 34, 46 'cum . . . funguntur, quoinam . . . credemus', 37, 49 'qui audient . . . qui dicimus', 43, 55 'Sapiens . . . putabit . . . loquitur', 56, 69 'Quae si

sequimur, ...reperiemus', 39, 51 'trucidantur *e. q. s.*...flagrabit'. Praeterea uariatio temporum his locis est consideranda: IV 11, 16 'Socii nostri, cum belligerare nobiscum uellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam quid possint facere, siquidem sua sponte facerent' e. q. s., 56, 69 'Demonstratum est enim, quomodo . . . inuenire oporteat, dictum est, quo pacto . . . disponere conueniat, praeceptum est qua uia meminisse possemus, demonstratum est quibus modis perfecta elocutio conpararetur': conf. GTKruegeri Untersuchungen auf dem Gebiet der lat. Sprachlehre II 1 p. 65 seqq. Elocutionis abundantiam quandam reperimus his locis II 27, 43 'saepe . . . multi', IV 34, 46 'plures frequenter', 7, 10 'semper omnis', 35, 47 'separatim diuidit', 12, 18 'hic in uitiis', 53, 66 'hic ante pedes', 32, 43 'necessario coegit', II 10, 14 'necessario scribendum', IV 1, 1 'necessario faciendum', III 21, 34 'deinde tum'. E contrario omittitur subiectum in accusatiuo cum infinitiuo II 3, 5 'Si dicet pecuniae causa fecisse', III 5, 9 'considerare', 6, 12 'incertos esse' . . . 'uereri', IV 51, 64 'expectasse', 5, 8 'esse similem', II 16, 24 'peccasse' III 9, 16 'habere', 17, 30 'conparare', quibus locis in **E** accusatiuos *nos se* alios additos esse uidemus. Omisso subiecto ueluti *orator* uel *aliquis* positum est *dixerit* II 26, 42 IV 26, 35 sicuti saepissime in Varronis r. r. libris qua de re conf. HKeilii commentarius p. 20.

Quae hucusque de sermone scriptoris ad Her. exposuimus, ea qui accurate pertractauerit et cum eis exemplaribus quae nunc feruntur contulerit, is facile intelleget nos eos potissimum collegisse locos quos editt. aut minus recte constituerint aut ut spurios damnauerint. Quibus unum locum addam a multis multifariam tractatum. IV 31, 42 'De quibus exornationibus nominatio est prima, quae nos admonet, ut, cuius rei nomen aut non sit aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo uerbo nominemus, aut imitationis aut significationis causa. Imitationis, hoc modo, ut maiores rudere et mugire et murmurari et sibilare appellarunt. Significandae rei causa, sic: Postquam iste in rempublicam fecit impetum, fragor ciuitatis inprimis est auditus.'

Ita in editt. ultimum enuntiatum solet circumferri, sed

male conparatum. Nam *est auditus* quod est in **E** saeculo IX uir doctus nescioquis addidit, quia omittitur in HPΠB, sed m 1 scriptum exstat in C: conf. supra p. 45. In **M** igitur tantummodo erant: 'Postquam iste in rempublicam fecit impetum, fragor ciuitatis in primis.' Recte, opinor, et egregie haec dicta sunt. Nam in altero enuntiato uerbum omissum est παθητικῶς sicuti apud Plaut. Amphitr. 1061 'nam ubi parturit, deos sibi inuocat, strepitus, crepitus sonitus, tonitrus.' Verg. Aen. III 227 'tum uox taetrum dira inter odorem.' Hor. sat. I 9, 77 'clamor utrimque' et saepissime apud Tacitum. *Primi ciuitatis* apud scriptorem ad Her. memorantur IV 13, 19. 54, 68: aduerbium *inprimis* hoc loco aptum non est. Nouum igitur illud uocabulum est *fragor*, tempore Sullano ab ignoto quodam confectum: neque enim necesse est statuamus illud uerbum a scriptore ad Her. esse excogitatum uel ab eius doctore. Nouum uero illo tempore *fragor* uocabulum fuisse inde patet, quod nisi lexicis fides negatur neque comicorum neque tragicorum quisquam neque Ennius neque Lucilius inuenitur illo usus esse: quod primus omnium adhibuit Lucretius persaepe, ut poetam uetustorum illorum imitatorem gaudere tantopere uocabulo nouo mireris. Vides quomodo nos rhetorica ad Her. introducat in sermonis Latini origines et fontes. Neque enim ullum exstat scriptum quo melius Sullani aeui sermonem cognoscere et ediscere possimus operaeque pretium est comparare illam cum Ciceronis scriptis tempore Sullano compositis qualia sunt libri de inu. orationes pro Quinctio pro Roscio Amerino, quo magis cognoscatur et M. Tullii ingenium felix et elegans et saeculi illius propria loquendi consuetudo.

In hac editione adornanda breuitati quoad fieri potuit studuimus: quare coniecturas uirorum doctorum adtulimus perpaucas omissis illis quarum auctores melioribus instrumentis interpretationis cognitis paenituisse expectabamus. Etenim codd. rationem uel pauci uel nemo perspexerat: qui optimas unus omnium habuit collationes, Carolus Halmius, is et plurima bona huic libro adtulit et plurima quae sunt admodum peruersa et silentio opprimenda. Cui libro nihil magis offuit quam morbus ille locos optimos ut spurios dam- De huius editionis ratione et subsidiis.

nandi propterea quia inepti esse uideantur. Veluti I 10, 17 ad uerba 'si ea quae utilia sunt nobis conuenient' qui comparauerit Mart. Capellae p. 188, 15 edit. Eyssenh. 'si nobis prosunt', is ne illa quidem ut spuria damnabit. Attamen qui cognoscere cupiet quos locos damnauerint quos alio transiecerint, is non nostram, sed Kayseri et Friedrichii adeat editionem: qui haec prolegomena accurate perlegerit is sciet a Kaysero et Schuetzio fere omnes transitiones omniaque scriptoris ipsius additamenta esse damnata, ab Halmio omnia supplementa codicum **E**. In codd. scripturis afferendis perpauca negleximus ueluti t et c e et ae litterarum discrepantias; in uocabulis dubiis ueluti *suspicio* indicare lectiones traditas satius esse duximus: in difficillimo quoque loco codd. scripturas quam potuimus diligentissime examinauimus. Testes sunt quos precibus fatigauimus ut ex incertis certos non redderent Hugo Dessauer Herbipolitanus Victor Iernstedt Petropolitanus Fridericus Leitschuh Bambergensis Gustauus Nick Darmstadiensis Martinus Schanz Herbipolitanus Eduardus Stroebel Norimbergensis S. G. de Vries Leidensis. Et his uiris omnibus et praefectis bybliothecarum Bambergensis Bernensis Berolinensis Darmstadiensis Gottingensis Halensis Herbipolitanae Leidensis Musei Brittanici Parisinae Petropolitanae gratias agimus ea qua par est pietate et Ottoni Gilbert Gryphiswaldensis bybliothecae praefecto uiro humanissimo Guilelmo Schmitz Coloniensi qui in notis Tironianis soluendis quondam nos adiuuit benignissime Ottoni Seeck amico doctissimo, qui huic libro componendo opera adfuit et consilio.

Scribebam Kal. April. 1893.
Gryphiswaldiae.

CONSPECTUS RERUM ET LOCORUM.

ad Her. p. 151 — De tempore quo libri ad Her. scripti sint p. 153 — De Graecis auctoribus librorum de inu. et ad Her. p. 156 — De orthographiae rationibus p. 162 — De sermone scriptoris ad Her. p. 167 — De huius editionis ratione et subsidiis p. 179 —

INCERTI AUCTORIS

DE RATIONE DICENDI

AD C. HERENNIUM LIBRI IV

[M. TULLI CICERONIS AD HERENNIUM LIBRI VI]

. . . stude uerum inuenire . . .
IV 30, 41

1) Mutili saec. IX uel X qui omittunt I cap. 1—5:

H = Herbipolitanus (prolegg. p. 11)
P = Parisinus (ibid. p. 12)
Π = Parisinus recentior (ibid. p. 19)
B = Bernensis (ibid. p. 14)
C = Corbeiensis (ibid. p. 15)
M = codicum *HPΠBC* uel consensus uel archetypus

2) Expleti saec. XII uel XIII qui soli habent I cap. 1—5:

b = Bambergensis (prolegg. p. 34)
l = Leidensis (ibid. p. 35)
d = Darmstadiensis (ibid. p. 35) qui explicit IV 53, 66, unde eius uice fungetur
v = Vossianus primus (prolegg. p. 37)
E = codicum *bld* consensus.

Supplementa codicum **E** indicauimus uncinis talibus: ⟨ ⟩: glossemata archetypi omnium talibus: [ ]

Supplementa codicum **E** quae iam in codicibus *ΠBC* exstant inclinatis litteris indicantur additis uncinis: conf. prolegg. p. 45. 46

Supplementa editorum inclinatis litteris indicantur uncinis omissis

H uel H^1 significat codicis *H* primam manum, H^2 secundam

Codicum *ΠCd* discrepantias nonnullas et singulares et inutiles indicare omisimus

[M. TULLI CICERONIS

AD HERENNIUM

LIBRI SEX].

LIBER PRIMUS.

⟨Etsi [in] negotiis familiaribus i*m*pediti uix satis otium studio suppeditare possumus et id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere consueuimus, tamen tua nos, Gai Herenni, uoluntas commouit, ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa uelle cognoscere r*h*etoricam intell*e*gebamus: non enim in se parum fructus habet copia dicendi et commoditas orationis, si recta intell*e*gentia et definita animi moderatione gubernetur. Quas ob res illa, quae Graeci scriptores inanis a*d*rogantiae causa sibi a*d*sumpserunt, rel*i*quimus. Nam illi, ne parum multa scisse uiderentur, ea conquisierunt, quae nihil a*d*tinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur: nos autem ea, quae uidebantur ad rationem dicendi pertinere, sumpsimus. Non enim spe quaestus aut gloria commoti uenimus ad scribendum, quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus uoluntati. Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus, 1 1

M. Tullii Ciceronis ad Herennium lib̄ I incip̄ *l* : in *bd nulla praescriptio* **1** in *om Omnibonus* impediti **4** gai *om d* **6** suscepimus hoc negotium *b* **7** rethoricam intelligebamus **8** parum in se fructus *d* **9** intelligentia **11** arrogantiae assumpserunt **12** reliquimus *Lambinus* relinquimus *bl* relinquemus *d* **13** conquisiuerunt *d* attinebant **17** tuae *om l*

[sed] si te unum illud monuerimus, artem sine a*d*siduitate dicendi non multum iuuare, ut intellegas hanc rationem praeceptionis ad exercitationem a*d*commodari oportere.

2 2 Oratoris officium est de *i*is rebus posse dicere, quae res ad usum ciuilem moribus et legibus constitutae sunt, cum a*d*sensione auditorum, quoad eius fieri poterit.

Tria genera sunt causarum, quae recipere debet orator: demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale.

Demonstratiuum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem uel uituperationem.

Deliberatiuum est in consultatione, quod habet in se suasionem et dissuasionem.

Iudiciale est, quod positum est in controuersia et quod habet accusationem aut petitionem cum defensione.

Nunc quas res oratorem habere oporteat, docebimus, deinde quo modo has causas tractari conueniat, ostendemus.

3 Oportet igitur esse in oratore inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem.

Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium, quae causam probabilem reddant.

Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus locis sit co*n*locandum.

Elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem a*d*commodatio.

Memoria est firma animi rerum et uerborum et dispositionis perceptio.

Pronuntiatio est uocis, uultus, gestus moderatio cum uenustate.

Haec omnia tribus rebus a*d*sequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione.

Ars est praeceptio, quae dat certam uiam rationemque dicendi.

---

1 sed *del Gruterus* assiduitate **2** intelligas *bd* **3** accommodari **4** iis *Kayserus*] his **6** assensione quo ad *l* quod *HJordanus Krit. Beitr.* p. 339 **7** sunt genera *d* **16** deinde] et *d* **22** collocandum **24** accommodatio **29** assequi

imitatio est, qua i*n*pellimur cum diligenti ratione ut aliquorum similes in dicendo ualeamus esse.

Exercitatio est a*d*siduus usus consuetudoque dicendi.

Quoniam ergo demonstratum est, quas causas oratorem recipere quasque res habere conueniat, nunc, quemadmodum possit oratio ad rationem oratoris officii a*d*commodari, dicendum uidetur.

Inuentio in sex partes orationis consumitur: in exordium, 3 4 narrationem, diuisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem.

Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris constituitur ad audiendum.

Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio.

Diuisio est, per quam aperimus, quid conueniat, quid in controuersia sit, et per quam exponimus, quibus de rebus simus acturi.

Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum a*d*seueratione.

Confutatio est contrariorum locorum dissolutio.

Conclusio est artificiosus orationis terminus.

Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur et eas ad inuentionis rationem a*d*commodaremus, de exordio primum dicendum uidetur.

Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus 5 causae est considerandum. Genera causarum sunt qua*t*tuor: honestum, turpe dubium, humile.

---

13 RG VII 2, 729 W: *Διήγησίς ἐστιν ἔκθεσις πραγμάτων γεγονότων ἢ ὡς γεγονότων.*

---

1 impellimur 2 ualeamus *bd* ualemus *l s. s.* a *et* uel uelimus 3 assiduus 4 ergo *bl* igitur *d* 5 conueniret *d* 6 possit oratio ad rationem oratoris officii accommodari *l* officia oratoris ad orationem accommodari possint *b* ad orationem officia possint (possint officia l^2) oratoris accommodari *d*, l^2 *in marg.* 12 auditoris constituitur *d* auditoris uel iudicis constituitur uel apparatur *bl* 13 aut — gestarum *om b* 15 per quam exponimus quibus de rebus simus dicturi et per quam aperimus quid conueniat quid in controuersia sit *d* 19 asseueratione 21 terminus orationis *d* 24 accommodaremus 27 considerandum est *d* IIII *s. s.* or *l* quatuor *bd*

Honestum causae genus putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum uidetur, aut obpugnabimus, quod ab omnibus uidetur obpugnari debere ut pro uiro forti contra parricidam.

Turpe genus intell*e*gitur, cum aut honesta res obpugnatur aut defenditur turpis.

Dubium genus est, cum habet in se causa et honestatis et turpitudinis partem.

Humile genus est, cum contempta res a*d*fertur.

4 6 Cum haec ita sint, conueniet exordiorum rationem ad causae genus a*d*commodari. Exordiorum duo sunt genera: principium, quod Graece prohemium appellatur, et insinuatio, quae epodos nominatur.

Principium est, cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut beniuolos auditores habere possimus.

Si genus causae dubium habebimus, a beniuolentia principium constituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit.

Sin humile genus erit causae, faciemus attentos.

Sin turpe causae genus erit, insinuatione utendum est, de qua posterius dicemus, nisi quid nacti erimus, qua re aduersarios criminando beniuolentiam captare possimus.

Sin honestum genus causae erit, licebit recte uel uti uel non uti principio. Si uti uolemus, aut id oportebit ostendere, qua re causa sit honesta, aut breuiter, quibus de rebus simus dicturi, exponere. Sin principio uti nolemus, ab lege, ab scriptura aut ab aliquo nostrae causae adiu-
7 mento principium capere oportebit. Quoniam igitur docilem, beniuolum, attentum auditorem habere uolumus, quo modo quidque effici possit, aperiemus.

---

1 genus esse *d* **2** oppugnabimus *l* id oppugnamus *d* **3** oppugnari *ld* ut — parricidam *inclusit Roemerus* **5** intelligitur cum aut *bl* aut cum *d* oppugnatur *ld* **7** causa honestatis *d* **9** affertur *d* ante affertur *bl* **11** accommodari **13** quae] quod *l* ἔφοδος *editt* **17** habemus *d* **20** erit genus *b* **21** est utendum *d* **23** captare *bl*[2] capere *ld* **25** oportebat *l* **27** si *ld* **28** aliquo firmissimo nostrae *d* firmissimo *post* causae *inseruit l*[2] **29** ergo *b* **30** attentum beniuolum *b* uolumus habere *d* **31** effici *l* efficere *b* confici *d*

Dociles auditores habere poterimus, si summam causae breuiter exponemus et si attentos eos faciemus; nam docilis est, qui attente uult audire.

Attentos habebimus, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba facturos aut de *i*is, quae ad rem publicam pertineant aut ad eos ipsos, qui audient, aut ad deorum i*n*mortalium religionem; et si rogabimus, ut attente audiant; et si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus.

Beniuolos auditores facere qua*t*tuor modis possumus: 8 ab nostra, ab aduersariorum nostrorum, ab auditorum persona, et ab rebus ipsis.

Ab nostra persona beniuolentiam contrahemus, si 5 nostrum officium sine a*d*rogantia laudabimus, atque in rem publicam quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos, qui audiunt *** aliquid referemus, dum haec omnia ad eam ipsam rem, qua de agitur, sint a*d*commodata. Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem; et si orabimus, ut nobis sint auxilio et simul ostendemus nos in aliis noluisse spem habere.

Ab aduersariorum persona beniuolentia captabitur, si eos in odium, in inuidiam, in contemptionem adducemus.

In odium rapiemus, si quid eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose, flagitiose factum proferemus.

In inuidiam trahemus, si uim, si potentiam, si factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, a*d*finitates aduersariorum proferemus, et his adiumentis magis quam ueritati eos confidere aperiemus.

---

2 breuiter *om d* eos *om d* dociles *b*[2] 3 is qui *d* 4 magnis rebus *d* 5 iis *Aldus*] his rem.p. 7 immortalium religionem pietatem *d* 8 si *om d* de quibus rebus *b* 10 IIII *s. s.* or *l* quatuor *bd* 11 ab *ter om d* 12 et ab *om d* 13 a *d* 14 arrogantia atque *bl* aut *d* rem.p. 16 eos ipsos *d lacunam sic fere suppleas:* aperiemus et si de humanitate misericordia clementia nostra qua in alios usi sumus aut in eos qui audiunt 17 qua de *d* de qua *bl* accommodata 19 oramus *d* et *om d* ostendimus *d* 20 et nos *d* spem noluisse *d* 23 si quid *bd* si qid *l* 26 potentiam si *b* potentias *l* potentiam *d* 28 affinitates *ld* affinitatēs *b*

In contemptionem adducemus, si inertiam, ignauiam, desidiam, luxuriam aduersariorum proferemus.

Ab auditorum persona beniuolentia colligitur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus; et si, quae de *i*is existimatio, quae iudicii expectatio sit, aperiemus.

Ab rebus ipsis beniuolum efficiemus auditorem, si
6 nostram causam laudando tollemus, aduersariorum per con-
9 temptionem deprimemus. Deinceps de insinuatione aperiendum est.⟩

Tria sunt tempora, quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut cum animus auditoris persuasus esse uidetur ab *i*is, qui ante contra dixerunt; aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt.

Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, hominem spectari oportere; non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab aduersariis, et esse indigna aut nefaria; deinde cum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa aut de eadem aut de minore aut de maiore proferemus, deinde ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem conferemus. Item si negabimus nos de aduersariis aut de aliqua re dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione uerborum.

10 Si persuasus auditor ⟨fuerit, id est⟩, si oratio aduersariorum fecerit fidem auditoribus — neque enim non facile

5 et *om d* iis *Cratandrea*] his 8 laudand tollemus *l*[1] laudando extollemus *l*[2]*bd* 9 aperiendum] utendum *s. s. m 1* aperiendum *b* 11 Tria] *hic incipiunt* **M** *praeter B, cuius pars uetustior incipit* 7, 11 *uerbis* Verum haec res utilitates. *In HP praescribitur:* DE INSINUATIONE ET TRIBUS TEMPORIBUS PRINCIPII: in *Π*: Marci Tullii Ciceronis ad Herennium lib. I de rhethorica incipit feliciter de insinuatione et tribus temporibus principii. *In C nihil praescriptum* 13 auditoris animum *d* 14 esse uidetur] uidetur esse *Hd* 15 iis *Aldus*] his est *om H*[1] 18 Rem hominem *PC* Rem non hominem *HP*[2]*Π* Rem non hominem hominem non rem **E** spectari *PC***E** expectari *HΠ* 22 de maiore] maiore *P* 23 et] et per *C* 24 negauimus *H*[1] 27 auditor fuerit id est si **E** auditor si **M** 28 fidem

scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat — ergo si fidem factam putabimus, his rebus nos insinuabimus ad causam: de eo, quod aduersarii firmissimum sibi adiumentum putarint, primum nos dicturos pollicebimur; ab aduersarii dicto exordiemur, et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit; dubitatione utemur quid potissimum dicamus aut quo*i* loco primum respondeamus, cum admiratione.

Si defessi erint audiendo, ab aliqua re, quae risum mouere possit, ab apologo, fabula uere*i* simili, imitatione deprauat⟨a⟩, inuersione, ambiguo, suspicione, inrisione, stultitia, exuperatione, collectione, litterarum mutatione, praeterea expectatione, similitudine, nouitate, historia, uersu, ab alicuius interpellatione aut adrisione; ⟨si promiserimus⟩ aliter ac parati fuerimus, nos esse dicturos; nos non eodem modo, ut ceteri soleant, uerba facturos; quid alii soleant, quid nos facturi sumus, breuiter exponemus.

Inter insinuationem et principium hoc interest. Principium eius modi debet esse, ut statim apertis rationibus, quibus praescripsimus, aut beniuolum aut attentum aut do- 7 11

10 Cic. de or. II 59, 242 item ridiculum quod ex quadam deprauata imitatione sumi solet

auditoribus] auditoribus *s. s.* fidem *H* **1** poterimus] poterunt *H* **3** nos rebus *bl* auersarii *C* **4** firmissimum — aduersarii *om* *Π* putauerint *P* **5** aut ab aduersarii **E** **6** aut dubitatione **E** **7** quoi *Kayserus* quo *HP* (*s. s.* cui) *Π* cui quo *C* cui **E** **8** āmiratione *bd* adfirmatione *H* affirmatione *PΠ* adfirmatione uel admiratione *C* affirmatione *s. s. m1* uel āmiratione *l* **9** Si] Sin *b* erint *H*[1] erunt *reliqui* **10** fabula **M** a fabula **E** ueresimili **H** ueri simili *reliqui* imitatione *H, l* (*s. s. m1* uel immu) immutatione *PΠbd* inmutatione *C* deprauata **E** deprauat *H* deprauatione *PΠC* **11** ab ambiguo **E** abici a *H* a *PΠC* inrisione *HC* irrisione *reliqui* inrisione — mutatione *om Π* **12** exuperatione **E** superatione *HC* Separatione *P* collatione *d Schuetzius* literarum *b* dicto praeter expectationem *Schuetzius* praeterexpectatione *proposui prolegg. p. 27* **13** similitudine turpi *H* uersu ab (aut ab *d*) alicuius interpellatione aut arrisione. Si promiserimus aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos. nos non eodem modo **E** uersu aliter ac (hac *H*) parati fuerimus nos esse dicturos ab alicuius inter pellatione aut adrisione nos non eodem modo **M**: *sed in C signum transpositionis appositum ad* uersu, dicturos, adrisione **17** sumus **M***d* simus *bl* **18** inter est *HP* **20** praescripsimus **E** C^2 perscripsimus *PC*

cilem faciamus auditorem: at insinuatio eiusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendi opere uenire possimus. Verum hae tres utilitates tametsi in tota oratione sunt conparandae, hoc est, ut auditores sese perpetuo nobis adtentos, dociles, beniuolos praebeant, tamen id per exordium causae maxime conparandum est. Nunc, ne quando uitioso exordio utamur, quae uitia uitanda sint, docebo.

Exordienda causa seruandum est, ut lenis sit sermo et usitata uerborum consuetudo, ut non adparata oratio uideatur esse.

Vitiosum exordium est, quod in plures causas potest adcommodari, quod uulgare dicitur.

Item uitiosum est, quo nihilo minus aduersarius potest uti, quod commune appellatur; item illud, quo aduersarius ex contrario poterit uti.

Item uitiosum est, quod nimium apparatis ⟨uerbis⟩ conpositum est aut nimium longum est, et quod non ex ipsa causa natum uideatur, ut proprie cohaereat cum narratione, et quod neque beniuolum neque docilem neque adtentum
8 facit auditorem. De exordio satis erit dictum: deinceps ad narrationem transeamus.

12 Narrationum tria genera sunt.

Unum est, cum exponimus rem gestam et unum quidque

perscribsimus *H* perscribimus *Π* **1** huiusmodi *H* **2** omnia illa *b* **3** commoditem *C* **4** Verum] *hic incipit B codicis pars uetusta* hae tres **E**$\Pi C P^2 B^2$ haec res *HPB* racione *b* **5** conparandae *HPC* comparandae *reliqui* adtentos *HPB* attentos *reliqui* **6** id] idem *d* perexordium *P* **7** maximae *PB* conparandum *HPC* considerandum *b* comparandum *reliqui* nequando *H* **8** sint] sunt *H* docebo; Exordienda (Exordiendi *B*) **M** in *addidit* P^2B^2 docebo. In exordienda *ld* docebis. (*s. s.* o *m1*) In exordienda *b* **9** leuis *b* et **E** ut **M** **10** apparata *Π***E** uideatur oratio *bl* **11** esse] esse de uitiis exordiorum **M** **13** acommodari *P* accommodari $P^2 \Pi B$**E** **14** quo] quod *B* quid *d* **15** apellatur *Hb* quo *blΠBC* qui *d* quod *HP* **17** apparatis uerbis **E** apparatis *PΠB* aparatis *H* apparate P^2C conpositum est *HP* compositum est *BΠd* compositum *bl* **19** uidetur *b* *uulgo* propriae *H* **20** beniuolem H^1 adtentum *HPB* attentum *reliqui* **21** erit] est *d* **22** transeamus. DE NARRATIONE **M** **23** genera sunt **M** sunt genera **E** **24** est cum exponimus **M** (cum *om* H^1) quo (est quo *d*) exponemus **E** quidque *HPBd* quodque *reliqui*

trahimus ad utilitatem nostram uincendi causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est.

Alterum genus est narrationis, quod intercurrit nonnumquam ⟨aut⟩ fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius apparationis causa.

Tertium genus est id, quod a causa ciuili remotum est, in quo tamen exerceri conuenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus. Eius narra- 13
tionis duo genera sunt, unum quod in negotiis, alterum quod in personis positum est.

Id, quod in negotiorum expositione positum est, tres habet partes: fabulam, historiam, argumentum.

Fabula est, quae neque ueras neque ueri similes continet res, ut eae sunt, quae tragoedis traditae sunt.

Historia est gesta res, sed ab aetatis nostrae memoria remota.

Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit, uelut argumenta comoediarum.

Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festiuitatem, animorum dissimilitudinem, grauitatem, lenitatem, spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam, rerum uarietates, fortunae commutationem, insperatum incommodum, subitam laetitiam, iucundum exitum rerum. Verum haec in exercendo transige⟨n⟩tur; illud, quod ad ueritatem pertinet, quomodo tractari conueniat, aperiemus.

Tres res conuenit habere narrationem, ut breuis, ut di- 9 14
lucida, ut ueri similis sit; quae quoniam fieri oportere scimus, quemadmodum faciamus, cognoscendum est.

1 trahemus *bl* 3 inter currit *PC* 4 aut fidei **E** fidei **M** *ad* criminationis *add C* uel laudationis *in marg.* at H^1 aut transitionis *om* B^1 5 apparationis (aparationis *H*) **M** apparationis uel laudationis **E** 6 ciuilis emotum *H* 9 sunt genera *bl* 14 eae sunt *HPIIC* haeae sunt *B* hae (haeae *l*) **E** tragoedis *l* tragedis *b* tragydiis *HPIIC* tragidiis *B* tragediis *d* 15 res gesta *b* ab *om* H^1 remota memoria *b* 18 uelud *C* comediarum *ld* comediorum *b* tragydiarum **M** 21 lenitatem *om* H^1 leuitatem *Gronouius* suspicionem *C***E** suspitionem *reliqui* 22 ueritates *H* 23 subitam laetitiam insperatum incommodum *H* 24 iocundum HP^2d in *om* H^1 25 transigentur **E** transigetur *PIIBC* transigitur *H* quomod H^1 27 Tres *om d* delucida *H*

Rem breuiter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit, et si non ab ultimo initio repetere uolemus, et si summatim, non particulatim narrabimus, et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur, et si transitionibus nullis utemur, et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere, et si exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque quae facta sint, scire possint, tametsi nos reticuerimus: quod genus, si dicam me ex prouincia redisse, profectum quoque in prouinciam intellegatur. Et omnino non modo id, quod obest, sed etiam id, quod neque obest neque adiuuat, satius est praeterire. Et ne bis aut saepius idem dicamus, cauendum est; etiam ne quid, nouiss*ime* [id] quod [supra] diximus, deinceps dicamus, hoc modo (*CRF*[2] *p. 113*):

Athenis Megaram uesperi aduenit Simo:
Vbi aduenit Megaram, insidias fecit uirgini:
Insidias postquam fecit, uim in loco adtulit.

15 Rem dilucide narrabimus, si ut quicquid primum gestum erit, ita primum exponemus et rerum ac temporum ordinem conseruabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri uidebuntur: hic erit considerandum, ne quid perturbate, ⟨ne quid contorte,⟩ ne quid noue dicamus, ne quam in aliam rem

1 Rem] DE BREVI NARRATIONE. Rem **M** 2 narrare] tractare *s. s. m1* narrare *b* initio] principio *b* 3 uoluerimus *d* 4 persequimur *b* 6 coepimus *d* 7 quoque *om d* sunt *d* scire *HP*[1] sciri *P*[2]*BC*E 9 rediisse *d* intelligatur E 10 omnino *BC*E homini *HPΠ* abest *H*[1] 12 idem dicamus] dicamus *H* dicamus idem *b* Cauendum est etiam *l* Cauendum etiam est *b* nequid nobis semel id quod supra *HPΠ* ne id quod supra *B*[1] *super* supra *m2* semel *posito* ne ·/· semel ·/· id quod : supra *C* ne id quod supra semel *bd* ne id quod semel supra *l* nouissime *habent Antias Varro:* proxime *Cic. de inu.* I 20, 28 *conf. p.* 216, 7 13 hoc do *B* 15 megaram *d* megarum *bl* mecarum *PΠBC* mece narum *H* Simo] si modo *H* 16 Megaram] *eadem discrepantia quae 15* fecit insidias *b* uirginis *H* 17 in *om d* adtulit *P* attulit *reliqui: uersus Plauti esse conicit Thielmannus* 18 Rem] DE DILUCIDA NARRATIONE Rem **M** narrauimus *H*[1] quicquid *HPΠC* quidquid *B* quidq; *ld* quodq; *b* 20 conseruauimus *H*[1] 21 ne quid perturbate ne quid contorte ne quid noue ne quid ambigue *bl* ne quid perturbate ne quid contorte ne quod ambigue *d* nequid perturbate nequid noui *HP* (*in P m2 super* noui *scriptum* ambigui) *ΠB* ne quid perturbate ne quid ambigui *C* (*in marg.* uel noui)

transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus, et si sequemur ea, quae de breuitate praecepta sunt; nam quo breuior, ⟨*eo*⟩ dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.

Veri similis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut 16
natura postulat, dicemus, si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt, ne refelli possit aut temporis parum fuisse aut causam nullam aut locum idoneum non fuisse aut homines ipsos facere aut pati non potuisse. Si uera res erit, nihilominus haec omnia narrando conseruanda sunt, nam saepe ueritas, nisi haec seruata sint, fidem non potest facere: sin erunt ficta, eo magis erunt conseruanda. De *iis* rebus caute confingendum est, quibus in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas uidebitur interfuisse.

Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora diuisimus, ut plane certam uiam et perspicuam rationem exordiorum haberemus. Nunc, quod reliquum est, quoniam de 10
rerum inuentione disputandum est, in quo singulare consumitur oratoris artificium, dabimus operam, ut nihilominus industrie, quam rei utilitas postulabit, quaesisse uideamur, si prius pauca de diuisione causarum dixerimus.

Causarum diuisio in duas partes distributa est. 17
Primum per narrationem debemus aperire, quid nobis

1 rerepetamus *b*[1] **2** sequemur *PΠBC* sequamur *d* persequemur *bl* quaerimus *H* **3** quo breuior eo dilucidior (lucidior *b* **E** *C* quo (quod *PB*) breuior dilucidior (delucidior *H*) *HPΠB* **4** cognito *H*[1] fiet] fiet DE UERISIMILI NARRATIONE **M** **7** oportunitates *HCb* **8** possint *H* **10** ut pati *H*[1] nihil omninos (u *super* os *scripta*) *H* nihil hominus *C* **12** sunt *H* potest non *l* **13** fictae *Hl* facte (i *m1 super* a *posita*) *b* conseruandae *H* De *om H* iis *Cratandrea*| his **14** contingendum *b* confligendum **M***d* confligendum *s. s. m1* uel confingendum *l* **15** inter fuisse *HPBC* **16** sunt *om d* **17** noua *HC***E** nouae *PB* noue *Π* **18** ea *BΠ* soli nos **E** atria *C* diuidimus *d* **19** per spicuam *P* **21** qua **E** **22** artificium *HPΠB* officium *Cbd* officium *s. s. m1* uel artificium *l* nichilo minus **E** nihil ominus *H* nihil minus *PΠBC* **23** industrie *b* industriae *reliqui* uidebamur *H*[1] **26** per narrationem **M** perorata narratione **E**

conueniat cum aduersariis, si ea, quae utilia sunt nobis, conuenient, quid in controuersiis ⟨relictum sit⟩ hoc modo:

'Interfectam esse ab Oreste matrem conuenit mihi cum aduersariis: iure fecerit et licueritne facere, id est in controuersia.'

Item e contrario:

'Agamemnonem esse a Clytemestra occisum confitentur; cum id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse.'

Deinde, cum hoc fecerimus, distributione uti debemus. Ea diuiditur in duas partes, enumerationem et expositionem.

Enumeratione utemur, cum dicemus numero, quot de rebus dicturi sumus. Eam plus quam trium partium numero ⟨esse⟩ non oportet: nam et periculosum est, ne quando plus minusue dicamus, et suspicionem adfert auditori meditationis et artificii, quae res fidem abrogat orationi.

Expositio est, cum res, quibus de rebus dicturi sumus,
18 exponimus breuiter et absolute. Nunc ad confirmationem ⟨et confutationem⟩ transeamus.

Iustitiae partibus utemur, si aut innocentium aut supplicium misereri dicemus oportere; si ostendemus bene merentibus gratiam referri conuenire; si demonstrabimus ulcisci male meritos oportere; si fidem magnopere censebimus conseruandam; si leges et mores ciuitatis egregie dicemus oportere seruari; si societates atque amicitias studiose dicemus coli conuenire; si, quod ius in parentis, deos, patriam natura conparauit, id religiose colendum demonstrabimus; si hospitia, clientelas, cognationes, adfinitates caste colenda esse dicemus; si nec pretio nec gratia nec periculo nec simultate a uia recta ostendemus deduci oportere; si dicemus in omnibus aequabile ius statui conuenire. His atque huiusmodi partibus iustitiae si quam rem in contione aut in consilio faciendam censebimus, iustam esse ostendemus, contrariis iniustam. Ita fiet, ut isdem locis et ad suadendum et ad dissuadendum simus conparati.

---

1 cupiditatem HP^1B **3** alterum uitare cohortabimur *bl* **4** aliquit P^1 aliquem **E** **5** disciplinam $HP\Pi$ disciplinam aut *B* disciplinabilem P^2C**E** **6** quo] et quo *bd* oporteat **M** possit ostendemus **E** ut $P^1\Pi C^1$ **7** suadebemus H^1 **8** id] in *b* **9** possimus l^2 poterimus *d* **10** innocentiam HP^1 innocentium $H^2P^2\Pi BCd$ innocentum *bl* supplicium $HP\Pi$ supplicum P^2BCld suplicum *b* **11** bene merentibus **E**H^2 in immerentibus H^1P^1 inmerentibus P^2B immerentibus ΠC **12** conferri *Bbl* demonstrauimus H^1P^1 ulcisci *om* H^1 **13** male meritos ulcisci *bl* oporteret H^1P^1 **14** mores **E***BC* malores *H* maiores $P\Pi$ oportere *om B* **15** si *om* H^1C^1 dicemus studiose *bl* **16** parentes H^2C**E** **17** conparauit *HPC* comparauit *reliqui* demonstrauimus *b* hospita *b* ospitia (h superscr.) *H* ospitia *C* **18** clientela HB^1C cognitiones P^1B coguitione *H* affinitates **E** caste *om H* colendas $C^1P^2B^2$**E** esse cū aste *H* **19** praecio *P* similitudine *b* **20** dicimus *b* **22** siquam *P* **23** contrarii *H* **24** isdem H^2Cd hisdem blB^2 idem $HP\Pi B$ et

Sin fortitudinis retinendae causa faciendum esse dice- 5
mus, ostendemus res magnas et celsas sequi et appeti oportere; et item res humiles et indignas uiris fortibus *** uel uiros fortes propterea contemnere oportere nec idoneas dignitate sua iudicare. Item ab nulla re honesta periculi aut laboris magnitudine deduci oportere; antiquiorem mor⟨t⟩em turpitudine haberei; nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur; nullius pro rei ueritate metuere inimicitias; quodlibet pro patria, parentibus, hospitibus, amicis, *i*is rebus, quas iustitia colere cogit, adire periculum et quemlibet suscipere laborem.

Modestiae partibus utemur, si nimias libidines honoris pecuniae, similium rerum uituperabimus; si unam quamque rem certo naturae termino definiemus; si, quoad cuique satis sit, ostendemus, nimium progredi dissuadebimus, modum uni cuique rei statuemus.

Huiusmodi partes sunt ⟨uirtutis amplificandae, si sua- 6
debimus⟩, omnibus uerbis adtenuandae, si ab his dehortabimur, ut haec adtenuentur quae supra demonstraui. Nam nemo erit, qui censeat a uirtute recedendum; uerum aut res non eiusmodi dicatur esse, ut uirtutem possimus egregiam experiri, aut in contrariis potius rebus quam in his uirtus constare, quae ostendantur. Item, si quo pacto poterimus, quam is, qui contra dicet, iustitiam uocabit, nos demonstra-

ad **M***d* et *bl* p. 258, **25** sumus *b* conparati *HP* comparati *reliqui* **1** causae *H* faciendum quid *d Kayserus Omnibonus* **2** res magnas ostendemus *bl* **3** humiles res *bl* *lacunam sic fere expleas:* uel omnes fugere ac uitare debere quia turpitudinem adferant uel *om* **E** **4** idonea *H* **6** labores H^1 morem **M** **7** haberei] habere in *HPΠ* habere *B* haberi *C***E** **8** nullus P^1 quidlibet *d* quilibet *b* **9** iis *Aldus* his **M** et his **E** **10** iustia *H* **12** honoris $P^2 \Pi B^2 C d$ honores $H P^1 B^1 b$ honorum *l* **13** pecunias *b* pecuniarum *l* similiumq; *l* uituperauimus $H P^1 B$ **14** certae *H* diffiniemus *H***E** quo ad *PB* quo ut *H* quoad ad C^1 **15** et nimium **E** et modum **E** **16** statuamus **M** **17** uirtutis amplificandae si suadebimus (dissuadebimus b^1) **E** *om* **M** **18** omnibus uerbis **M** *om* **E** attenuandae $P^2 C^2$**E** si $B C P^2$**E** et *Π* //// P^1 *om H* **19** attenuentur **E**P^2 **20** erit nemo *bl* censet *b* **21** huiusmodi $b l^1$ ut *om H* posuimus egregiam $H P^1 B$ possimus egregiam $P^2 \Pi C^2 d$ possumus egregiam C^1 egregiam possimus *bl* **23** quae ostendantur *HPΠBd* ostendatur $P^2 C b l$ siquo *HP* **24** dicit **E** uocabit $\Pi C P^2$ uocauit **E***HPB* demonstrauimus $H^1 P^1 B$

bimus ignauiam esse et inertiam ac prauam liberalitatem; quam prudentiam appellarit, ineptam et garrulam et odiosam scientiam esse dicemus; quam ille modestiam dicet esse, eam nos inertiam et dissolutam neglegentiam esse dicemus; quam ille fortitudinem nominarit, eam nos gladiatoriam et inconsideratam appellabimus temeritatem.

4 7 Laudabile est, quod conficit honestam et praesentem et consequentem commemorationem. Hoc nos eo separauimus ⟨a recto, non quod hae quat*t*uor⟩ partes, quae subiciuntur sub uocabulum recti, hanc honestatis commemorationem dare ⟨*non*⟩ soleant, sed quamquam ex recto laudabile nascitur, tamen in dicendo seorsum tractandum est hoc ab illo: neque enim solum laudis causa rectum sequi conuenit, sed si laus consequitur, ⟨du⟩plicatur recte*i* adpetendi uoluntas. Cum igitur erit demonstratum rectum esse, laudabile esse demonstrabimus aut ab idoneis hominibus — ut si qua res honestiori ordine*i* placeat, quae a deteriore ordine inprobetur — aut quibus sociis aut omnibus ciuibus, exteris nationibus, posterisque nostris.

Cum huiusmodi diuisio sit locorum in consultatione, breuiter aperienda erit totius tractatio causae.

Exordiri licebit uel a principio uel ab insinuatione uel isdem rationibus, quibus in iudiciale*i* causa.

---

1 ac] et *bl* paruam *b* **2** appellaret *H* **4** inhertiam *Bd* negligentiam *bd* **5** formidinem b^1 fortudinem H^1 nominaret *H* gradiatoriam H^1P^1B **6** appellauimus H^1P^1B ueritatem b^1 **8** nos eo **E** non eo modo $HP\Pi C$ non in eo modo *B* **9** a recto non quod hae quatuor (.IIII. *b*) **E** *om* **M** (ut $H^2P^2B^2C$(?)) **10** uocabulo $P^2B^2\Pi C$ recti *om* H^1 honestatem HP^1B honestam *Halmius* dare non *Cbl* non dare *d* dare $HP\Pi B$ (non *add* $P^2\Pi^2B^2$) **11** nascatur *C***E** **13** recta **M** **14** consequatur *d* placatur $HP\Pi B$ placetur P^2C recte $P^1\Pi$ recti *reliqui* adpetendi *HPC* appetendi *reliqui* uoluptas *bl* **15** demonstrandum **M** *prius* esse *om* **E** demonstrauimus *PB* demonstrabitur *bd* **16** ut] aut H^1 siqua *B* si quae *l* honestior H^1B^1 **17** ordine *H* ordini *reliqui* inprobetur *HP* improbetur *reliqui* **18** quibus $HP\Pi B$ aliquibus P^2C**E** ciuibus exteris] extraneis *b* **20** consulta tatione *H* *uersus fine diremptum* **21** aperienda erit *C* aperiendae sit HP^1B aperienda est $P^2\Pi$**E** totius tractio H^1 tractatio totius *bl* **22** exordiri **E**CP^2 exordio $HP\Pi B$ **23** isdem $H\Pi b$ hisdem *PBC* ab hisdem *ld* in *om* *H* iudicialē *HB* iudicialem $P\Pi$ iudiciali P^2C**E** causa P^2C^2**E** causam $HP\Pi BC^1$

Si cuius rei na⟨*rra*⟩tio incidet, eadem ratione narrari oportebit.

Quoniam in huiusmodi causis finis est utilitas et ea 8
diuiditur in rationem tutam atque honestam, ⟨si⟩ utrumque poterimus ostendere, utrumque pollicebimur nos in dicendo demonstraturos esse; si alterum ⟨erimus demonstraturi, simpliciter⟩ quid dicturi sumus, ostendemus. At si nostram rationem tutam esse dicemus, diuisione utemur in uim et consilium. Nam quod in docendo rei dilucidae magnificandae causa dolum appellauimus, id in dicendo honestius consilium appellabimus. Si rationem nostrae sententiae rectam esse dicemus et omnes partes recte*i* incident, quadripertita diuisione utemur: si non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo.

Confirmatione et confutatione utemur, nostris locis, quos ante ostendimus, confirmandis, contrariis confutandis. Argumentationis artificiose tractandae ratio de secundo libro petetur. Sed si acciderit, ut in consultatione alteri ab tuta 5
ratione, alteri ab honesta sententia sit, ut in deliberatione eorum qui a Poeno circumsessi deliberant, quid agant, ⟨qui⟩ tutam rationem sequi suadebit, his locis utetur: Nullam rem utiliorem esse incolumitate; uirtutibus uti neminem posse, qui suas rationes in tuto non conlocarit; ⟨ne⟩i deos quidem esse auxilio is,

1 narratio EBP^2 natio HP ratio ΠC narrare Π **2** oportebat H **4** si *om* M **5** ostendere poterimus bl si utrumque M **6** si *om* H^1 erimus demonstraturi simpliciter *om* M **7** quidicituri H quiddicituri C^1H^2 quid dicturi C^2BP^2 quod dicturi $P\Pi$E at EC^2 aut M **8** regionem b diuisionem $P\Pi$ **9** dicendo M dilucidae (dilucide b) magnificandae Bbl dilucidae magnificanda $HP\Pi$ dilucidae magnificandi C dilucidandae d **10** id *om* H **11** appellauimus $HPBb^1$ rationem P^1BE ratione H rationis $P^2\Pi C$ nostiam H sententiam M **12** recte $HP\Pi B$ recti P^2CE **13** quod H^1P^1 **15** In confirmatione bl utemur P^2BCbl ut enim $HP\Pi$ utemur ut enim d *Kayserus* nostri loci d *Kayserus* **16** confirmandi sunt ita d *Kayserus* contrarii d *Kayserus* confutandis P^2B^2Cbl sunt confutandi d *Kayserus* cogitandis H concitandis B concitandae $P\Pi$ **17** argumentationes Π **18** altera H **19** altera H alter B sit B^2C^2E est M **20** poeno P^2BC pene $H\Pi$ poena P^1 penis E qui *om* M **21** sequi suadebit E siquis audiuit (^{a}diuit C adibit $P^2\Pi B^2$)M **22** incolomitate $HPCb$ orationes l **23** conlocarit P locarit H collocarit *reliqui* ne deos E Ideos (*s. s.* on)H idoneos $P\Pi BC$ quidem

qui se inconsulto in periculum mittant; honestum nihil opor-
9 tere existimari, quod non salutem pariat. Qui tutae rei praeponet rationem honestam, his locis utetur: Virtutem nullo tempore relinquendam; uel dolorem, si is ⟨*ti*⟩meatur, uel mortem, si ea formidetur, dedecore et infamia leuiorem esse; considerare, quae sit turpitudo consequtura: at non inmortalitatem neque aeternam incolumitatem consequi, nec esse exploratum illo uitato periculo nullum in aliud periculum uenturum; uirtute*i* uel u⟨*l*⟩tra mortem proficisci esse praeclarum; fortitudini fortunam quoque esse adiumento solere; eum tute uiuere, qui honeste uiuat, non, qui in praesentia incolumis et eum, qui turpiter uiuat, incolumem in perpetuum esse non posse.

Conclusionibus fere similibus in his et in iudicialibus causis ut⟨*i*⟩ solemus, nisi quod his maxime conducit quam plurima rerum ante gestarum exempla proferre.

6 Nunc ad demonstratiuum genus causae transeamus.
10 Quoniam haec causa diuiditur in laudem et uituperationem, quibus ex rebus laudem constituerimus, ex contrariis rebus erit uituperatio conparata. Laus igitur potest esse rerum externarum, corporis, animi.

Rerum externarum sunt ea, quae casu aut fortuna secunda aut aduersa accidere possunt: genus, educatio, diui-

10 (Ter. Phorm. 203)

E *HP* quidem non $P^2\Pi C$ qui non dem *B* is *PB* his *Hbd* eis *l* eos $P^2B^2\Pi C$ **2** praepone P^1 praeponit *C* **3** honestā *om* H^1 **4** et uel E si is (iis *l*) timeatur ECB^2 si ismeatur *P* si timeatur ΠP^2 si (*om* H^1) his me////atur *H* si is in ea mereatur *B* (*in H m2 s. s.* is metuatur) **6** consequutura *C* consequitura HP^1 consecutura *reliqui* at] *om* B^1 an *H* et *d* inmortalitatem *HPBb* immortalitatem *reliqui* **7** incolomitatem *HPCb* **9** uenturum $P^1\Pi$ uenturos HP^2BCE uirtute $P\Pi$E uirtuti *HBC* ultra $blH^2P^2\Pi$ utra *HP* utro ad B^1 ultro ad CB^2d **11** uiuere *om* H^1 **12** incolomis $H^1P^1\Pi Cb$ incolomem H^1P^1C **15** uti solemus E$CB\Pi P^2H^2$ ut solemus *P* ut solem *H* nisi $HP^2B^2C^2$E s; $P^1\Pi$ si BC^1 quod] qui *b* **16** proferemus $P^2\Pi$ **17** cau H^1 transeamus] *in HP sequitur* DE CAUSA DEMONSTRATIUA **20** conparata *HPC* comparata *ΠB* comparanda H^2E externarum rerum *b* **21** corporis et animi *bl* animi et corporis *d* **22** causae ut *H* causa aut *Bb* **23** secundaut *H* accedere *H* possint *C* quod genus B^1C

tiae, potestates, gloriae, ciuitas, amicitiae, et quae huiusmodi sunt et quae his contraria.

Corporis sunt ea, quae natura corpori adtribuit commoda aut incommoda: uelocitas, uires, dignitas, ualetudo, et quae contraria sunt.

Animi sunt ea, quae consilio et cogitatione nostra constant: prudentia, iustitia, fortitudo, modestia, et quae contraria sunt. Erit igitur haec confirmatio ⟨et confutatio⟩ 11
nobis in huiusmodi causa.

Principium sumitur aut ab nostra aut ab eius, de quo loquemur, aut ab eorum, qui audient, persona aut ab re. Ab nostra, si laudabimus: aut officio facere, quod causa necessitudinis intercedat; aut studio, quod eiusmodi uirtute sit, ut omnes commemorare debeant uelle, quod rectum sit; aut ex aliorum laude ostendere, qualis ipsius animus sit. Si uituperabimus: aut merito facere, quod ita tractati sumus; aut studio, quod utile putemus esse ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognosci, aut quod placeat ostendi, quod nobis placeat, ex aliorum uituperatione. Ab eius persona, de quo loquemur, si laudabimus: uereri nos, ut illius facta uerbis consequi possimus; ⟨omnes⟩ homines illius uirtutes praedicare oportere; ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire. Si uituperabimus, ea, quae uidemus contrarie paucis uerbis commutatis dici posse, dicemus, ut paulo supra exempli causa demonstratum est. Ab auditorum persona, ⟨*si*⟩ lauda- 12

1 huius modi *P ut ubique fere* **2** et *BC* ea HP^1 et ea $P^2\Pi$E contria P^1 **3** naturae H^1 adtribuit P^1C^1 attribuit *reliqui* **4** ut uelocitas EH^2 ualetudo *b* ualitudo M*ld* **5** quaequae *H* **8** et confutatio E *om* M **9** huiusmodi igitur E *interpunctio debetur Maduigio* **10** sumatur E **11** loquimur *d* querimus *H* **14** uirtute sit *HPΠB* uirtutes sint P^2C uirtutis sit E commemorare debeat H^1 debeant commemorare *bl* aut quod rectum sit ex *Aldus* **15** ipsius] noster *d* **16** uituperauimus *HPB* quia *bl* **17** simus *bl* putemur *H* **18** aut quia E **19** quid *BCd* displiceat P^2BCE **20** loquimur *Hd* **21** laudabimus *ΠC* laudauimus *HPB* laudabimus dicemus E uereri nos ut illius H^2P^2BCE ueteri nos utilius *HP* si ueteri more utilius *Π* non possimus P^2BCd **22** omnes homines E homines P^1B^1 hominis $HP^2B^2\Pi C$ praedicari *BC* oportebit *b* **23** ante ire *HBb* **24** uituperauimus H^1P^1B contrarie *Π* contrariae *HPB* (*ita* M *semper fere aduerbia*) contraria *C*E **26** si laudabimus (lauda-

bimus: quoniam non apud ignotos laudemus, nos monendei causa pauca dicturos; aut si erunt ignoti, ut talem uirum uelint cognoscere, petemus; quoniam in eodem uirtutis studio sint, apud quos laudemus, atque ille, qui laudatur, fuerit aut sit, sperare nos facile iis, quibus uelimus, huius facta probaturos. Contraria uituperatio: quoniam norint, pauca de nequitia eius dicturos; quod si ignorent, petemus, ut cognoscant, uti malitiam uitare possint; quoniam dissimiles sint, qui audiant, atque ille, qui uituper⟨atur, sper⟩are eos illius uitam uehementer inprobaturos. Ab rebus ipsis: incertos esse, quid potissimum laudemus; uereri, ne, cum multa dixerimus, plura praetereamus, et quae similes sententias habebunt; quibus sententiis contraria sumuntur a uituperatione.

7 13 Principio tract⟨*at*⟩o aliqua harum, quas ante commemorauimus, ratione, narratio non erit ulla, quae necessario consequatur; sed si qua inciderit, quo*m* aliquod factum eius, de quo loquemur, nobis narrandum sit cum laude aut uituperatione, praeceptio narrandi de primo libro repetetur.

Diuisione hac utemur: exponemus, quas res laudaturi sumus aut uituperaturi; deinde, ut quaeque, quoue tempore res erit gesta, ordine dicemus, ut, quid quamque tute cauteque egerit, intellegatur. Sed exponere oportebit animi

uimus *B*) *BC*E laudauimus $H^1 P^1$ laudabimus *Π* **1** non apud ignotos *ΠB*^{2}*d* non apud ignaros *l* noui apud ignotos *HP* nihil noui apud ignotos *Bb* nihil noui nihil apud ignotos *C*P^2 monendi E*CΠ*P^2 nomendi *P* momendi *B* nomen de *H* **3** eadem $H^1 P^1$ **4** atque] quo *bd* laudatus *PΠ*B^2*C* laudetur E **5** iis *PΠB* bis *HC*E **7** ut cognoscant *bl* uti agnoscant *PΠC* ut ignoscant H^1 uti ignoscant *B* ut agnoscant H^2*d* **9** sint *bl* sunt M*d* audiunt *Hbl* **uituperatur sperare nos eos** *d* **uituperatur sperare nos** *bl* uituperare eos P^1*Π* uituperatur eos *H*P^2 uituperaretur eos *B* uituperaetur eos *C* **10** inprobaturos *HPB* improbaturos *ΠCd* eos improbaturos *bl* **13** sententias P^1 **15** principū H^1 in principio *B* tractato EP^2 tractato ab *BC* tractā *H* tractum *P* tracta Tum *Π* aliquam *HP* commemorauimus M tractauimus E **16** ratione E*BC* rationem *HP* rationum B^2 narrationum *Π* narratio *om* B^1 **17** qua E quid M includerit *H* quem *P* quam *HB* cum P^2*ΠC*E **18** loquimur *d* loquamur *b* **20** sumus laudaturi *bl* **21** uituperari *H* quaeque quo ue *PΠBl* quocumque *H* **22** quod *b* cauteque E utet *HPΠ*, *om* *BC* **23** intelligatur E oportebat *H* ani H^1

uirtutes aut uitia; deinde commoda aut incommoda corporis aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata sunt, demonstrare. Ordinem hunc adhibere in demonstranda uita debemus: ab externis rebus: genus: in laude, quibus maioribus natus sit; si bono genere, parem aut excelsiorem fuisse; si humili genere, ipsum in suis, non in maiorum uirtutibus habuisse praesidium; in uituperatione, si bono genere, dedecori maioribus fuisse; si malo, tamen his ipsis detrimento fuisse. Educat⟨i⟩o: in laude, *** honeste in bonis disciplinis totius pueritiae fuerit: in uituperatione *** *De*inde transire oportet ad corporis commoda: natura si 14
sit dign⟨*it*⟩as atque forma, laude*i* fuisse eam, non quemadmodum ceteris detrimento atque dedecori; si uires atque uelocitas egregia, honestis haec exercitationibus et industriis dicemus conparata; si ualetudo perpetua, diligentia et temperantia cupiditatum; in uituperatione, si erunt haec corporis commoda, de his usum dicemus, quae casu et natura tamquam quilibet gladiator habuerit; si non erunt, praeter formam omnia ipsius culpa et intemperantia *a*fuisse dicemus. Deinde ⟨re⟩uertemur ad extraneas res, et in his

---

1 aut uitia **M** atque uitia **E** **2** externarum rerum *bl* tractata sunt *b* sunt tractata *l* tractas *P* tracta sint *Π* tractata *H* tractata sint BCH^2P^2d **3** demonstrare **E**$BCP^2ΠH^2$ inde monstrare *H* inde monstare *P* **4** debeamus *PB* laudē *H* de quibus *d* **6** humilib; *H* **7** praesidium $P^2ΠC$**E** praesidit *HPB* **8** dedecore b^1 fuisse maioribus *bl* ipsius H^1 **9** detrimentis H^1P^1B educatio **E**$Π^2$ educato bene **M** honeste **M** (quod *add C*, P^2 *in marg*) bene et honeste **E** **10** totius pueritiae fuerit **M** per omnem puericiam educatum **E** **11** deinde *Aldus* inde *HΠB***E** hinc P^2C: *in P uetus lectio funditus erasa* transire *Aldus* trahise *H* trahere *B*; *in P uetus lectio erasa* detrahere P^2C se retraxisse *Π***E** oportet $HBCP^2$ (*uetus lectio erasa*) aperte *Π***E** ad *HPΠ* At *BC***E** a *v* Ab *Friedrichius* commodis *v editt* naturas *HP* natura *ΠB* a natura *C***E** a natura in laude *Leidensis 3* in laude natura *Kayserus* si sit $P^2ΠCbl$ si sint *d* si et HP^1B **12** dignitas P^2B^2C**E** dignas *HP* dignus *Π* digna *B* laude *H* landi *reliqui* eā *PΠbl* ea *HBCd* **14** egregia uelocitas *b* et industriis *om d* et industria *bl* **15** dicemus P^2C**E** adicemus *HP* addicemus *Π* ea dicemus *B* conparata *HPB* comparata atque industria *d* comparata *reliqui* naletudo *b* ualitudo **M***ld* ex perpetua *bd* diligenti H^1 et *om H* **17** de **M** male **E** his deusum *de Muellerus* **18** erit *H* er̄ *C* **19** intemperantiā H^1 afuisse *Gruterus* fuisse **M** non fuisse **E** **20** uertemur **M**

animi uirtutes aut uitia quae fuerint, considerabimus; diuitiae an paupertas fuerit, et quae potesta*te*s, quae gloriae, quae amicitiae, quae inimicitiae, et quid fortiter inimicitiis gerundis fecerit; cuius causa susceperit inimicitias; qua fide, beniuolentia, officio gesserit amicitias; in diuitiis qualis aut paupertate cuiusmodi fuerit; quemadmodum habuerit in potestatibus gerundis animum. Si interierit, cuiusmodi ⟨mors
8 15 eius fuerit, cuiusmodi⟩ res mortem eius sit consecuta. Ad omnes au⟨*tem*⟩ res, in quibus animus hominis maxime consideratur, illae quattuor animi uirtutes erunt adcommodandae; ut, si laudemus, aliud iuste, aliud fortiter, aliud modeste, et aliud prudenter factum esse dicamus; si uitupera⟨bi⟩mus, ⟨*aliud iniuste*,⟩ aliud inmodeste, aliud ignaue, aliud stulte factum praedicemus. Perspicuum est iam nimirum ex hac dispositione, quemadmodum sit tractanda tripertita diuisio laudis et uituperationis, si illud etiam adsumpserimus, non necesse esse nos omnes has partes in laudem aut in uituperationem transferre, propterea quod saepe ⟨ne⟩ incidunt ⟨quidem, saepe ita tenuiter incidunt,⟩ ut non sint necessaria dictu. Quapropter eas partes, quae firmissimae uidebuntur, legere oportebit.

Conclusionibus breuibus utemur, ⟨enumeratione ad exitum causae; in ipsa⟩ causa crebras et breues amplificationes interponemus per locos communis.

---

1 considerauimus *HPB* **2** potestates *Omnibonus*] potestas gloria *B*, *qui quater singularem* **3** quod *b* fortiter in $ldH^2P^2C^2$ **4** gerendis bl^2 susceperit] fecerit *H* **5** amicitia H^1 aut in **E** **6** cuius modi *P* **7** gerendis *b* mors eius fuerit cuiusmodi *om* **M** **9** autem res P^2C**E** aures *HPΠ* res *B* maxima H^1 **10** quatuor *ld* .IIII. *b* uirtutes animi *H* animi *om b* adcommodanda *H* accommodandae **E**CP^2 **11** et aliud **M** aliud **E** **12** dicamus **M***d* praedicemus *bl* uituperabimus *bl* uituperemus *d* uituperamus **M** **13** aliud iniuste *C***E**, *om HPΠB* aliud immodeste (inmodeste **M**) aliud ignaue **M***bl* aliud ignaue aliud immodeste *d Omnibonus* **14** praedicemus **M** dicemus *d* esse dicamus *bl* est *om H* **15** tratanda P^1 pertita H^1 **16** assumpserimus **E** **17** esse] est *H* omnes *om H* partes has *bl* aut in] et *H* aut **E** **18** trans ferre *PB* ne **E**, *om HPΠB* se B^2C incidunt quidem sepe ita tenuiter incidunt **E** indicant **M** **19** necessariae **E** **22** Enumeratione ad exitum causae. In ipsa **E** nostri **M** **23** causas *H* causae *P* **24** interponemus **E** interponere **M** (inter ponere *PBC*) interponere oportebit C^2 *Kayserus* communis P^1B communes *reliqui*

Nec hoc genus causae, eo quod raro accidit in uita, neglegentius commendandum est: neque enim id quod potest accidere, ut faciendum sit aliquando, non oportet uelle quam adcommodatissime posse facere; et si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberatiuis causis saepe magnae partes uersantur laudis aut uituperationis. Quare in hoc quoque causae genere nonnihil industriae consumendum putemus. Nunc, absoluta a nobis difficillima parte rhetoricae, hoc est inuentione perpolita atque omne causae genus adcommodata, tempus est ad ceteras partes proficisci. Deinceps igitur de dispositione dicemus.

Quoniam DISPOSITIO est, per quam illa, quae inuenimus, 9 16
in ordinem redigimus, ut certo quidquid loco pronuntietur, uidendum est, cuiusmodi rationem in disponendo habere conueniat. Genera dispositionum sunt duo: unum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis adcommodatum.

Ex institutione artis disponemus, cum sequemur eam praeceptionem, quam in primo libro exposuimus, hoc est, ut utamur principio, narratione, diuisione, confirmatione, confutatione, conclusione, et ut hunc ordinem, quemadmodum praeceptum est ante, in dicendo sequamur. Item ex institutione artis non modo totas causas per orationem, sed singulas quoque argumentationes disponemus, quemadmodum in libro secundo docuimus, in expositionem, rationem, con-

---

1 rare *Π* accidit **E***HB* accidet *PΠ* accidat *C* **2** negligentius *d* **3** uideri accidere *b* accidere uideri *l* ut] ad *H* **4** adcommodantissime H^1 accommodatissime P^2C**E** separatione (separationi *H*)**M** **5** at **E**CH^2P^2 an H^1P^1 ac *Π* *om B* **6** partes] res *bl* **8** conferendum *bl* putauimus **E** a *om B* nobis] bonis HP^1 **9** difficilima *H* rhetoricae *B* rethoricae *reliqui* perpolitae *H* **10** atque $P^1Π$ *Bbl* ad quę *H* adq: P^2 atque ad B^2Cd ad genus *bl* accommodata $P^2Π$**E** **11** partes *H* (*s. s. m1* orationis), *Bbd* partes orationis *reliqui* **13** inueniemus *bl* **14** quidquid H^1B quicquid $H^2PΠ$ quidque *C***E** pronuntiatur *H* **15** nos habere **E** **17** accommodatum P^2C**E** **18** cum sequemur] consequemur *H* **20** utemur *H* **21** et ut *PΠBC* et *H***E** **23** totas] duas *H* **24** quoque] quasque *bl*, *om PΠC* **25** .II. *H* in expositionem *d* id est expositionem P^2C (*in ras*) id est in expositionem *bl*

17 firmationem rationis, exornationem, conclusionem. Haec igitur duplex dispositio est: una per orationes, altera per argumentationes, ab institutione artis profecta.

Est autem alia dispositio, quae, cum ab ordine artificioso recedendum est, oratoris iudicio ad tempus adcommodatur; ut si ab narratione dicere incipiamus aut ab aliqua firmissima argumentatione aut litterarum aliquarum recitatione; aut si secundum principium confirmatione utamur, deinde narratione aut si quam eiusmodi permutationem ordinis faciemus; quorum nihil, nisi causa postulat, fieri oportebit. Nam si uehementer aures auditorum obtunsae uidebuntur atque animi defatigati ab aduersariis multitudine uerborum, commode poterimus principio supersedere, exordiri causam aut ⟨*a*⟩ narratione aut aliqua firma argumentatione. Deinde, si commodum erit, quod non semper necesse
10 est, ad principi sententiam reuerti licebit. Si causa nostra magnam difficultatem uidebitur habere, ut nemo aequo animo principium possit audire, ab narratione cum inceperimus, ad principii sententiam reuertemur. Si narratio parum probabilis, exordiemur ab aliqua firma argumentatione. His commutationibus et translationibus saepe uti necesse est, cum ipsa res artificiosam dispositionem artificiose commutare cogit.

18 In confirmatione et confutatione argumentationum dispo-

in dispositionē *PΠB* in dispositione *H* rationem confirmationem rationis exornationem P^2CE rationis confirmationem (confirmatione *H* rationis (*om H*, rationem B^2) orationis *HPΠB* **1** conclusione *HΠ* complexionem *Omnibonus* **3** profecto HP^1B^1 **4** officioso **M** **5** secedendum **M** accommodatur P^2CE **6** ab] a *d* aut] ut HB^1, *om* C^1 **7** aut **M** aut ab *bl* aut a *d* literarum *Cb* recitationem *HB* **10** postulat *HPB* postulet $P^2ΠC$ (*in ras*) **E** oportebat P^1B **11** auditoris *H* obtusae *C*E **12** defetigati B^1 fatigati *d* ad aduersarios H^1 **13** super sedere *C* exordiri *HPΠ* et exordiri *BC*E **14** aut a $H^2P^2B^2C$E ut a *B* aut *HPΠ* narrationē *H* aut **M***d* aut ab P^2B^2bl **15** sic H^1 quid H^1 **16** principis H^1 principii *reliqui* causam P^1 **17** nemo] neq; *H* **18** ab] a *d* inceperimus $P^2ΠBCl$ inciperimus *HP* incipiemus *bd* ad $H^2P^2B^2ΠC$E a *PB*, *om* H^1 **19** parum *om* H^1 est parum *bl* probabilis est *d* **20** exordiremur *b* ab *om b* **21** translationibus partium **E** **22** artificiosa *HPB* dispositione *H* **24** dispositiones *H*E disputationes *PΠC* dispositionem BC^2

sitiones huiusmodi conuenit habere: firmissimas argumentationes in primis et in postremis causae partibus conlocare; mediocris et neque inutiles ad dicendum neque necessarias ad probandum, quae, si separatim ac singulae dicantur, infirmae sint, cum ceteris coniunctae firmae et probabiles fiunt, interponi [in medio conlocari] oportet. Nam et s⟨tat⟩im re narrata expectat animus auditoris, sei qua re causa confirmari possit — quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem — et quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur, utile est, cum dicere desinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Haec dispositio locorum, tamquam instructio militum, facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, parere poterit uictoriam.

PRONUNTIATIONEM multi maxime utilem oratori dixe- 11 19
runt esse ⟨et⟩ ad persuadendum plurimum ualere. Nos quidem unum de quinque rebus plurimum posse non facile dixerimus ⟨nec⟩ egregie magnam esse utilitatem in pronuntiatione audacter confirmauerimus. Nam commodae inuentiones et concinnae uerborum elocutiones et partium causae artificiosae dispositiones et horum omnium diligens memoria sine pronuntiatione non plus, quam sine his rebus pronuntiatio sola ualere poterit. Quare, ⟨et⟩ quia nemo de ea re diligenter scripsit — nam omnes uix posse putarunt de uoce

9 Priscian. GL II p. 95, 18: Nuperrimus etiam proferebant antiquissimi: unde aduerbium posuit Cicero in tertio ad Herennium: et quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur

1 huius modi *P* **2** collocare P^2**E** **3** mediocris *PB* mediocres *reliqui* utiles *l* **5** sunt *bd* fiunt **M** sint **E** **6** interponi *P*, *om C Kayserus* in **M***d* et *b* et in lH^2 conlocari *HPBC* et collocari $P^2\Pi d$ collocari *bl* *glossema agnouit Simon alii* statim **E** si in *HPΠ* in *B*, *om C* **7** auditori *B* sei] sed *HPB om C***E** ex $P^2\Pi$ qua ex *d* re] de *C* causae confirmari *H* confirmari causa *bl* **8** possint *H* **9** et quoniam **E***C* et reliqua quoniam H^1 (et *ante* quoniam *add* H^2)*PΠ* quoniam *B* **11** recentem **E** recte *HPΠ*, *om BC* **14** parare $P\Pi C l^2$ **16** et ad *BC***E** ad *HPΠ* quidem **M** quod **E** **17** unam P^2 .V. *bl* posse **M** prosit **E** **18** nec *om* **M** **23** et quia **E** qnia **M** **24** posse uix *H* putauerunt posse *bl*

et uultu et gestu dilucide scribi, cum eae res ad sensus nostros pertinerent — et quia magnopere ⟨ea pars⟩ a nobis ad dicendum conparanda est, non neglegenter uidetur tota res consideranda.

Diuiditur igitur pronuntiatio in uocis figuram ⟨*et*⟩ in corporis motum. F i g u r a u o c i s est ea, quae suum quendam
20 possidet habitum ratione et industria conparat⟨*um*⟩. Ea diuiditur in tres partes: magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem.

Magnitudinem uocis maxime conparat natura, nonnihil auget, sed maxime amplificat a*d*curatio.

Firmitudinem uocis maxime conparat *cura*, nonnihil adauget et maxime conseruat exercitatio imitationis.

Mollitudinem uocis, hoc est, ut eam torquere in dicendo nostro commodo possimus, maxime faciet exercitatio declamationis.

Quapropter de magnitudine uocis et firmitudinis parte, quoniam altera natura paritur, altera cura conparatur, nihil nos adtinet commonere, nisi ut ab *i*is, qui ⟨non⟩ inscii sunt
12 eius artificii, ratio curandae uocis petatur. De ea parte firmitudinis, quae conseruatur ratione declamationis, et de mollitudine uocis, quae maxime necessaria est oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis conparatur, dicendum uidetur.

---

1 scripsi *H* eae *PΠBC* rehae *H* haeae *l* hae *bd* **2** magnopere ea pars **E** quantopere (quanto per ea *H*) **M** **3** conparanda *HPB* comparanda $\Pi Cldb^2$ comparata b^1 negligenter **E** (l^2) **5** et *om HPΠ* **7** comparatum (conparatum *C*) ea *blC* comparatum haec *d* conparate ea *B* conparate *H* conparata *P* comparata *Π* **8** diuitur *H* **10** conparat *HPBC* comparat *reliqui* **11** auget *HPΠB* adauget *C* hanc adauget **E** amplificat (amplificet *b*) accuratio *bl* curatur conseruat *HP* cura conseruat $P^2\Pi B^2C^2d$ conseruat *BC* **12** conparat *HPB* comparat *reliqui* cura *Schuetzius*] natura adauget] auget *H* hanc adauget *d* **13** imitationis **M** declamationis **E** P^2B^2 **15** nostro *HBC* pro nostro *PΠ***E** faciat *H* **17** firmitatis *b* **18** paritur $H^2P\Pi B$ parit H^1 paratur $P^2\Pi^2B^2C$, *om* **E** alatera *b* natura H^1 conparatur *HPBC* comparatur *reliqui* **19** adtinet *HPBC* attinet *reliqui* commonere **E** communis res $P\Pi BCl^1$ communis rei *H* iis *Aldus*] his non inscii **E** P^2B^2 inscii (insci B^1) **M** **20** artificiis *H* **21** orationis (orationes P^1) declamationibus *PΠ* mullitudine H^1 mollicione *b* **23** conparatur *HPBC* comparatur *reliqui*

Firmam ergo maxime poterimus in dicendo uocem con- 21
seruare, si quam maxime sedata et depressa uoce principia dicemus. Nam laeditur arteria, si, antequam uoce len*e*i permulsa est, acri clamore conpletur. Et interuallis longioribus uti conuenit: recreatur enim spiritu uox et arteriae reticendo adquiescunt. Et in continuo clamore remittere et ad sermonem transire oportet: commutationes enim faciunt, ut nullo genere uocis effuso in omni uoce integri simus. Et acutas uocis exclamationes uitare ⟨debemus⟩: ictus enim fit et uulnus arteriae acuta atque attenuata nimis adclamatione et qui splendor est uocis, consumitur uno clamore uniuersus. Et uno spiritu continenter multa dicere in extrema conuenit oratione: fauces enim calefiunt et arteriae conplentur et uox, quae tractata uarie est, reducitur in quendam sonum aequabilem atque constantem.

Qua*m* saepe rerum naturae gratia quaedam iure debetur! uelut accidit in hac re. Nam quae dicimus ad uocem seruandam prodesse, eadem a*d*tinent ⟨ad suauitudinem pronunt⟩iationis, ut, quod nostrae uoci prosit, idem uoluntati
auditoris probetur. Utile est ad firmitudinem sedata uox 22
in principio. Quid insuauius quam clamor in exordio causae? Interualla uocem confirmant; eadem sententias con-

1 Firmam ergo **E** firmamento **M** 3 laeditur **E***Π* laeduntur *HPBC* arteria **E***HΠ* arteriae *PBC* uoce leni *d* leni uoce *b* uoce *l* uoce bene *HPΠ* uox bene P^2BC 4 est] sit *d* est bene *l* clamore **E** labore **M**l^1 conplentur *C* completur *reliqui* inter uallis *P* 5 conuenit *bd* conueniet lP^2 conueniat **M** recreator *H* arteria *H* latera l^1 6 acquiescunt *bd* in continuo clamore *HPBC* continuum clamorem $P^2ΠB^2C^2$**E** remittere *b* permittere *H* mittere $BCΠ^2$ omittere $PΠB^2C^2ld$ 8 uocis] nobis b^1 9 cautas uoces *H* debemus *om* **M** 10 uulnus **M***d* uulnerantur *bl* acuta C^2bl, *om d* hac cauta *H* hac acuta *PΠBC* ut tenuata *PB* acclamatione (aclamatione *l*) **E** 11 qui *HBl* quis *PΠC* si quis $P^2C^2B^2b$ si qui l^2d uno] a *b* uniuersus **E** uniuerso $H^2PΠB$ uniuersa *C om* H^1 13 conuenit in extrema *bl* ratione *H* arteria H^2P arterea H^1 14 conplentur *PBC* complentur *reliqui* 16 Quam] quae *HPB* qua oe *C* quia $P^2C^2Π$, *om* **E** 17 diximus *bd* seruandae *H* 18 attinent ad suauitudinem (suauitatem *b*) pronuntiationis **E** abstinen.ationis (*s. s. m*1 ti) *H* astinentiationis *PB* ostentatione fit *et similia* $P^2ΠB^2C$ 19 quod] quae *l* nostrae uocis H^1 uoci nostrae *b* possit *H* uoluntate **E** 20 audituris *PB* firmitudinem uocis **E** 21 causa est *H* 22 interuallo *H* inter ualla *P* adfirmant *H* easdem *H*

cinniores diuisione reddunt et auditori spatium cogitandi relinquunt. Conseruat uocem continui clamoris remissio: et auditorem quidem uarietas maxime delectat, cum sermone animum retinet aut exsuscitat clamore. Acuta exclamatio uocem uolnerat; eadem laedit auditorem: habet enim quiddam inliberale et ad muliebrem potius uociferationem quam ad uirilem dignitatem in dicendo adcommodatum. In extrema oratione continens uox remedio est uoci. Quid? haec eadem nonne animum uehementissime calefacit auditoris in totius conclusione causae?

Quoniam [res] igitur eadem uocis firmitudini et pronuntiationis suauitudini prosunt, de utraque re simul erit in praesentia dictum, de firmitudine, quae uisa sunt, de suauitudine, quae coniuncta fuerunt: cetera suo loco paulo post dicemus.

13 23 Mollitudo igitur uocis, quoniam omnis ad rhetoris praeceptionem pertinet, diligentius nobis consideranda est. Eam diuidimus in sermonem, contentionem, amplificationem.

Sermo est oratio remissa et finitima cotidianae locutioni.

Contentio ⟨*e*⟩s⟨*t*⟩ oratio acris et ad confirmandum et ad confutandum adcommodata.

Amplificatio est oratio, quae aut in iracundiam inducit aut ad misericordiam trahit auditoris animum.

Sermo diuiditur in partes qua*t*tuor: dignitatem, demonstrationem, narrationem, iocationem.

2 conseruat **E** cum ad rem **M** uocem *Π*E uoce *PB* uocet $P^2B^2\Pi C$ continua *H* **3** uarietas quidem auditorem *bl* sermonem **M** (ad sermonem *B*) **4** animum *HPB* animus *ΠC* animum eius **E** aut $P^2C^2\Pi$ an *HPB* et *C*E exuscitat *ld* suscitat *b* clamorem **M** accuta *H* **5** fauces et uocem **E** uolnerat *B* uoluerat *HP* uulnerat $P^2\Pi C$ (*in ras*) B^2E laedit auditorem $P^2\Pi C$E ledicreditorem *HPB* habet **E** quidem (quod emendat $P^2\Pi C$) uarietas haberet **M** **6** illiberale l^2d uociferationem potius *bl* **7** adcommodatum B^2C^1 accommodatum P^2C^2E adcommodatur *HPΠB* **9** calefecit *H* **11** res igitur *HPΠPl* igitur res *Cd* ergo res *b* eadem *HPbl* eaedem $P^2\Pi BCd$ **13** sunt de] sunt et de *PΠ*E suauitudine *PΠBC* suauitudini b^1 suauitate Hb^2ld **16** mullitudo *H* rhetoris *B* rethoris *reliqui* perceptionem *H* **20** contentio est ECP^2 contentio *BΠ* contentiosa HP^1 ratio HP^1 et a confirmandum H^1 **21** accommodata **E** **24** partes quatuor *d* partes .IIII. (*addito* or) **M** quatuor partes *bl*

Dignitas est oratio cum ali⟨*qu*⟩a grauitate ⟨et uocis remissione.

Demonstratio est oratio,⟩ quae docet ⟨remissa uoce⟩, quomodo quid fieri potuerit aut non potuerit.

Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio.

Iocatio est oratio, quae ex aliqua re risum pudentem et liberalem potest conparare.

Contentio diuiditur in continuationem et in distributionem.

Continuatio est ⟨orationis enuntiandae a*d*celeratio clamosa.

Distributio est in contentione⟩ oratio frequens cum raris et breuibus interuallis acri uociferatione.

Amplificatio diuiditur in cohortationem et conquestionem. 24

Cohortatio est oratio, quae aliquod peccatum amplificans auditorem ad iracundiam adducit.

Conquestio est oratio, quae incommodorum amplificatione animum auditoris ad misericordiam perducit.

Quoniam igitur mollitudo uocis in tres partes diuisa est, ⟨et⟩ eae partes ipsae sunt in octo partes alias distributae, harum octo partium, quae cuiusque idonea pronuntiatio sit, demonstrandum uidetur.

Sermo cum est in dignitate, plenis faucibus quam se- 14
datissuma et depressissuma uoce⟨*uti*⟩ conueniet; ita tamen, ut ne ab oratoria consuetudine ad tragicam transeamus. Cum autem est in demonstratione, uoce paulolum attenuata crebris interuallis et diuisionibus oportet ⟨*uti*,⟩ ut in ipsa

1 aliqua $P^2 B^2 \Pi C$ **E** alia *HPB* et uocis remissione demonstratio est oratio **E**, *om HPB* demonstratio est *ΠC* **3** remissa uoce *om* **M** **7** re risum] uerisum P^1 uerisimili $P^2 \Pi$ prudentem *d* impudentem $P^2 \Pi$ **8** comparare **E** **9** rursus diuiditur *d* **11** orationis—contentione *om* **M** acceleratio **13** com C^1 **15** coartationem *H* **16** cohartatio *H* **17** adducit $bl P^2 \Pi$ ducit *d* adcludit *HPBC* **21** et hae **E** heae *H* eae $P \Pi B^1 C$ hae B^2 *in ras* VIII *H* alia $P^1 B^1$ **24** sedatis suma *C* sedatis sūma *HP* sedatis summa *B* sedatissima $P^2 \Pi$ **E** **25** depressis suma *C* depressis sūma *HP* depressis summa *B* depressissima $P^2 \Pi$ **E** uti $P^2 BC$ **E**, *om* $HP\Pi$ **26** thraicam *l* trhaicam *b* **27** in demonstratione est *H* paulolum *H* paululum *reliqui* **28** oportet uti ut in *d* uti oportet ut in *b* oportet ut

pronuntiatione eas res, quas demonstrabimus, inserere atque insecare uideamur in animis auditorum. Cum autem est sermo in narratione, uocum uarietates opus sunt, ut, quo qui⟨*d*⟩que pacto gestum sit, ita narrare uideatur. Strenue quod uolumus ostendere factum: celeriuscule dicemus; at aliud otiose: retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, maest⟨*e*,⟩ hilare in omnes partes commutabimus ut uerba item pronuntiationem. Si qua inciderint in narrationem dicta, rogata, responsa, si quae admirationes, de quibus nos narrabimus, diligenter animum aduertemus, ut omnium per-
25 sonarum sensus atque animos uoce exprimamus. Sin erit sermo in iocatione, leuiter tremibunda uoce, cum parua significatione risus, sine ulla suspicione nimiae cachinnationis leniter oportebit ab sermone serio torquere ad liberalem iocum uocem.

Cum autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem aut per distributionem faciendum sit, in continuatione, adaucto mediocriter sono uoci⟨*s*,⟩ uerbis continuandis uocem

4 Priscian. GL II p. 104, 6: unde Cicero aduerbium celeriuscule protulit ad Herennium tertio [libro artis rhetoricae]: strenue quod uolumus ostendere factum celeriuscule dicemus

---

id *HPB* uti oportet ut *Cl* oportet uti ut *P*^{2}*Π* 1 res *om H* demonstrauimus **M** 2 insectare *b* intersecare *ldP*^{2}*B*^{2} 3 uocum uarietates opus sunt *HBC* uocum uarietates opossunt *P* uocum uarietates poni possunt *P*^{2}*Π* tum uocum uarietate opus est **E** 4 quidque *ΠCP*^{2}*B*^{2}*ld* quique *HPB* quicque *b* narrari *bl* uideamur *ld* 5 celeriuscule *P*^{2}*ΠC***E** celerius cele *PB* celerius *H* at *P*^{2}*C***E** ad *PΠB*, *om H* 6 otiosum *H* retardauimus (retardamus *P*^{1}) *HPB* acriter] erit *H* 7 meste hilare *P*^{2}*ΠC* maesthilare *HPB* maeste hilariter (bilariter *b*)**E** commutauimus *HPB* 8 item] *in ras P* ita *Π* Siqua *PB* inciderint] in eis ceciderint *H* 9 siquae *PB* admiserationes *bd* admissae rationes *l* 10 narrauimus *HPBl* animaduertemus *l* 11 animos *P*^{2}*ΠC***E** animus *HPB* exprimemus *b* sin erit *P*^{2}*Cd* si inerit *HPΠB* si erit *bl* 12 iocatione *C***E** locatione *PΠB* locutione *H* tremibunda *PBC* tremebunda *HP*^{2}*Π***E** 13 nulla *P*^{1} suspicione **E***B* suspitione *HPΠC* mimae *Gruterus: conf. Petron. 19* cachinnationis *P*^{2}*ΠCd* cachinationis *H* cacinnationis *PB* cahcinnationis *b* chachinnationis *B*^{2}*l* 14 leniter *P*^{2}*Π***E** lenissime *C* lenis iter *PB* lenis iterum *H* ab *PΠBCd* ad *H* a *bl* sermonis *H* seriem *H* torqueret *H* ad] ab *H*^{2} *om H*^{1} 15 iocum *C***E** locum *HPΠB* 16 id aut *P*^{2}*ΠC***E** ita ut *HPB* 17 sit **M** est **E** 18 adaucti *H* uocis *P*^{2}*ΠC***E** uoci *HPB*

quoque augere oportebit et torquere sonum et celeriter cum clamore uerba conficere, ut uim uolubilem orationis uociferatio consequi possit; in distributione uocis ab imis faucibus exclamationem quam clarissimam adhibere oportet et quantum spatii *in* singulas exclamationes sumpserimus, tantum in singula interualla spatii consumere iubemur.

In amplificationibus ⟨*cum*⟩ cohortatione utemur uoce atten⟨ua⟩tissima, clamore leni, sono aequabili, commutationibus ⟨crebris,⟩ maxima celeritate; in conquestione utemur uoce depressa, inclinato sono, crebris interuallis, longis spatiis, magnis commutationibus. De figura uocis satis dictum 15 est: nunc de corporis motu dicendum uidetur.

26 Motus est corporis gestus et uultus moderatio quaedam, quae pro⟨babiliora reddit ea, quae pro⟩nuntiantur. Conuenit igitur in uultu pudorem et acrimoniam esse, in gestu nec uenustatem conspiciendam nec turpitudinem esse, ne aut histriones aut operarii uideamur esse. Ad easdem igitur partes, in quas uox est distributa, motus quoque corporis ratio uidetur esse adcommodanda.

Nam si erit sermo cum dignitate, stantis in uestigio leui dexterae motu loqui oportebit, hilaritate, tristitia, mediocritate uultus ad sermonis sententias adcommodata. Sin erit in demonstratione sermo, paulolum corpus a cerui-

---

1 augere *Cbl* rugere HP^1B^1 iungere $P^2B^2\Pi$ adiungere *d* sonum et] sonum *H* cum clamore] conclamare *bl* **2** confingere *bl* **3** distributionem *HPB* uocis ab imis *C* uocis omissis *H* uocem omissis PBC^2 uocem ab imis $P^2\Pi B^2$E *fortasse* remissis faucibus exclamatione $P\Pi B^2C^2bl^2$ **4** clarissima $P^2C^2\Pi l^2$ **5** spatii in *Weidnerus* spatii *HPC* spatii per $P^2\Pi B$E **6** inter ualla *P* iubemur $HblC^2P^2\Pi$ iubemus *PBCd* **7** cum P^2BCE, *om* $HP\Pi$ cohartatione *H* utemur ut *HP* **8** attenuatissima *d* attentissima $P^2\Pi Cbl$ attentissime *HPB* leui *d* **9** crebris *om* M **10** uoce] uerba *H* inclinato $P^2\Pi C$E inclinatio *HPB* inclinatione H^2 soni *H* intel uallis *C* **13** castus *H* **14** probabiliora reddit ea quae pronuntiantur E pronuntiant $P\Pi$ pronuntiant risū *H* pronuntianti BP^2 pronuntianti conueniat *C* (P^2 *in marg*) **15** igitur *om b* inesse E **16** gestu nec E gestum et *HPB* gestu et $P^2\Pi C$ uetustatem *b* nec] et nec $P^2\Pi B^2$ esse *om* H^1 **17** uideamu H^1 **18** quas— esse *om H* qua PBC^1 **19** accommodanda P^2E commodanda *H* **20** si erit] series *H* si eri *P* stantis $HP\Pi B$ stantes *C*E **21** dextrae *d* tristitia $P^2B^2\Pi C$E tris uti ea *HP* tristi ea *B* **22** accommodata P^2CE **23** paulolum H^1 paululum *reliqui*

cibus demittemus: nam est hoc ⟨*a natura*⟩ datum, ut quam proxime tum ⟨*u*⟩ultum admoueamus ad auditores, si quam rem docere eos et uehementer instigare uelimus. Sin erit in narratione sermo, idem motus poterit idoneus esse, qui paulo ante demonstrabatur in dignitate. Sin in iocatione, uultu quandam debebimus hilaritatem significare sine commutatione gestus.

27 Sin contendemus per continuationem, brachio celeri, mobili uultu, acri aspectu utemur; sin contentio fiet per distributionem, porrectione *per*celeri brachii, inambulatione, pedis dexteri rara subplusione, acri et defixo aspectu uti oportet.

Sin utemur amplificatione per cohortationem, paulo tardiore et consideratiore gestu conueniet uti, simili*b*us ceteris rebus atque in contentione per continuationem. Sin utemur amplificatione per conquestionem, feminis plangore et capitis ictu, nonnumquam sedato et constanti gestu, maest⟨*o*⟩ et conturbato uultu uti oportebit.

Non sum nescius, quantum susceperim negotii, qui motus corporis exprimere uerbis et imitari scriptura conatus sim uoces. Verum nec hoc confisus sum posse fieri, ut de his rebus satis commode scribi posset, nec, si id fieri non posset, hoc, quod feci, fore inutile putabam, propterea quod

1 demittemus *PΠBC* dimittemus *H*E est hoc (hoc est *bl*) a natura datum E$P^2\Pi^2$ est hoc datum a natura *C* est hoc datum *HPΠB* **2** tum uultum $P^2\Pi$E tumultum *HP* uultum *BC* **5** si BC^1 in iocatione P^2CE inuocatione *HPΠB* **6** debemus hilaritatem *d* hilaritatem debebimus *bl* **7** genus *H* **9** contentio P^2CE continuatio *HPΠB* **10** porrectionem pro celeri *HP* porrectiore pro celeri $P^2\Pi$ porrectionem celeri *B* porrectione celeri (celeris *d*)E porrectione *C* porrectiore C^2 brachii *H*EP^2 brachio *PΠBC* **11** dextri P^2E subplusione *PB* supplusione *Hd* subplosione *C* subplausione $P^2\Pi B^2$ supplausione *bl* defixo aspectu *bd* defixo respectu $P^2\Pi Cl$ derisu respectu (respect H^1) *H* derixo respectu *PB* opotet *b* **12** utemu H^1 amplificationem F^1B coartatonem *H* **13** tardiorem *PB* consideratiorem gestam *H* uti] ut H^1 similibus *Leidensis 3 Veneta 1487* similius $P\Pi BH^2bd$ similis H^1l similiter in *C* **14** in *om H* **15** amplificationem P^1 feminis *HPΠ* femineo *BC*E **16** ictu] sic tu *HP* gestu maesto E$P^2\Pi B^2C^2$ gestum est *HP* gestu *BC* **17** conturbati *H* **18** quo P^1 **20** ne ΠC^1 **21** commode scire posset N̄ posset hoc satis commode scribi possit nec *H* **22** possit *H*

hic admonere uoluimus, quid oporteret: reliqua trademus exercitationi. Hoc ⟨tamen⟩ scire oportet, pronuntiationem bonam id perficere, ut res ex animo agi uideatur. Nunc ad 16 28 thesaurum inuentorum atque ad omnium partium rhetoricae custodem, memoriam, transeamus.

MEMORIA utrum habeat quiddam artificiosi, an omnis ab natura proficiscatur, aliud dicendi tempus ⟨magis⟩ idoneum dabitur. Nunc proinde atque constet in hac re multum ualere artem et praeceptionem, ita de ea re loquemur. Placet enim nobis esse artificium memoriae; quare placeat, alias ostendemus; in praesentia, cuiusmodi sit ea, aperiemus.

Sunt igitur duae memoriae: una naturalis, altera artificiosa. Naturalis est ea, quae nostris animis insita est et simul cum cogitatione nata; artificiosa est ea, quam confirmat inductio quaedam et ratio praeceptionis. Sed *qua* uia in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat et auget, item fit in hac re, ut nonnumquam naturalis memoria, si cui data est egregia, similis sit huic artificiosae, porro haec artificiosa naturae com- 29 moda retineat et amplificet ratione doctrinae; quapropter ⟨et⟩ naturalis memoria praeceptione confirmanda est, ut sit egregia, et haec, quae doctrina datur, indiget ingenii. Nec hoc magis aut minus in hac re, quam in ceteris artibus fit, ut ingenio doctrina, praeceptione natura nitescat. Quare et illis, qui natura memores sunt, utilis haec erit institutio, quod tute

---

1 ãmonere *H*E quid oporteret HB^2bl quod oportet *PΠC* quid oportet *Bd* liqua H^1 **2** tamen *om* M **3** ad id *C* proficere M a thesauro P^1B^1 ad thesauros *C* **4** inuenturum *H* ad *om C* rhetoricae *B* rethoricae *reliqui* **7** memoriam *PB* artificii E **8** ab] a HC^2 aliud *om b* magis *om* M **9** nunc] nu *H* constat *H* **10** et] atque *d* **11** memoriam E placeat alias $P^2\Pi C$E placere uos alias *H* placere alias uos *PB* **12** sit ea *C*E sit eas *HPB* seas Π^1 sint eas $P^2\Pi^2$ sit ea res *Kayserus* aperiamus *l* **15** simul cum cogitatione E sine mulcum concitatione *HP* sine multa concitatione $P^2\Pi BC$ **16** Sed] Et *b* qua uia] quia **18** item M ita E **20** similis sit] et ha c quae *H sed ω punctum* natura *H* **21** retineat et *Lambinus* retineret *HPB* retinet et $P^2\Pi C$E amplificet *HPB* amplificat $P^2\Pi C$E et *om* M **23** ne H^1 maius *H* **24** aut *om C* **25** natura nitescat] nitescat et natura *H* **26** memo H^1

paulo post poteris intellegere: et si ille*i*, freti ingenio, nostri non indigerent, tamen iusta causa daretur, quare iis, qui minus ingenii habent, adiumento uelimus esse. Nunc de artificiosa memoria loquemur.

Constat igitur a r t i f i c i o s a m e m o r i a locis et imaginibus. L o c o s appellamus eos, qui breuiter, perfecte, insignite aut natura aut manu sunt absoluti, ut eos faci⟨*l*⟩e naturali memoria conprehendere et amplecti queamus: ⟨*ut*⟩ aedes, intercolumnium, angulum, fornicem et alia, quae his similia sunt. I m a g i n e s sunt formae quaedam et notae et simulacra eius rei, quam meminisse uolumus: quod genus equi, leonis, aquilae ⟨memoriam⟩ si uolemus habere, imagines
30 eorum locis certis conlocare nos oportebit. Nunc, cuiusmodi locos inuenire et quo pacto reperire et in locis imagines constituere oporteat, ostendemus.

17 Quemadmodum igitur qui litteras sciunt, possunt id, quod dictatu*r*, eis scribere et recitare quod scripserunt, item qui n*e*mo*n*ica didicerunt, possunt, quod audierunt, in locis conlocare ⟨*et*⟩ ex his memoriter pronuntiare. Nam l o c i cerae aut cartae simillimi sunt, imagines litteris, dispositio et conlocatio imaginum scripturae, pronuntiatio lectioni.

Oportet igitur, si uolumus multa meminisse, multos nobis

---

1 post paulo *l* intelligere E ille H^1 illi *rcliqui* freto *H* nostri *bl* nostro *HPBΠ* nostra *C* nostra praeceptione *d* **2** indigent E quarei *H* iis *PΠBC* his *H*E **3** minus] mus PB^1 **4** loquamur *H* **5** locis et E ex locis M (et *add* $P^2 ΠB^2$) **6** apellamus *b* insigniter E **7** facile B^2CE facie *HPΠB* **8** comprehendere E ut aedes $P^2B^2 C$E hedera *HP* haedeaar *Π* aedes *B* **9** inter columnium *PBC* **10** quaedam E quae iam *HPΠ* quae etiam *C* iam *B* et *om* $P^1Π$ **11** simulachra *l* **12** leonis ldb^2 leones Mb^1 memoriam *om* M uolumus *l* **13** in locis *bd* conlocare nos B^2C, *P* (nos *in ras*) collocare nos *H Π* conlocare non *B* nos collocare *d* collocare *bl* oportebit nos *bl* cuius modi *B* **14** reperire *Hbl* repperire *PΠBCd* loco *H* **15** constituere *bd* continere M*l* **16** igitur *om b* literas *b* **17** dictatum M (b *in marg*) dictum E eis *H* ei *PB* est $P^2ΠB^2C$E item *HP* (*in ras*) *BC* ita *Π*E **18** qui mnemonica *Aldus* quinimmodica *P* qui inmodica *Hb* qui immodica *ΠBCld* didicerunt $P^2 ΠC$E deciderunt *PB* deciserunt *H* quod M ea quae E didicerunt *bd* **19** conlocare *PBC* collocare *HΠ*E et ex $P^2ΠB^2C$E ex *HPB* pronuntiare. Nam E pronuntiarent *HPB* pronuntiare $P^2ΠC$ **20** aut cartae HB^2CE, *P in ras m 2*, *om Π* aut certe *B* simillimae *H* **21** collocatio E **22** nobis locos *PΠBC*

locos conparare, uti multis locis multas imagines conlocare
possimus. Item putamus oportere ⟨ex ordine hos locos
habere,⟩ ne quando perturbatione ordinis inpediamur, quo
setius, quoto quoquo loco libebit, uel ab superiore uel ab
inferiore parte imagines sequi et ea, quae mandata locis
erunt, edere possimus: nam ut, si in ordine stantes notos 18
qu*o*mplures uiderimus, nihil nostra ⟨*inter*⟩sit, utrum ab
summo an ab imo an a⟨b⟩ medio nomina eorum dicere in-
cipiamus, item in locis ex ordine conlocatis *e*ueniet, ut in
quamlibe⟨bi⟩t partem quoque loco lubebit imaginibus com-
moniti dicere possimus id, quod locis mandauerimus: quare 31
placet et ex ordine locos conparare. Locos, quos sump-
seri⟨mu⟩s, egregie commeditari oportebit, ut perpetuo nobis
haerere possint: nam imagines, sicuti litterae, delentur, ubi
nihil utimur; loci, tamquam cera, remanere debent. Et,
ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quem-
que placet notari, quod genus, si in quinto loco manum
auream conlocemus, ⟨si⟩ in decumo aliquem notum, cui
praenomen sit Decumo; deinde facile erit inceps similis notas
quinto quoquo loco conlocare. Item commodius est in 19

---

19 Paul. Fest. p. 107, 12 inceps, deinceps

---

locos nobis *H* nos nobis locos **E** **1** conparare *HP* comparare *reliqui* uti] ut in *b* ut *d* multas *b*^{1} collocare **E** **2** putauimus *d* ex ordine hos (sit hos *l*) locos habere *om* **M** **3** nequando *P* inpediamur *HPC* impediamur *reliqui* **4** citius *H* quoto quoquo (quoq; *l*) loco **E** quoto quoq: *PΠ* quoto loco quoque *H* quoto quidq; *B* quoto quidq; loco *C* licebit *d* ab **M** a **E** **5** sequi] se *H* et *HPB* ut *ΠC*E **6** serunt *PB* edere **M** uidere et proferre **E** Nam ut si *ld* Nam ut *b* Nam (etiam *H*) et si **M** in *om d* **7** quamplures intersit *P*^{2}*ΠBC*E sit *HP* ab **M** a **E** **8** summo an **M** summo uel **E** ab medio *bl* a medio **M***d* **9** ita *d* collocatis *Π*E eueniet *Omnibonus*] ueniet in *om H* **10** quamlibet **M** quoque *HPΠBl*^{1} quoquo *C*E loco *om H* lubebit *H*^{2}*PB*E ludebit *H*^{1} libebit *P*^{2}*ΠCl*^{2} communiti *PB* communicatione *H* **11** dicere— ordine *om H* **12** conparare *HPB* comparare *reliqui* et locos *P*^{2}*B*^{2}*C*^{2}E sumpserimus *bl* sumpseris *PΠBCd* sumpserit *H* **13** commeditari **E** commoditer *HPB* commoditer notare *P*^{2}*ΠCB*^{2} **14** possit *H* imagine *H* secuti *P*^{1} literae *b* **16** neforte *P* ne *H*^{1} **18** collocemus **E** si in decimo **E** inde cum eo (ea *B*) **M** **19** decumo *d* decimo *bl* dedico **M** inceps *HPB* deinceps *P*^{2}*ΠB*^{2}*C*E similis *PΠBC* similes *H*E **20** quoquo **E** quoque **M** collocare **E**

derelicta, quam in celebri regione locos conparare, propterea quod frequentia et obambulatio hominum conturbat et infirmat imaginum notas, solitudo conseruat integras simulacrorum figuras. Praeterea dissimilis forma atque natura loci conparandi sunt, ut distincti interlucere possint: nam si qui multa intercolumnia sumpserit, conturbabitur similitudine, ut ignoret, quid in quoquo loco conlocarit. Et magnitudine modica et mediocris locos habere oportet: nam et praeter modum ampli uagas imagines reddunt et nimis angusti saepe non uidentur posse capere imaginum conlocatio-
32 nem. Tum nec nimis inlustris nec uehementer obscuros locos habere oportet, ne aut obcaecentur tenebris imagines aut splendore praefulgeant. Interualla locorum mediocria placet esse, fere paulo plus aut minus pedum tricenum: nam ut aspectus item cogitatio minus ualet, siue nimis procul remoueris siue uehementer prope admoueris id, quod oportet uideri.

Sed quamquam facile est ei, qui paulo plura ⟨no⟩uerit, quamuis multos et idoneos locos conparare, tamen si qui satis idoneos inuenire se non putabit, ipse sibi constituat quam uolet multos licebit. Cogitatio enim quamuis regionem

---

14 Priscian. GL II p. 307, 19 Cicero . . . idem ad Herennium libro III pedum tricenum, pro tricenorum

1 celebris *H* conparare *HPB* comparare *reliqui* **3** integras E integraui *HPB* integra ui $H^2 B^2 \Pi C$ **4** propterea *ld* dissimilis *HPB* dissimiles $P^2 \Pi C$ dissimili E **5** conparandi *HPC* comparandi *reliqui* distincte E inter lucere *HPBb* **6** inter columnia *P* similitudine locorum et ignorabit quid E **7** quoquo *b* quoque M*l* uno quoque *d* conlocarit *HPBC* collocarit *reliqui* **8** mediocris *PΠBC* mediocres *Hld* et me et mediocres *b* oportebit *d* **10** conlocationem *H* collocationem *reliqui* **11** inlustris *HBC* inlustres *PΠ* illustres E **12** haberi E oportebit *C* obcecantur *H* **13** inter ualla *P* **14** placet *ld* placent *b* ualet *HP* uallet *B* ualent $P^2 \Pi B^2 C$ aut minus M, *om l* minusue licet *d* licet *b* **15** ita *d* nimis] minus *H* **16** siue *om H* āmoueris *d* **18** ei $P^2 \Pi B^2 C$E et *HPB* plura nouerit *bl* plura nouerit et *d* plura uis et *ΠBC* plora uis et *P* explorauit et $P^2 \Pi C^2$ **19** quam uis *P* et *om* H^1 idoneos ad ista *b* conparare CP^2 comparare ΠB^2E comparat *ΠB* conparat *P* si quis satis *blC* si q̃ ad is *H* si quis ad is *P* si quis ad id *B* si quis ad ista $P^2 \Pi$ si quis ad ista satis *d* **20** putauit *HP* **21** quam uolet $P^2 \Pi B^2 C$E quam dolet *PB* quandolibet *H*

potest amplecti et in ea situm loci cuiusdam ad suum arbitrium fabricari et architectari. Quare licebit, si hac prompta copia contentei non erimus, nosmet ipsos nobis cogitatione nostra regionem constituere et idoneorum locorum commodissimam distinctionem conparare. De locis satis dictum est; nunc ad imaginum rationem transeamus.

20

Quoniam ergo rerum similes imagines esse oportet, 33 ex omnibus *rebus* nosmet nobis similitudines eligere debemus. Duplices igitur similitudines esse debent, unae rerum, alterae uerborum. Rerum similitudines exprimuntur, cum summatim ipsorum negotiorum imagines conparamus; uerborum similitudines constituuntur, cum unius cuiusque nominis et uocabuli memoria imagine notatur.

Rei totius memoriam saepe una nota et imagine simplici conprehendimus, hoc modo, ut si accusator dixerit ab reo hominem ueneno necatum et hereditatis causa factum arguerit et eius rei multos dixerit testes et conscios esse: si hoc primum, ut ad defendendum nobis expeditum ⟨sit,⟩ meminisse uolemus, in primo loco rei totius imaginem conformabimus: aegrotum in lecto cubantem faciemus ipsum illum, de quo agetur, si formam eius detinebimus; si eum non, at aliquem aegrotum ⟨*non*⟩ de minimo loco sumemus, ut cito in mentem uenire possit, et reum ad lectum eius adstituemus, dextera poculum, sinistra tabulas, medico testiculos arietinos tenentem. Hoc modo et testium et hereditatis et ueneno necati memoriam habere poterimus. Item 34

---

1 suum **M** usum commodum et *bl* suum commodum et *d* **3** contentio *HPB* contendi *b* contenti $P^2 \Pi C l d$ nosmet ipsos nobis] nobismet ipsis *d* **5** conparare *PC* comparare *reliqui* **7** ergo] omne *H* **8** et ex **E** rebus] uerbis nosmet *bl* Nā et *H* non (*uel* nom) et $P^1 B^1$ notas $P^2 B^2 C \Pi$ nosmet notas *d* **9** ergo *Π* una *Π* **10** altera *H* **11** conparamus *ΠPC* comparamus *reliqui* **12** nominis *bl* hominis **M***d* **13** memoriae imagini notantur *Π* **14** memoria *Π* **15** conprehendimus *HPC* comprehendimus *reliqui* **16** homine *H* hoc factum esse *d* **17** rem *H* **18** sit **E** est *C om HPΠB* **19** conformabimus **E** confirmabimus $P^2 \Pi C l^1$ confirmauimus *ΠPB* **20** cubantem in lecto *b* **22** at *C* ad *HP*, *om BΠ* agnouerimus **E** *conf. Varr. r. r. III 11, 1* non de minimo loco $P^2 B^2 C^2 \Pi$**E** de minimo aliquo *PBC* de minima aliquo *Π* **24** adstituemus *H* astituemus *PΠC***E** statuemus *B* dextra *l* dexter H^1 medico *BC***E** modicos *H* medicos *PΠ* **25** arietinus *b* **26** ueneno $P^2 \Pi C^2$**E**

deinceps cetera crimina ex ordine in locis ponemus; et, quotie⟨n⟩scumque rem meminisse uolemus, si formarum dispositione et imaginum diligenti notatione utemur, facile ea, quae uolemus, memoria consequemur.

21 Cum uerborum similitudines imaginibus exprimere uolemus, plus negotii suscipiemus et magis ingenium nostrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit (*TRF*² *p. 238*):

Iam domu*m* *i*tionem reges Atridae parant

*** in loco constituere manus ad caelum tollentem Domitium, cum a Regibus Marciis loris caedatur: hoc erit 'Iam domum *i*tionem reges'; in altero loco Aesopum et Cimbrum subornari, ut ad Ephigeniam, in Agamemnonem et Menelaum. Hoc erit 'Atridae parant'. Hoc modo omnia uerba erunt expressa. Sed haec imaginum conformatio tum ualet, si naturalem memoriam exsuscitauerimus hac notatione, ut uersu posito ipsi nobiscum primum transeamus bis aut ter eum uersum, deinde tum imaginibus uerba exprimamus. Hoc modo naturae subpeditabitur doctrina. Nam utraque altera separata minus erit firma, ita tamen, ut multo plus in doctrina atque arte praesidii sit. Quod docere non grauaremur, ne*i* metueremus, ne, cum ab instituto nostro recessissemus, minus commode seruaretur haec dilucida breuitas

35 praeceptionis. Nunc, quoniam solet accidere, ut imagines

ueneni *HPBC* **1** ponnemus *C*: *in PB* n *in ras* **2** quotiens cumque *b* quotienscunque ldC^3 quotiescumque **M** [dispositionem *PΠ* **4** dolemus P^1B^1 **6** suspiciemus *H* **8** domum itionem *librarius cod Bernensis 469 saec XIII in marg, Victorius* domu ultionem *l* domui ultionem *C* domi ultionem $HP\Pi BC^2l^2bd$ regis *Π* **9** In primo *Schuetzius* constituere *PΠB* construere *H* oportet constituere *bl* constituere oportet *Cd lacunam sic fere expleas:* Hunc uersum meminisse si uolemus conueniet primo **11** domū ultionem *l* domū ultiones *HPB* domi ultionem (ultiones *C*) $P^2\Pi Cbd$ regis *H* **12** ut ad **M** ut uel uagantem *bl* uagantem *d* in agamemnonem et *PΠB* in agamen non emit *Π* in agamen nomen et *C*, *om* **E** menelaum *om* **E** **13** erunt $P^2\Pi C$**E** erant *HPB* (erunt omnia uerba *b*) **14** confirmatio *PΠC* **15** exuscitauerimus *l* hac notatione $H\Pi B^2bl$ ac notatione *PB* annotatione P^2C hac annotatione *d* **17** tum **M** *Hertzius* cum **E** **18** natura *H* subpeditabitur *Π* suppeditabitur *PΠBC* subpeditabit *b* suppeditabit *ld* utraque **E** utramque *HPB* cum ex utraque (utramque C^1) $P^2\Pi C$ **19** separata **E** est parata **M** minus] nimis *b* maius *C* firma erit *d* **20** praesid H^1 **21** nec **M** ni C^2**E** neccum *H* mecum P^1

partim firmae et *a*cres et ad monendum idoneae sint, partim inbecillae et infirmae, quae uix memoriam possint excitare, qua de causa utrumque fiat, considerandum est, ut cognita causa, quas uitemus et quas sequamur imagines, scire possimus.

Docet igitur nos ipsa natura, quid oporteat fieri. Nam 22
si quas res in uita uidemus paruas, usitatas, cottidianas, meminisse non solemus propterea quod nulla noua nec admirabili re commouetur animus: at si quid uidemus aut audimus egregie turpe, ⟨in⟩honestum, inusitatum, magnum, incredibile, ridiculum, id diu meminisse consueuimus. ⟨Itaque quas res ante ora uidemus⟩ aut audimus, obliuiscimur plerumque; quae acciderunt in pueritia, meminimus optime saepe; nec hoc alia de causa potest accidere, nisi quod usitatae res facile e memoria elabuntur, insignes et nouae diutius ⟨*manent* in animo. Solis⟩ exortus, cursus, occasus nemo 36
admiratur, propterea quia cottidie fiunt; at eclipsis solis mirantur, quia raro accidunt, et solis eclipsis magis mirantur quam lunae, propterea quod haec crebriores sunt. Docet ergo se natura uulgari et usitata re non exsuscitari, noui-

---

1 partium *Π* firmae et acres *Lambinus* firmae et hae res *HB* firmae — partim *om* P^1*Π add* P^2 *marg* firmae P^2C**E** firmae et haerentes *Brutus* **2** inbecillae **M** imbecilles *ld* imbecillis *b* possit P^1 **3** qua] quae *H* **4** uitemus] uitem utet *H* **5** possit *H* **6** docte *H* **7** parua suscitatas *H* cottidianas *H* cotidianas *PΠBCd* cotidianas eas *bl* **8** noua nec *HPΠB* noua re nec *C* nisi noua aut *bl* re nisi noua aut *d* admirabili re HP^2Bbl admirabili *ΠCd* admirabile *P* **9** at] aut *H* **10** inhonestum] in hõies.tum *b* aut honestum **M** aut honestum in hominestum *l* aut honestum in hõies *d* inusitatum **M***d* inauditum *bl* **11** ridiculum **M** periculosum **E** ridiculosum *Vossianus 2* Itaque — uidemus, *om* **M** **12** aut audimus **E** aut audiuimus *HB* ///////audiuimus P^1 (aut *rasa?*) ut (At *C*) quod recens audiuimus $P^2ΠCB^2$ **13** obtime *PBC* **14** accedere *PB* inusitatae *H* **15** e memoria elabuntur *PΠCd* memoria elabuntur *Bl* memoria elabimur *b* e memoria labuntur *H* diutius manent in animo. (in animo manent diutius. *d* diutius in animo manent. *l*) solis exortus (exortus solis *d*) **E** diutius. exortus *HPB* diutius manent. exortus $P^2ΠB^2C$ **16** occasus *om b* **17** cottidie *H* cotidie *reliqui* at P^2C**E** et *Π* ut *HPB* eclipsis *Πbd* eclypsis *HBCl* aeglypsis *P* **18** acidunt *H* eclipsis *dΠ* eclipses *b* eclypsis *HBl* aeglypsis *P* aeclypsis *C* mirandus *H* **19** quod **M***d* quoniam *bl* haec crebriores *l* hae crebriores P^2BCbd hae///res breuiores *H* horae breuiores *Π*////////breuiores *P* (*quid in ras fuerit incertum*) **20** igitur *l* exuscitari *l*

tate et insigni quodam negotio commoueri. Imitetur ars igitur naturam et, quod ea desiderat, inueniat, quod ostendit, sequatur. Nihil est enim, quod aut natura extremum inuenerit aut doctrina primum; sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, exitus disciplina conparantur.

37 Imagines igitur nos in eo genere constituere oportebit, quod genus in memoria diutissime potest ha*e*re*r*e. I⟨d⟩ accidet, si quam maxime not⟨at⟩as similitudines constituemus; si non multas nec uagas, sed aliquid agentes imagines ponemus; si egregiam pulcritudinem aut unicam turpitudinem eis adtribuemus; si aliquas exornabimus, ut si coronis aut ueste purpurea, quo nobis notatior sit similitudo; aut si qua re deformabimus, ut si cruentam aut caeno oblitam aut rubrica delibutam inducamus, quo magis insignita sit forma, aut ridiculas res aliquas imaginibus adtribuamus: nam ea res quoque faciet, ut facilius meminisse ualeamus. Nam, quas res ⟨ueras⟩ facile ⟨*me*⟩min⟨er*im*⟩us, easdem fictas et diligenter notatas meminisse non difficile est. Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quo⟨*s*⟩que locos imaginum renouandarum causa celeriter animo peruagemus.

23
38 Scio plerosque Graecos, qui de memoria scripserunt, fecisse, ut multorum uerborum imagines conscriberent, uti,

1 imitetur **E** $P^2 \Pi C$ emitetur *PB* emittetur *H* igitur ars *bl* 2 naturae *H* quae *bl* desiderat Π**E** desideratio *HPC* desiderato *B* 3 se ·IIII· (or) *H* est enim *H* enim est *reliqui* 4 sed **M***d* quia *bl* 5 exitus] et exitus **E** exeius *HP* et eius *B* et ex eius $P^2 C$ et ex eis Π comparantur **E** 6 images *H* eo ordine genere *H* 7 in $HPB\Pi$ manere in $P^2 Cbl$ haberi in *d* haerere. Id *Maduigius* Id **E** haec res ei **M** 8 accidit *H* notatas **E** notas **M** 9 mutas *Aldus* 10 pulcritudinem *H* pulchritudinem *reliqui* tunicam $P^1 B$ 11 attribuemus **E** aliquas **M** aliquas res *l* aliquam rem *bd* aliqua re *Aldus* exornauimus *HPB* aut] et *bl* 12 notior *C***E** qua re *HPB* quam rem **E**$C\Pi P^2$ 13 deformabimus $P^2 \Pi Cd$ deformabimus turpem *bl* deformauimus *HPB* 14 rubricam dilibutam *H* 15 au H^1 aut si **E** attribuemus **E** 16 ualeamus *H* possimus *reliqui* 17 ueras *om* **M** meminerimus *bl* minus *HP* meminimus $P^2 \Pi BCd$ fictas **E**$P^2 B^2 C^2$ factas **M** 18 minisse H^1 dificile *H* 19 facere $P^2 \Pi$**E** facile *HPBC* idem *H* quosque *C***E** quoque $HP\Pi B$ 20 celebriter *H* percurramus *d* 21 Scio] Scipio $P^1 \Pi$ 22 ut] ait $P^1 \Pi$ uti qui (quae *H*) ediscere $HP\Pi Cbl$ utii quediscere *B* uti eas qui ediscere *d*

qui ediscere uellent, paratas haberent, ne quid in quaerendo consumerent operae. Quorum rationem aliquot de causis inprobamus: primum, quod in uerborum innumerabili multitudine ridiculum mille uerborum imagines conparare. Quantulum enim poterunt haec ualere, cum ex ⟨*in*⟩finita uerborum copia modo aliud modo aliud nos uerbum meminisse oportebit? Deinde *quo*r uolumus ab industria quemquam remouere, ut ne quid ipse quaerat, nos illi omnia parata atque quaesita tradamus? Praeterea similitudine alia alius magis commouetur. Nam ut saepe, formam si quam similem cuipiam dixerimus esse, non omnes habemus adsensores, quod alii uidetur aliud, item fit ⟨in⟩ imaginibus, ut, quae nobis diligenter nota*ta* sit, ea parum uideatur insignis aliis. Quare sibi quemque suo commodo conuenit imagines conparare. 39 Postremo praeceptoris est docere, quemadmodum quaeri quidque conueniat, et unum aliquod aut alterum, non omnia, quae eius generis erunt, exempli causa subicere, quo res possit esse dilucidior: ⟨ut⟩ quo*m* de prohemiis quaerendis disputamus, rationem damus quaerendi, non mille prohemiorum ⟨genera conscribimus, item arbitramur⟩ de imaginibus fieri conuenire.

Nunc, ne forte uerborum memoriam aut nimis difficilem 24

1 nequid *P* in quaerendo *PΠBCd* inquirendo *Hbl* 2 aliquod *PB* aliquid *H* inprobamus *HPC* improbamus *reliqui* 3 in *PΠBC*, *om H*E innumerabilium **M** multitudini *b* 4 ridiculum *H* ridiculum sit *PΠBC* est ridiculum *b* ridiculum est *ld* mille uerborum *om* E conparare *HPC* comparare *reliqui* 5 haec poterunt *bl* infinita $P^2B^2C^2bd$ finita **M***l* 6 modo aliud *om H* uerborum *b* 7 quor] cor *PB* cum $P^2Π$ cur HB^2CE ab] de *H* 8 nequid BP^2 nequit P^1 neq; *H* nos *HPΠB* cum nos P^2B^2CE 9 atque quaesita *BC* quaeq: sita *H* quaesita *P* quaesitaque $P^2Π$E *Lucr.* V 5 praeterea cum *bl* alius alia *bl* 10 magis *om* H^1 commoueatur *bl* si *om bl* 11 adsenatores *B* assentatores *bl* assensores *d* 12 idem l^2d in *ld om* **M***b* 13 notata sit *Orellius* nota sit **M** notae sint E notatae sint *Ernestius* ea $P^2ΠC$ eam *HPB* ee *bl* hae *d* uideantur insignes E 14 conparare *HPC* comparare *reliqui* 15 praeceptoris] doctoris b^1 16 aliquod **M** aliquid *d* aliud aliquod *bl* 18 dilucior H^1 ut cum *bl* quemadmodum cum *d Kayserus* quod **M** prohemiis *PΠBC* proemiis C^2E praemiis *H* 19 ratione *H* prohemiorum *PΠBC* proemiorum C^2E premiorum *H* 20 genera — arbitramur *om* **M** item *b* idem *d* id *l* arbitramur *om d* de *om C* imagines *C* 21 fieri arbitramur *d* 22 dificilem *H*

aut parum utilem arbitrere, *rerum* ipsarum memoria contentus sis, quod et utilior *sit* et plus habea*t* facultatis, admonendus es, quare uerborum memoriam ⟨non⟩ inprobemus. Nam putamus oportere eos, qui uelint res faciliores sine labore et molestia facere, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos. Nec nos hanc uerborum memoriam inducimus, ⟨ut uersus meminisse possimus,⟩ sed ut hac exercitatione illa rerum memoria, quae pertinet ad utilitatem, confirmetur, ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illam facul-
40 tatem transire possimus. Sed cum in omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa adsiduitate exercitationis, tum uero in nemonicis minimum ualet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia conprobatur. Quam plurimos locos ut habeas et quam maxime ad praecepta adcommodatos curare poteris; in imaginibus conlocandis exerceri cotidie conuenit. Non enim, sicut a ceteris studiis abducimur nonnumquam occupatione, item ab hac re nos potest causa deducere aliqua. Numquam est enim, quin aliquid memoriae tradere uelimus et tum maxime, cum aliquo maiore negotio detinemur. Quare, cum sit utile facile meminisse, non te fallit, quod tantopere utile sit, quanto labore sit adpetendum: ⟨quod⟩ poteris existimare utilitate cognita.

---

1 arbitrere rerum] arbitrere et *bl* arbitreris *d* arbitremur **M** (arbitremur ut *Π*) memoria *Π* memoriam *HP* rerum memoriam *B* memoria rerum P^2C**E** **2** sis] sit *H* quod *P in ras* q̄ *Π* utilior sit *Schuetzius* utilior esset *H* utiliora sint *P* utiliores sint $P^2\Pi BC$**E** habeat *Schuetzius*] habeant facultatis *HPBC* facilitatis $P^2\Pi B^2C^2$**E** ām̄onendus *d ut semper similia* **3** memoriam uerborum *Hd* non improbemus **E** inprobemus **M** (non *add* B^2C^2) **5** labore] dolorū *H* facere *Πbl* facile *HP* (ile *in ras*) facile meminisse P^2Cd facile retinere *B* dificilioribus *H* **7** ut — possimus *om* **M** haec *H* **9** facultatem *HPBC* facilitatem $P^2\Pi B^2$**E** **10** posimus H^1 **11** assiduitate **E** **12** nemonicis *HPΠB* memoriis P^2C**E** mnemonicis *Aldus* **13** conprobatur *HPΠB* conprobetur B^2C comprobetur **E** **15** accommodatos **E** poteris **M** debebis **E**P^2 in *om* P^1C^1 collocandis P^2**E** **16** cotidie conuenit exerceri *bl* a **M** in **E** **17** occupationem *HPB* item $HBCP^2$ ita *PΠ***E** **18** quin] qui in *H* **19** tum] dum *H* cum *Π* aliqua P^1B^1 **20** cum] quam *Maduigius* **21** tantope *H* **22** adpetendum *HPC* apetendum *b* appetendum *reliqui* quod **E** et *C*, *om* *HPΠB* *Maduigius* *post* cognita *distinguunt codd*, *post* existimare *Maduigius*

Pluribus uerbis ad eam te hortari non est sententia, ne aut ⟨*t*⟩uo studio diffisi aut minus, quam res postulat, dixisse uideamur. De quinta parte rhetoricae deinceps dicemus: tu primas quasque partes in animo frequenta et, quod maxime necesse est, exercitatione confirma.

---

1 adhortari **M** 2 tuo *BC*E uos *HP* uestro *P*[2]*Π* diffisi studio *b* res] ex *H* 3 rhetoricae *B* rethoricae *reliqui* dicamus *b* 5 confirma] *in PB sequitur:* M TULLI CICERONIS AD HERENNIU LIBER (LIB̃ *B*) III EXPLICIT (EXPLC̃ *B*) INCIPIT LIBER IIII. *in H:* MARTII TULLII CECERONIS AD HERENIU LIB IIII. incp̄ — in *l*: Explic̄ lib̄. III. ad Her̄ Incipit .IIII. — *in Π*: M. T. Cic̄ ad Her̄ liber III de reth. expl incip̄ lib. IIII *in reliquis spatium*

[M. TULLI CICERONIS

AD HERENNIUM]

LIBER QUARTUS.

1
1 Quoniam in hoc libro, Herenni, de ELOCUTIONE conscripsimus et, quibus in rebus opus fuit exemplis uti, nostris exemplis usi sumus et id fecimus praeter consuetudinem Graecorum, qui de hac re scripserunt, necessario faciendum est, ut paucis rationem nostri consilii demus. Atque hoc necessitudine facere, non studio, satis erit signi, quod in superioribus libris nihil neque ante rem neque praeter rem locuti sumus. Nunc, si pauca, quae res postulat, dixerimus, tibi id, quod reliquum est artis, ita ut⟨i⟩ instituimus, persoluemus. Sed facilius nostram rationem intelleges, si prius, quid illi dicant, cognoueris.

Compluribus de causis putant oportere, cum ipsi praeceperint, quo pacto oporteat ornare elocutionem, unius cuiusque generis ab oratore aut poëta probato sumptum ponere exemplum.

Et primum se id m o d e s t i a commotos facere dicunt, propterea quod uideatur esse ostentatio quaedam non satis habere praecipere de artificio, sed etiam ipso⟨*s*⟩ uideri uelle

---

1 Herennii *l* scripsimus *H* **2** et] ex *H* uti — exemplis *om b*, uti nostris *add in margine* b^1 **3** uti b^1 id *om* l^1 praeter $P^2ΠC$E praeterea *HPB* **4** faciundum $P^2ΠBC$ **5** haec *l* **6** necessitudine *H* nos necessitudine *PΠBCd* necessitudine nos *bl* **7** lib *Π* nihil *om b* **8** quaeris *H* **9** uti **E** ut **M** **10** nostrae *H* intelleges *ΠC* intelliges *PΠBld* intelligas *b* **12** Cumpluribus *HPΠB* **16** molestia b^1 **17** proterea $Π^1$ **18** praecipio *Π* ipsos $P^2B^2ΠC$E ipso *HPB*

artificiose gignere exempla: hoc est, inquiunt, ostentare se, non ostendere artem. Quare pudor in primis est ad eam 2
rem inpedimento, ut ne nos solos probare, nos amare, ⟨alios contemnere et deridere⟩ uideamur. Etenim cum possimus ab Ennio sumere aut a Graeco ponere exemplum, uidetur esse adrogantia illa relinquere, ad sua deuenire.

Praeterea exempla testimoniorum locum optinent. ⟨Id⟩ enim, quod admonuerit et leuiter fecerit praeceptio, exemplo sicut testimonio conprobatur. Non igitur ridiculus sit, si quis in lite aut in iudicio domesticis ⟨testimoniis⟩ pugnet? Ut enim testimonium, sic exemplum rei confirmandae causa sumitur. Non ergo oportet hoc nisi a probatissimo sumi, ne, quod aliud confirmare debeat, egeat ipsum confirmationis. Etenim necesse est aut se omnibus anteponant et sua maxime probent aut ⟨negent optima esse exempla quae a⟩ probatissimis ⟨oratoribus aut poetis⟩ sumpta sint. Si se omnibus anteponant, ⟨intolerabili a*d*rogantia sunt; si quos sibi praeponant et eorum exempla suis exemplis non putant praestare, non possunt dicere, quare sibi illos anteponant.⟩ Quid? ipsa auctoritas antiquorum non 2
cum res probabiliores tum hominum studia ad imitandum alacriora reddit? Immo erigit omnium cupiditates et acuit

---

1 inquiunt P^2CE inquoeunt *HB*, *in P lectio funditus erasa* inchoent *Π* **2** artem ostendere *bl* quā rē *Π* **3** inpedimento *HPC* impedimento *reliqui* ut ne nos] ne ut nos *PBC* ne ut nos et *Π* ne nos $P^2\Pi bd$ ne sibi nos *l* nos] non nos *l* nosq; solos *d* alios contemnere et deridere *om* **M** **4** uideatur *Π* **5** sumptum *C* a gracco **E** gracco *Π* a graccho *PΠBC* **6** arrogantia P^2Cbd arrogantiae *l* ad **M** et ad P^2B^2**E** **7** propterea *Hb* optinent *PΠBCbd* obtinent *Πl* **8** Id enim **E** enim *HBC* etenim P^2B^2 cum *Π*: *in P uetusta lectio funditus erasa* ãmonuerit *bd* leue *C* legerit *d* praecepto *Π in P* io *in ras* **9** conprobatur *PBC* comprobatur *reliqui* ridiculosus l^2, *om* l^1 **10** domesticis testimoniis **E** domestico **M** (co *in P in ras*) **11** firmandae *Π* **12** a] ap *b* **13** firmare H^1 **14** id ipsum **E** affirmatione *ld* **15** ante ponant *Hb* negent optima esse exempla quae a **E** si alia *HPB* si alia a $P^2B^2\Pi$ si alia probant a *C* **16** oratoribus aut (aut a *b*) poetis **E** *om* **M** **17** ante ponant *Bb* intolerabili — anteponant *om* **M** *post* ante ponant *uerba* et sua maxime *del b* arrogantia **18** et *om l* **19** non putant praestare *bl* praestare non putent *d* **20** illos sibi *d* ante ponant *b* Quid igitur **E** non *HPBC* nam $P^2B^2C^2\Pi$**E** **21** aut ad b^1 a H^1 imitandum **E** mittantdum *HPB* mittit dum *Π* mittantur dum *C*

industriam, cum spes iniecta est posse imitando Gracci aut Crassi consequi facultatem.

3 Postremo hoc ipsum summum est a r t i f i c i u m res uarias et dispares in tot poëmatis et orationibus sparsas et uage disiectas ita diligenter eligere, ut unum quo⟨*d*⟩que genus exemplorum sub singulos artis locos subicere possis. Hoc si industria solum fieri posse⟨*t*⟩, tamen essemus laudandi, cum talem laborem non fugissemus; nunc sine summo artificio non potest fieri. Quis est enim, qui, non summe cum tenet artem, possit ea, quae iubeat ars, de tanta et tam diffusa scriptura notare et separare? Ceteri, cum legunt orationes bonas aut poëmata, probant oratores et poëtas neque intellegunt, qua re commoti probent, quod scire non possunt, ubi sit nec quid sit nec quo modo factum sit id, quod eos maxime delectet; ⟨at⟩ is, qui et haec omnia intellegit et idonea maxime eligit et omnia in arte maxime scribenda redigit in singulas rationes praeceptionis, necesse est eius rei summus artifex sit. Hoc igitur ipsum maximum artificium est in *a*rte sua posse et alienis exemplis uti.

4 Haec illi cum dicunt, magis nos auctoritate ⟨sua commouent quam ueritate⟩ disputationis. Illud enim ueremur, ne cui satis sit ad contrariam rationem probandam, quod ab ea steterint *i*i, qui et inuentores huius artificii fuerint et

1 Priscian. GL II p. 381, 1 Orbilius: quae uix ab hominibus consequi possunt

1 emitando *HPB* gracci *H*E grachi *P* gracchi $P^2\Pi BC$ 2 grassi *Π* 4 poematibus **E** 5 it ac *H* quodque $P^2\Pi C$E quoque *HPB* 7 posset $P^2\Pi Cd$ posse *HPB* possit *bl* 8 fuissemus H^1 9 enim est *l* non summe cum **E** (cum *om d*) non cum summe **M** teneret *bl* 10 iubebat *b* 11 sperari H^1 seperari H^2 12 probant *BC*E probat *H* probata *PΠ* nec *bl* intellegant *H* intelligunt *reliqui* 13 qua re] quod *b* 14 nec quid HBC^2d ne quid *PΠC* aut quid *bl* nec **M** aut *bl* uel *d* id *om d* es H^1 15 at **E**, *om* **M** intellegit *H* intelligit *reliqui* 16 idoneam *P* ///elegit *H* arte $P^2\Pi BCd$ artem *HPbl* maxime *H*E maxima *PΠBC* scribendo $P^1\Pi$ 17 rationis *Cl* praeceptionis *B*E praeceptiones $P\Pi Cl^2$ perceptiones *H* 18 igitur *om H* ipsum *om* H^1 19 arte *Omnibonus*] parte 20 nos **E** (nos sua *d*) noua **M** sua (*om d*) commouent quam ueritate **E**, *om* **M** 23 ea *PΠBC* ea parte **E** eis *H* ii *Aldus*] hi qui et *H*E et qui *PΠBC* inuentorum *H* fuit *H*

uetustate iam satis omnibus probati sint. Quodsi, illorum
auctoritate remota, res omnes uolent cum re conparare, in-
tellegent non omnia concedenda esse antiquitati.

Primum igitur, quod ab eis de modestia dicitur, uidea- 3
mus, ⟨*ne*⟩ nimium pueriliter proferatur. Nam si tacere ⟨*a*⟩ut
nil scribere modestia est, cur quicquam scribunt aut locun-
tur? Sin aliquid suum scribunt, cur, quo setius omnia scri-
bant, inpediuntur modestia? Quasi si quis Olympia cum
uenerit cursum et steterit, ut mittatur, inpudentis dicat esse
illos, qui currere coeperint, ipse intra carcerem stet et narret
aliis, quomodo Ladas aut † bouiscum sisonius cursitarint,
sic isti, cum in artis curriculum descenderunt, illos, qui in
eo, quod est artificii, elaborent, aiunt facere inmodeste, ipsi
aliquem antiquum oratorem aut poëtam laudant aut scriptu-
ram, in stadium rhetoricae prodire non audent. Non ausim 5
dicere, sed tamen uereor, ne, qua in re laudem modestiae
uenentur, in ea ipsa re sint inpudentes. 'Quid enim' tibi
uis?' aliquis inquiat. 'Artem tuam scribis; gignis nouas

---

17 Priscian. GL II p. 495, 19 Cicero . . . idem in IIII ad Herennium: Quid enim tibi uis? aliquis inquiat. ex quo apparet secundum analogiam inquiam quoque debere dici

---

1 quod H^1 2 conparare *HPC* comparare *reliqui* intellegent *H* intelligent *reliqui* 4 ab eis quod *bl* uideamus ne $P^2B^2\Pi C$**E** uidemus *HB* uideamus $P\Pi^2$ 5 pueriliter **M** inutiliter et pueriliter **E** aut P^2B^2C**E** ut *HPΠB* 6 nil *HPΠd* nihil *BC* nichil *bl* adscribunt *H* aut scribunt *Weidnerus* locuntur *HPCbd* loquuntur *ΠBl* 7 Sin] in *H* scribunt HP^1 8 inpediuntur *H* impediuntur *reliqui* olympia *PΠB* olimpia *H* ad olympia P^2B^2Cd ad olimpia *bl* cum *HC***E** con *PB* c̄ *Π* 9 sterit *H* omittatur **E** inpudentis *HP* impudentis *ΠB* inpudentes *C* impudentes **E** 10 currere $P^2B^2\Pi C$**E** curare *HPB* ipsa *H* maret *HP* narret $P^2\Pi BC$**E** 11 ladas aut P^2ld laudas aut *Bb* lau/// aut *P* laudas cū *H* ledas aut *C* bouis cum sisonius (sisoniis *C*)**M** boiscum sisoniis *d* boyscū sisonis *l* loris cū sisonis *b* Boiscus Sicyonius *Turnebus* Boeotus Sicyonius *Kayserus* Boius cum Sicyoniis *Gronouius: fortasse* Boiscus Isthmiis 12 cum isti *b* discenderunt *H* quid *H* 13 eos *HPB* aiunt *BC***E** adiunt *H* adiciunt *P* adiciut *Π* immodeste **E** 15 in *H* sicuti in *bd* sicut in *PΠBCl* stadium *bl* studium **M***d* rhetoricae *B* rethoricae *PΠC* redthoricae *H* rethoricae artis **E** audent H^2PBC audeant $P^2C^2\Pi$**E** audient H^1 17 impudentes **E** 18 uis tibi *bl* inquiat *Priscianus* $P^2\Pi$ inqui/// *P* inqua *B* inquit *C* inquid *H* inquiet **E** artem **E** partem **M**

nobis praeceptiones; eas ipse confirmare non potes; ab aliis exempla sumis. Vide ne facias inpudenter, qui tuo nomine*i* uelis ex aliorum laboribus libare laudem.' Nam si eorum uolumina prenderint a⟨*n*⟩t⟨*i*⟩qui oratores et poëtae et suum quisque de libris suis tulerit, nihil istis, quod suum uelint, relinquatur.

'At exempla, quoniam testimoniorum similia sunt, item conuenit ut testimonia ab hominibus probatissimis sumi.' Primum omnium exempla ponuntur nec confirmandi neque testificandi causa, sed demonstrandi. Non enim, cum dicimus esse exornationem, quae uerbi causa constet ex similiter desinentibus uerbis et su*m*imus hoc exemplum a Crasso (*ORF*[2] *p. 300*): 'quibus possumus et debemus' testimonium conlocamus, sed exemplum. Hoc interest igitur inter testimonium et exemplum: exemplo demonstratur id, quod dicimus, cuiusmodi sit; testimonio, esse illud ita, ut nos dicimus, con-
6 firmatur. Praeterea oportet testimonium ⟨cum re conuenire; aliter enim rem non potest confirmare. At id,⟩ quod illi faciunt, quo*m* re non conuenit. Qui⟨d⟩ ita? Quia pollicentur artem scribere, exempla proferunt ab *i*is plerumque,

13 Cic. de or. I 52, 225 *adfert Crassi uerba:* . . . nolite sinere nos cuiquam seruire nisi uobis uniuersis quibus et possumus et debemus

1 firmare *H* potest *HB* 2 impudenter E nomine *HPB* nomini *reliqui* 3 libare laudem $P^2B^2C^2$E librare laudem *Π* libera laudem *C* libere laudem *B* liberare audem *HP* Nam *om H* 4 uolumina] nomina uolumina *Π* prenderint *PΠBCH*[2] prenderent *Π* prehenderint *b* prendiderint *ld* antiqui $P^2Π$E atqui *ΠP* aliqui *BC* 5 suis C^2E suus *C* tuis *HPΠB* 6 relinquatur *ΠPB* relinquactur *C* relinquetur $P^2B^2Π$E 7 At $P^2B^2C^2$E Ad *PΠBC* Et *H* testimoniorum tuorum *H* 8 testimonio *H* omnibus *H* 9 nec confirmandi *Π* hic non firmandi *HB* hic (*in ras*) confirmandi *P* hic non confirmandi P^2CE 11 exornationum *H* 12 et sumimus] et posuimus *PΠbl* exposuimus *HB* et ponimus P^2Cd 13 quibus *HPB* quod $P^2B^2CΠ$E possimus *b* 14 collocamus *Π*E inter est *P*, *om b* igitur interest *l* exemplum et testimonium *bl* 15 quod exemplo *d* exemplos *B* 16 cuius modi *P* 17 cum re — At id *om* M *archetypus habuit* quom *uel* quod 19 cum re non (non re *b*) E quod re non *PΠB* quod rei non *HC* Quid E qui M Quia *om H* quia qui *b* 20 artem] artem se *bl* se artem se *PΠB* se artem *HCd* exemplo *H* et exempla P^2CE iis *Aldus*] his

qui artem nescierunt. Tum quis est, qui possit id, quod de arte scripserit, conprobare, nisi aliquid scribat ex arte? Contraque faciunt, quam polliceri uidentur. Nam cum scribere artem instituunt, uidentur dicere se excogitasse, quod alios doceant; cum scribunt, ostendunt nobis, ali quid excogitarint.

'⟨At⟩ hoc ipsum difficile est,' inquiunt, 'eligere de 4
multis.' Quid dicitis difficile, utrum laboriosum an artificiosum? Laboriosum non statim praeclarum. Sunt enim multa laboriosa, quae si faciatis, non continuo gloriemini; nisi etiam, si uestra manu fabulas aut orationes totas transscripsissetis, gloriosum putaretis. Sin istud artificiosum egregi⟨*um*⟩ dicitis, uidete ne insueti rerum maiorum uideamini, si uos parua res sicuti magna delectabit. Nam isto modo selegere rudis quidem nemo potest, sed sine summo artificio multi. Quisquis enim audiuit de arte paulo plus, 7
in elocutione praesertim, omnia uidere poterit, quae ⟨ex⟩ arte dicentur, facere nemo poterit nisi eruditus. Ita ut, si ⟨Ennii⟩ de tragoediis uelis sententias eligere aut de Pacuuianis nuntios, sed quia plane rudis id facere nemo poterit,

1 Cic. de inu. I 6, 8 *de Hermagora:* uerum oratori minimum est de arte loqui quod hic fecit: multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse omnes uidemus

1 tunc *H* 2 comprobare E exerte *H* 3 pollicendi *H* 4 se $P^2 \Pi C$E esse *HPB* 5 alius *H* doceant P^2 docere *HPΠB* docerent *C*E cum uero E aliquid *HB* aliquit *P* quid $P^2 \Pi$ alii quid H^2 aliquid quod *C* quid alii E 7 At *om* M 8 Quod *H* dicitis dificile *H* dicitis difficile *PΠBCd* difficile dicitis *bl* 9 Si laboriosum $P^2 B^2$E non est *C* statin *H* 10 nisi forte etiam $CB^2 d$ 11 trans scripsissetis *P* 12 putetis *b* si in H^2 Sin autem E stud B^1 istud difficile *d* 13 egregium $P^2 \Pi C B^2$E egregi *PB* aegie H^1 egregie H^2 insueti rerum E insinuet in eum *H* insinuetis eum *B* insinuetis cum $P \Pi B^2$ uos insinuetis cum *C* maiores *Π* 14 sicut *bl* delectabit *C* delectauit *HPΠB* delectat E isto $P^2 \Pi B C$E stu *P* situ *H* 15 se legere *C* legere *H* silegere $H^2 P \Pi B$ eligere E rudis E audis M (ab his *C*) nemo E$P^2 \Pi$ nonnemo *HPBC* 17 ex arte E arte *HPΠ* de arte $P^2 BC$ 18 nisi — poterit *om* b^1 19 ennii de tragediis *b* de tragoediis ennii *ld* de tragoediis *C* de tragydiis *PΠB* de tragidiis *H* 20 nuntios sed *HPΠB* periodos Sed *C* periodos num si *ld* periodis n̄ si *b* plene *b*

cum feceris, te litteratissimum putes, ineptus sis, propterea quod id facile faciat quiuis mediocriter litteratus, item si, cum de orationibus aut poëmatis elegeris exempla, quae certis signis artificii notata sunt, quia rudis id nemo facere possit, artificiosissime te fecisse putes, erres, propterea quod isto signo uidemus te nonnihil scire, aliis signis multa scire intellegemus. Quod si artificiosum est intellegere, quae sint ex arte scripta, multo est artificiosius ipsum scribere ex arte. Qui enim scribit artificiose, ab aliis ⟨commode scripta facile intellegere poterit; qui eliget facile, non continuo commode ipse scribet. Et, si est maxime artificiosum, alio tempore utantur ea facultate, non tum, cum parere et ipsi gignere et proferre debent. Postremo in eo uim artificii consumant, ut ipsi ab aliis⟩ potius eligendi, quam aliorum boni selectores existimentur. Contra ea, quae ab iis dicuntur, qui dicunt alienis exemplis uti oportere, satis est dictum. Nunc, quae separatim dici possint, consideremus.

5 Dicimus igitur eos id, quod alienis utantur, peccare, cummagis etiam delinquere, quod a multis exempla sumant. Et de eo, quod postea diximus, antea uideamus. Si concederem aliena oportere adsumere exempla, uincerem unius oportere, primum quod contra hoc nulla staret illorum ratio.

---

3 Priscian. GL II p. 357, 6 Cicero . . . idem ad Herennium IIII: de orationibus aut poematis

---

2 qui uis *P* qui suis *B* literatus *b* si cum] sicut in *H* 3 de *Priscianus*] ex poematibus E eligeris *B* 4 sint *H* 5 artificiose *bl* erres *bl* erras *d* ea res $P\Pi B$ eas res *C* earum *H* 6 scire E sui rei *HPB* huius rei $P^2\Pi B^2$ scire huius rei *C* 7 intelligemus *bd* artificiosissimum *d* intelligere $P\Pi C$E 9 scribit $HP\Pi B$ scribunt P^2C scribet *d* ipse scribet *bl* commode scripta — ab aliis *om* M scripta commode *d* 10 intelligere commode ipse *bl* ipse commode *d* 11 scribit *d* aliquo *d* 12 facilitate b^1 13 gignente *b* 14 consumant ut l^2d consumant *l* confirmant *b* 15 bonis elector *HP* boniselectores *BC* bonis elector esse Π boni electores E existimantur *b* iis $P\Pi BC$ his HP^2C^2ld eis *b* 16 alienis *H*E alienis (alieni B^1) se $P\Pi BC$ 17 separatim quae *bl* diei P^1B^1 possunt *bl* 18 Dicimus] Oms̃ *b* id $HP\Pi B$ cum ideo CB^2bl^2 tum ideo P^2l cum eo *d* alieni *H* 19 cum magis *HPB* tum magis $P^2\Pi B^2C$E *conf.* demagis, cummaxime, adprime, cumprime 20 Et M Sed *ld* ect *b* uidebamus *b* 21 adsumere et *B* assumere *bl* sumere *d* 22 contra *om* *H* hoc c̄ H^1

Licet enim eligerent et probarent quemlibet, qui sibi in omnes res subpeditaret exempla, uel poëtam uel oratorem, cuius auctoritate niterentur. Deinde interest magni eius, qui di⟨*s*⟩cere uult, utrum omnium omnia an omnia a nemine [aliud alium] putet consequi posse. Si enim putabit posse omnia penes unum consistere, ipse quoque ad omnium nitetur facultatem. Si id desperarit, in paucis se exercebit; ipsis enim contentus erit, nec mirum, cum ipse praeceptor artis omnia penes unum reperire non potuerit. Allatis igitur exemplis a Catone, a Graccis, a Laelio, a Scipione, Galba, Porcina, Crasso, Antonio ceteris, item sumptis aliis a poëtis et ⟨*hi*⟩storiarum scriptoribus necesse erit eum, qui discet, putare ab omnibus omnia, ab uno pauca uix potuisse sumi. Quare unius alicuius esse similem satis habebit, omnia, quae omne⟨*s*⟩ habuerint, solum habere se posse diffidet. Ergo inutiles*t* ei, qui discere uult, putare a *nemine consequi* omnia posse. Igitur nemo in hanc incideret opinionem, si ab uno exempla sumpsissent. Nunc hoc signi est ipsos artis scriptores non putasse unum potuisse in omnibus elocutionis

4 conf. quae adnotauimus ad 2, 2 p. 290, 1

---

1 licet **M***l* liceret *bd* eligerint *H* quem liberet *Bd* **2** subpeditaret *Hb* suppeditaret *reliqui* poeta *H* **3** autoritate *H* auctoritatem *b* inter est *PB* magno *b* imagini *H* **4** discere B^2C**E** dicere *HPΠB* omnium omnia an omnia a nemine *PΠBC* omnia nomina an neminem *H* omnia unum (*cum signis transpositionis*) neminem *b* omnes (*in ras* l^2) omnia an omnia neminem *l* (an omnia *add* l^2) omnes omnia an omnia a nemine $P^2B^2C^2$ aliquem omnia an (*eras*) unum omnia neminem *d* **5** aliud alium *HPΠB del Schmidtius* an aliud alium P^2C sed aliud alium **E** putabit P^2C**E** putauit *HPΠB* **6** penes **E** perdies *HPΠB* per *C* nitetur ad omnium *bl* **7** desperarit *BCld* desperaret *HP* desperat $P^2\Pi$ disperabit *b* sed *HPB* **9** reperire *H***E** repperire *PΠBC* ergo *b* **10** graccis **E** gracchis *PΠC* grachis *HB* lelio *HΠC***E** lellio *PB* **11** portina *bl* ceterisque **E** aliis *om* H^1 **12** et *om d* historiarum P^2C**E** storiarum *HPB* historiae *Π* **14** unius se **E** **15** omnes $P^2B^2\Pi C$**E** omne *PB* omnia *H* habuerit *H* se solum habere *d* **16** inutilest] inutiles *HPΠB* inutile est *C***E** putare **M** non putare **E** a nemine consequi omnia posse] an nomina posse *H* anomnia posse *PB* est añ omnia posse *Π* a nemine omnia posse P^2B^2C unum posse omnia (omnia posse *d*) **E** **17** oppinionem *H* ab *om H* **18** sumsissent H^1 ipso *HB* **19** elocutionibus *H* elucutionis *B*

partibus enitere, quoniam neque sua protulerunt neque unius alicuius aut denique duorum, sed ab omnibus oratoribus et poëtis exempla sumpserunt. Deinde, si quis uelit artem demonstrare nihil prodesse ad dicendum, non male utatur hoc adiumento, quod unus omnis artis partes consequi nemo potuerit. Quod igitur iuuat eorum rationem, qui omnino ⟨non⟩ probent artem, id non ridiculum est ipsum artis scriptorem suo iudicio conprobare? Ergo ab uno sumenda fuisse docuimus exempla, si semper aliunde sumerentur.

6 9 Nunc omnino aliunde sumenda non fuisse sic intellegemus. Primum omnium, quod ab artis scriptore adfertur exemplum, *id* eius artificii debet esse. Ut si quis purpuram aut aliud quippiam uendens dicat: Sume a me, sed huius exemplum aliunde rogabo tibique ostendam, sic mercem ipsi qui uenditant, aliunde exemplum quaeritant mercis, aceruos se dicunt tritici habere, eorum exemplum pugno non habent, quod ostendant. Si Triptolemus, cum *a* se hominibus semen gigneretur, ipse ab aliis id hominibus mut⟨*u*⟩aretur, aut si Prometheus, cum mortalibus ignem diuidere uellet, ipse a uicinis cum testo ambulans carbunculos cor-

---

19 Priscian. GL II p. 108, 9 Cicero ad Herennium IIII: aut si Prometheus cum mortalibus ignem diuidere uellet ipse a uicinis testula ambulans carbunculos corrogaret

---

3 suserunt *H* (*s. s.* p) **4** nonnihil CP^2 dicendum H^2PBd discendum $P^2\Pi Cbl$ icendum *H* non] num *d* nonne *C* **5** unius *PB* omnis *PΠBl* omnes *HCbd* nemo consequi poterit *H* **6** Quod *BΠd* Quid *HPCbl* iubat *HPB* horum **M** **7** non probent *d* probent **M** improbent *bl* non ridiculum **M***l* num ridiculum *d* ridiculum non *b* artis scriptorem *bl* scriptorem artis *reliqui* **8** suo] uõ *H* non conprobare P^2C comprobare **E** **9** aliunde sumerentur P^2B^2C**E** ut aliunde sinerentur *Π* alium demus merentur *HPB* **10** omnino nunc *H* intelligemus *d* intelligimus *bl* **11** affertur *d* profertur *bl* **12** id eius] de ius *B* deius *H* eius *bl* *om d* de eius *PΠC* artificio $P^2B^2\Pi C$ ut **M** non ut **E** **14** rogabo aliunde *bl* tibique *HΠ* tibi quod *ld* tibi quia *B* tibi quidem *b* tibi q *PC* sic *HPBC* si $P^2\Pi$**E** **15** queri/////ua (*s. s.* nt) *H* mercis **E** aliud mercis **M** aceruos se $P^2\Pi C^2B^2l$ et aceruos se bl^2 aceruo sese *HPBC* aceruos sese *d* **16** dicant H^1 *s. s.* u *m1* trittici *PC* et eorum *ld* *mercatores facit aduersarios per allegoriam* **17** treptolemus **M** a se] se **M** *om* **E** **18** gigneretur *HPB* gigneret *C* largiretur $P^2\Pi B^2$**E** mutuaretur $P^2\Pi C$**E** mutaretur *HPB* **19** aut] ut *H* **20** testo *HPΠB* testa P^2C**E** arbunculos H^1

rogaret, ridiculus uideretur: isti magistri, omnium dicendi praeceptores, non uidentur sibi ridicule facere, cum id, quod aliis pollicentur, ab aliis quaerunt? Si qui se fontes maximos penitus absconditos aperuisse dicat et haec sitiens cummaxime loquatur neque habeat, qui sitim sedet, non rideatur? Isti cum non modo dominos se fontium, sed se ipsos fontes esse dicant et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, si, cum id polliceantur, arescant ipsi siccitate? Chares ab Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus ca⟨*p*⟩ut ostenderet Myronium, brachia Praxitelae, pectus Polycletium, sed omnia coram magistrum facientem uidebat, ceterorum opera uel sua sponte poterat considerare: isti credunt eos, qui haec uelint discere, alia ratione doceri posse commodius. 7 10

Praeterea ne possunt quidem ea, quae sumuntur ab aliis, exempla tam esse artem adcommodata, propterea quod in dicendo leuiter unus quisque locus plerumque tangitur, ne ars appareat, in praecipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla, uti in artis formam conuenire possint: et post in dicendo, ne possit ars eminere et ab omnibus uideri, facultate oratoris occultatur. Ergo etiam ut magis ars cognoscatur, suis exemplis melius est ut⟨*i*⟩. Postremo haec quoque res nos duxit ad hanc rationem, quod nomina rerum Graeca ⟨quae⟩ conuertimus, ea remota sunt a consuetudine. Quae enim res apud nostros non era⟨*n*⟩t, earum rerum nomina non poterant esse usitata. Ergo haec asperiora primo uideantur necesse est, id quod

1 non ridiculus *l* num ridiculus *bd* ita isti *d* 3 *prius* aliis] ab his *H* quis e *HB* quis se *l* fontem *H* 4 abconditos H^1 cum **M** quam **E** 5 loquitur *H* habeat $P^2 \Pi C$**E** habebat *HPB* 6 dominus *PB* domino *C* 8 id cum *d* 9 lisippo **E** 10 lisippus **E** caput ostenderet $P^2 C$**E** acutostenderet *PΠB* aut ostenderet *H* mironium *Π* milonis **E** 11 polycletium *PBC* policletium *Π* policretium *H* policlecii **E** sed] secundum *b* magistro $P^2 H$ 12 sua *bl* sola **M** *om d* 13 uelint discere haec *bl* aliena *d* 14 doceri $P^2 \Pi$**E** doce si *HPB* docere se *C* nec *Cbl* 15 artem adcommodata *H* adcommodatam artem *PB* (*in P ante* ad *ras*) accommodatam artem *Π* accommodata ad artem $P^2 C$**E** 18 uti] ut *H* 19 conuenirent *PB* pos sit *P* post sit *B* 20 facultate $P^2 \Pi C^2$**E** facultatem *HPB* et facultas *C* 22 ut *HPB* 23 quae conuertimus *d* conuertimus *HPΠBbl* cum conuertimus *C* 25 erant $P^2 B^2$**E** erat **M** 26 est] esse *H* quod *HPΠBd* que $P^2 B^2 Cbl$

fiet rei, non nostra difficultate. Relicum scripturae consumetur in exemplis: haec si aliena posuissemus, factum esset, ut, quod commodi esset in hoc libro, id nostrum non esset, quod asperius et inusitatum, id proprie nobis adtribueretur. Ergo hanc quoque incommoditatem fugimus. His de causis, cum artis inuentionem Graecorum probassemus, exemplorum rationem secuti non sumus. Nunc tempus postulat, ut ad elocutionis praecepta transeamus.

Bipertita igitur erit nobis elocutionis praeceptio. Primum dicemus, quibus in generibus semper omnis oratoria elocutio debeat esse; deinde ostendemus, quas res semper habere debeat.

8 11 Sunt igitur tria genera, quae genera nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non uitiosa consumitur: unam grauem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam uocamus.

Grauis est, quae constat ex uerborum grauium leui et ornata constructione.

Mediocris est, quae constat ex humiliore neque tamen ex inf*u*ma et peruulgatissima uerborum dignitate.

Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis.

In graue*i* consumetur oratio figurae *genere*, si, quae cuiusque rei poterunt ornatissima uerba reperiri, siue propria siue extranea, unam quamque rem adcommodabuntur, et si graues

---

1 non] hoc *b* relicum *PB* reli////qum (n *eras*) *C* reliquum *reliqui* **2** exemplas *H* si aliena *d* in alienis *H* in alienas *B* in aliena si *PΠ* aliena si B^2Cbl posuisemus P^1 **3** esse *PB* commodius **E** esse *b* **4** inusitatius *bl* attribueretur C^2**E** **8** locutionis H^1 **9** ergo *b* **10** generibus **E** generibus (geribus *H*) eorum **M** generibus uerborum *Kayserus* elocutio debeat esse $P^2ΠB^2$**E** elocuti adibeat esse *H* elocutiadhibeat esse *P* elocutio adhibeat esse *B* elocutio uel debeat esse adhibeatur *C* **11** quae res *HP* debeat] in *HPB sequitur rubrica* FIGURAE ORATIONIS SUNT TRES **12** Sunt igitur tria genera quae genera nos figuras appellamus **M** FIGURAE orationis sunt tres (.III. *b*) quas figuras alii genera nominauerunt **E** **13** in *om H* **14** tertium H^1 extenutionem *H* **15** leui] et leui *H* magna **E** **16** constuctione H^1 **17** humili **E** **18** infirma *HPΠB* infima P^2C**E** peruulgatissimo H^1P^1 **19** dimissa *H***E** **20** sermonis] *in HPB sequitur* GRAUIS FIGURA **21** graue *H* graui *reliqui* consumetur oratio figura $B^2ΠCb$ figura consumetur oratio *ld* consumetur oratio figurae *HPB* genere *addidi* **22** repperiri *PΠBC* **23** extranea **M**

sententiae, quae in amplificatione et commiseratione tractantur, eligentur, et si exornationes sententiarum aut uerborum, quae grauitatem habebunt, de quibus post dicemus, adhibebuntur. In hoc genere figura⟨*e*⟩ erit hoc exemplum:

'Nam quis est uestrum, iudices, qui satis idoneam 12 possit in eum poenam ⟨ex⟩cogitare, qui prodere hostibus patriam cogitarit? quod maleficium cum hoc scelere comparari, quod huic maleficio dignum supplicium potest inueniri? In *i*is, qui uiolassent ingenuum, matremfamilias constuprassent, uol*ner*assent aliquem aut postremo necassent, maxima supplicia maiores consumpserunt: huic truculentissimo ac nefario facinori singularem poenam non reliquerunt. Atque in aliis maleficiis ad singulos aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit: huius sceleris qui sunt adfines, uno consilio uniuersis ciuibus atrocissimas calamitates machinantur. O feros animos! o crudeles cogitationes! o derelictos homines ab humanitate! Quid agere ausi sunt aut cogitare possunt? quo pacto hostis, reuulsis maiorum sepulcris, deiectis moenibus, ouantes inruerent in ciuitatem; quo modo deum templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in seruitutem, matribusfamilias et ingenuis sub hostilem libidinem subiectis urbs acerbissimo concidat incendio conflagrata; qui se non puta⟨*n*⟩t id, quod uoluerint, ad exitum perduxisse, nisi

---

translata ea **E** ad unam *ΠC* rem **M** in rem **E** accommodabuntur P^2C^2**E** **1** amplificationem et commiserationem *H* **2** exornatione *Π* **3** grauitate *Π* post *om Π* adibebuntur *b* **4** figurae P^2B^2*ΠC*E figura *HPB* **5** indicet P^1B^1 **6** in eum possit idoneam penam *bl* excogitare **E** cogitare **M** qui] quo P^1 Quid H^1 **7** cogitaret *Π* comparari **E** **8** suplicium *b* **9** iis *Aldus*] his ingenuum *PΠBC* ingenium *Π* ingenuam **E** **10** uiolasent H^1 uiolassent *b*M pulsassent *ld* **11** suplicia *b* maiores **M** maiores nostri **E** **12** facinori] sceleri *bl* **13** reliquerunt P^2C^2*ld* relinquerunt *b*M **14** sceleri P^1B^1 **15** affines **E** **16** feroces **E** **17** umanitate *C* Quid *omnes* qui id P^2 *Schuetzius* **18** possunt **M***b* potuerunt *ld* hostis *HPΠB* hostes *C*E **19** sepulcris *H* sepulchris *reliqui* irruerent **E** inrueř *ΠB* irrueř *Π* inruerunt *PC* **20** deorum *d* separatis *b* **21** truciatis P^1B arreptis *l* matribus familias P^2B^2CE matribus familiis *HPΠB* **22** ingeniis *Πb* **23** acerbissimo $P^2ΠC$E aceruissimo *PB* acerrimo *H* incendo P^1 confraglata H^2 conflata *B* **24** putat $H^1P^1B^1$ quod *om b* perduxisset *b*

sanctisimae patriae miserandum scelerati uiderint cinerem. Nequeo uerbis consequi, iudices, indignitatem rei; sed neglegentius id fero, quia uos mei non egetis. Vester enim uos animus amantissimus rei publicae facile edocet, ut eum, qui fortunas omnium uoluerit prodere, praecipitem proturbetis ex ea ciuitate, quam iste hostium spurcissimorum dominatu nefario uolu⟨er⟩it obruere.'

9 In mediocri figura uersabitur oratio, si haec, ut ante
13 dixi, aliquantulum demiserimus neque tamen ad infimum descenderimus, sic:

'Quibuscum bellum gerimus, iudices, uidetis: cum sociis, qui pro nobis pugnare et imperium nostrum nobiscum simul uirtute et industria conseruare soliti sunt. *Ii* cum se et opes suas et copiam necessario norunt, tum uero nihilominus propter propinquitatem et omnium rerum societatem, quid omnibus rebus populus Romanus posse⟨*t*⟩, scire ⟨*et*⟩ existimare poterant. *Ii*, cum deliberassent nobiscum bellum gerere, quaeso, quae res erat, qua freti bellum suscipere conarentur, cum multo maximam partem sociorum in officio manere intellegerent? cum sibi non multitudinem militum, non idoneos imperatores, non pecuniam publicam praesto esse uiderent? non denique ullam rem, quae res pertinet ad bellum administrandum? Si cum finitumis de finibus bellum gererent, si totum certamen in uno proelio positum putarent, tamen omnibus rebus instructiores et apparatiores uenirent; nedum illi imperium orbis terrae, cui imperio omnes gentes, reges, nationes

1 uiderit *b* **2** indices consequi *bl* **3** negligentius *bd* egentis *PBH*^{2} **4** publicae *l* .p̄. *reliqui* **5** eum *P*^{2}*ΠC*E eos *HPB* **6** ciutate *H*^{1} **7** dominatu *P*^{2}*ΠC*E dominatunc *PB* dominanunc *H* uoluit **M** obruere] *in HPB sequitur* DE MEDIOCRI FIGURA **9** aliquantulum *P*^{2}*Π*E aliquantum *C* aliquantum tunc *HPB* dimiserimus *Hbl* decenderimus *H*^{1} **11** Quibuscum] cum *H* iudicet *PB* **13** Ii] Hii *PB* Hi *reliqui* **14** suas opes *H* dum *H* **15** nihil ominus *HC* **16** quod *PΠC*^{2} in omnibus *bl* populus .R. *d* .p. r. *bl* p̄nus *PΠB* p. rōnus *C* pronus *H* posse *HP*^{1}*Π* **17** et *om HP*^{1} Ii] Hii *l* Hi *reliqui* **18** gerere bellum *bl* freti *P*^{2}*C*E facti *HPΠB* **20** intelligerent *PC*E **23** res *om bl* pertineat *bl* pertineret *d* ad] ab *b* **24** finitumis *P*^{2}*ΠC* fanitumis *PB* fani tum his *H* finitimis E **26** instructior *H* necdum *HC* illud E **27** cui] quis *H*

partim ui, partim uoluntate consenserunt, cum aut armis aut liber⟨*ali*⟩tate a populo Romano superati essent, ad se transferre tantulis uiribus conarentur. Quaeret aliquis: Quid? Fregellani non sua sponte conati sunt? Eo quidem isti minus facile conarentur, quod illi quemadmodum d*isce*ssent, uidebant. Nam rerum inperiti, qui unius cuiusque rei de rebus ante gestis exempla petere non possunt, *i*i per inprudentiam facillime deducuntur in fraudem: at ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliorum euentis suis rationibus possunt prouidere. Nulla igitur re inducti, nulla spe freti arma sustulerunt? Quis hoc credet, tantam amentiam quemquam tenuisse, ut imperium populi Romani temptare auderet nullis copiis fretus? Ergo aliquid fuisse necessum est. Quid aliud, nisi id, quod dico, potest esse?' 10

In adtenuato figurae genere, id quod ad ⟨*in*⟩f*u*mum 11 et cottidianum sermonem demissum est, hoc erit exemplum:

'Nam ut forte hic in balneas uenit, coepit, postquam perfusus est, defricari, deinde, ubi uisum est, ut in alueum descenderet, ecce tibi iste de trauerso: 'Heus', inquit, 'adolescens, pueri tui modo me pulsarunt; satis facias oportet.' Hic, qui id aetatis ab ignoto praeter consuetu-

---

9 Tac. ann. IV 33 plures aliorum euentis docentur (*interpp. ad* Liu. XXII 39, 10 Ter. Heaut. 221 Syr. sent. 150 R)

1 concesserunt *Regius* 2 liberalitate B^2CE libertate *HPΠB* a populo romano P^2B^2Cbl a populo .R. *d* a populorum *HPΠB* 3 conarentur *om H* 4 fragelliani *Cbd* flagelliani *l* sponte sua *bl* sunt *om b* 6 descissent *omnes*, discessissent *Ernestius* uidebantur *PΠ* inperiti *H* imperiti *reliqui* 8 ii *Aldus* | hii *l* hi *reliqui* inprudentiam *HBCb* imprudentiam *reliqui* facile me *PB* facilem *H* facile *C* facillime *Π*E laudem fraudem b^1 at ii] *Aldus* Alii *H* adii *PB* at hi *ΠC*E 9 euentu E 10 ergo *b* 12 populi .R. *d* .p. r. *bl* p r̃ui *PΠBC* proni *H* 13 nullus H^1 fuisse aliquid *bl* 14 necessum *HPB* necesse $P^2ΠCd$ necessarium *bl* quod *b* esse potest *bl* 15 attenuato *Π*E attenuato ergo *H* figura *H* gene *B* id *HPΠB* id est *C* et *l om bd* infumum] infirmum *Π* firmum *HPB* infimum P^2Cbl infinitum *d* 16 cottidianum *H* cotidianum *reliqui* demissum *C*E dimissum *HPΠB* 17 post quam *P* 18 ire ut E 19 et ecce *H* tibi *HPΠB* ibi P^2CE trauerso *PB* tranuerso *C* transuerso $HP^2Π$E inquid *PB* 20 adulescens P^2BC me modo E (me domodo *b*) pulsauerunt *bl* faciat *H* 21 hi *H* qui id] quid *B*

dinem appellatus esset, erubuit. Iste clarius eadem et alia dicere coepit. Hic: 'Vix, tamen', inquit, 'sine me considerare.' Tum uero iste clamare uoce ista, quae perfacile cuiuis rubores eicere potest: 'Ita petulans est atque acerba, ne ad solarium quidem, ut mihi uidetur, sed pone scaenam et in eiusmodi locis exercitata.' Conturbatus est adolescens: nec mirum, cui etiam nunc pedagogi lites ad oriculas uersarentur inperito huiusmodi conuiciorum. Ubi enim iste uidisset scurram exhausto rubore, qui se putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ⟨ut⟩ omnia sine famae detrimento facere posset?'

Igitur genera figurarum ex ipsis exemplis intellegi poterant. Erat enim et adtenuata uerborum constructio quaedam et item alia in grauitate, alia posita in mediocritate.

Est autem cauendum, ne, dum haec genera consectemur, in finituma et propinqua uit⟨*i*⟩a ueniamus. Nam graui figurae, quae laudanda est, propinqua est ea, quae fugienda: quae recte uidebitur appellari, si suff*la*ta nominabitur. Nam ita ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur saepe, item grauis oratio saepe inperitis uidetur ea, quae

1 apellatus *b* esse *H* iste **M** ille **E** et eadem et *H* **3** coepit clamare *C* clamare cepit *d* perfacile cuiuis $P^2 B^2$ uel perfacile cuielis fabule. Cuius *C* uel fabulae cuius *HPΠ* uel facile cuiuis *B***E** uel rabulae *Kayserus* **4** rubores *PBCbl* robores *H* ruborem *d* rumore *Π* posset **E** est atque acerua (acerba *Π*) *HPΠB* es atque acer ut $P^2 B^2 C$**E** **5** nec *H* solarium **E** salarium *C* solutarium *H* salutarium *PΠB* pones caenam *PB* penes caenam *Π* pones cenam *H* pone scenam *Cb* pene[8] scaenam *l* penes scenam *d* **6** exercitata *HPB* exercitate *Π* exercitatus sis *C***E** **7** adolescens *P***E** adulescens $P^2 HB\Pi C$ ne mirum C^1 pedagogi *omnes* **8** auriculas **E** inperito *HP* imperito *reliqui* conuiciorum $P^2 \Pi BCbd$ conuitiorum *HPl* **9** iste enim *bl* enim *d* scurram *om H* curiam *s. s.* scuram *Π* exhausto **E***Π* exausto *C* exauto *HP* exauctor *B* rubore **E***C* robore *PH* rebore *H* ebore *B* **10** nihil se *H* (se *bis H*) ut *om* **M** **11** possit *H* **12** intellegi *Hl* intelligi *reliqui* poterunt $P^2 \Pi C$**E** **13** erit *C Kayserus* et *om B* adtenuata *PC* attenuata *reliqui* constructio uerborum *H* **14** et item] eite C^1 in — alia *om* **E** mediocritate **M** mediocritate tercia quae plena (plena est *b*) grauitatis **E** **15** cauenda *HPB* **16** finituma $P^2 \Pi C$ finitum mea *HPB* finitima **E** uita *HPB* *Post* ueniamus *add HPB*: VITIUM ADGRAVEM FIGURAM graui figurae **E** grauis figura **M** **17** quae *om H* ea] ei $P^2 \Pi C$ fugienda est *bl* **18** apellari *b* sufflata *Victorius*] suffulta **19** tumos *H* imitur *H* **20** ita **E** inperitis *H* imperitis *reliqui* ut detur *H*

turget et inflata est, cum aut nouis aut priscis uerbis aut duriter aliunde translatis aut grauioribus, quam res postulat, aliquid dicitur, hoc modo:

'Nam qui perduellionibus uenditat patriam, non satis subplicii dederit, si praeceps in Neptunias depultus erit lacunas. Poenite igitur istum, qui montis belli fabricatus est, campos sustulit pacis.'

In hoc genus plerique cum declinantur et ab eo, quo profecti sunt, aberrarunt, specie grauitatis falluntur nec perspicere possunt orationis tumorem.

Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si per- 11
uenire eo non potuerunt, errantes perueniunt ad confinii 16
genus eius generis, quod appellamus ⟨dissolutum, quod est sine neruis et articulis, ut hoc modo appellem 'fluctuans' eo quod⟩ fluctuat huc et illuc nec potest confirmate neque uiriliter sese expedire. Id est eiusmodi:

'Socii nostri cum belligerare nobiscum uellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possint facere, si quidem sua sponte facerent et non haberent hinc adiutores multos, malos homines et audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia uolunt agere.'

Non potest huiusmodi sermo tenere adtentum audito-

---

20 Sisenna HRF (edit. 1883) 110 Ego illos malos et audaces semper enixim contra fortunas atque honores huius ordinis omnia fecisse ac dixisse sentio (Plaut. Bacchid. 949 Men. 731 Soph. Electr. 320 *φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ πράσσων μέγα* (Ellendtius) Suid. s. u. *ὀκνῶν legit πᾶς ἀνήρ*

---

4 uendit ad *HPB* 5 subplicii *H* suplicii *b* supplicii *reliqui* depultus *ld* depulsus *reliqui* 6 lacunas **E***C* lacunae *HPΠB* Poenite *Orellius* paenitet *BΠl* penitet *HPCbd* ergo *b* montis *HPΠB* montes **E***C* fabricatum *HPB* 8 plerumque **E** declinantur *B* declinatus *HPC* declinant *Π* declinauissent C^2**E** declinassent P^2 quo **E** qui **M** 9 aberrauerunt **E** specie **E***Π* spe *HPBC* falluntur *Π***E** fallitur *HPB* falliuntur *C* 10 tumorem] *add HPB*: VITIUM MEDIOCRIS (MEDIOCRES *H*) 12 confinii genus *HPΠB* confinium *C* confine **E** 13 appellamus *HΠld* apellamus *b* appellamur *P* appellatur *BC* dissolutum — eo quod *om* **M** 14 neruis *Omnibonus*] uerbis apellem *b* 15 fluctuat *PB***E** fluctuans $HP^2C\Pi^2$ fluctuantem *Π* confirmare *b* 16 huius modi *Π* 17 belligere re *b* bella gerere *Π* 18 rationati HC^1 possent *d editt* 20 hic *PΠ* auditores *b* 22 huius modi *P* adtentum *HPC* attentum *reliqui*

rem; diffluit enim totus neque quicquam conprehendens perfectis uerbis amplectitur.

Qui non possunt in illa facetissima uerborum attenuatione commode uersari, ueniunt ad aridum et exangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari, cuiusmodi est hoc:

'Nam istic in balineis accessit ad hunc; postea dicit: 'Hic tuus seruus me pulsauit.' Postea dicit hic illi: 'Considerabo.' Post ille conuicium fecit et magis magisque praesente multis clamauit.'

Friuolus hic quidem iam et inliberalis est sermo: non enim est adeptus id, quod habet attenuata figura, puris et electis uerbis conpositam orationem.

Omne genus orationis, et graue et mediocre et adtenuatum, dignitate adficiunt exornationes, de quibus post loquemur; quae si rarae disponentur, distinctam, sicuti coloribus, si crebrae conlocabuntur, obliquam reddunt orationem. Sed figuram in dicendo commutare oportet, ut grauem mediocris, mediocrem excipiat attenuata, deinde identidem commutentur, ut facile satietas uarietate uitetur.

12 17 Quoniam, quibus in generibus elocutio uersari debeat, dictum est, uideamus nunc, quas res debeat habere elocutio commoda et perfecta. Quae maxime admodum oratori adcommodata est, tres res in se debet habere: elegantiam, conpositionem, dignitatem.

---

1 conprehendens *PC* comprehendens *reliqui* 2 amplectimur *b* amplectis *H* *add HPB*: VITIUM ADTENUATAE (attenuate *HB*) 4 exangue *H*E exsangue *P*[2]*ΠC* ex sanguine *PB* 7 ille istic *ld* iste (*s. s.* u) istic *b* balineis *P* bali ‡‡. in eis (*uersus fine diremptum*) *H* balneis *ΠBC* balneas E 8 pulsauit me *bl* 9 conuitium *HC* et *om H* 10 praesente *HPB* praesentibus *reliqui* 11 illiberalis *d* 12 id] hic *H* 13 conpositam *H* compositam *reliqui* *post* orationem *add HPB*: DISPONI ORNAMENTA DEBERE 14 graue *HΠ*E grauem *PBC* mediocre *HΠ*E mediocrem *PBC* attenuatum dignitate E adtenuatam (attenuatam *H* attenuate *Π*) dignitatem M 15 adficiunt *HP* afficiunt *Πd* efficiunt *BCbl* exornatione *H* exornationis *PΠ* 16 sic *H* raro *d* distincta *H* distinctum *Π* secuti *B* 17 collocabuntur E 18 commutare *HPΠB* commutari *P*[2]*C*E 19 recipiat *H* ut tenuata *HPB* 20 satietas *om H*, sacietas *reliqui*: *post* uitetur *add HPB*: DE ORNAMENTIS 21 elocuti *P*[1]*B*[1] elocuotio *C* 23 oratori *HPBC*[2] oratoris *P*[2]*ΠC*E accomodita *P* acommodata *Π*

Elegantia est, quae facit, ut *locus* unus quisque pure et aperte dici uideatur. Haec tribuitur in Latinitatem, explanationem.

Latinitas est, quae sermonem purum conseruat ab omni uitio remotum. Vitia in sermone, quo minus is Latinus sit, duo possunt esse: soloecismus et barbarismus.

Soloecismus est, cum in uerbis pluribus consequens uerbum superius non ⟨ad⟩commodatur.

Barbarismus est, cum † uerbusalto uitiose efferatur. Haec qua ratione uitare possumus, in arte grammatica dilucide dicemus.

Explanatio est, quae reddit apertam et dilucidam ⟨o⟩rationem. Ea conparatur duabus rebus, usitatis uerbis et propriis. Usitata sunt ea, quae uersantur in [sermone] consuetudine cotidiana; propria, quae eius rei uerba sunt aut esse possunt, qua de loquemur.

Conpositio est uerborum constructio, ⟨quae facit omnes 18 partes oratio⟩nis aequabiliter perpolitas. Ea conseruabitur, si fugiemus crebras uocalium concursiones, quae uastam atque hiantem orationem reddunt, ut haec est:

'Bacae aeneae amoenissime inpendebant';

accommodata *reliqui* p. 304, 24 conpositionem *HP* compositionem *reliqui* **25** *post* dignitatem *add HPB*: DE ELEGANTIA **1** ut *om H* unus quisque H^2PB quisque H^1 unum quodque $P^2B^2\Pi C$E locus *addidi* **2** dici] di *H* tribuitur *PB* tribuatur *H* distribuitur $ldP^2B^2\Pi C$, *om b* explanationem *B* et explanationem (explanationem distribuitur *b*) $B^2P\Pi C$E explanationem et *H* **5** sermonem *HPB* his *H* **6** soloecismus $H^2P^2B^2\Pi C$ solicismus $H^1P^1B^1$ solecismus **E** **7** soloecismus $H^2P^2B^2C^2$ solicismus **M** solecismus **E** pluribus in uerbis *H* sequens *B* **8** superius **M** superiori P^2B^2**E** accommodatur P^2B^2**E** commodatur *C* commodatars *HPΠB* **9** uer-, bis alto *H* uerbusalto *B* uerbum saltim *Π quid in P m1 fuerit cognosci nequit* uerbum (in uerbum *b*) aliquod P^2B^2C**E** *fortasse* uerbum falso efferatur *HPΠB* effertur *C*E **10** quae *b* possumus *HPB* possimus *ΠC*E **11** discemus *Π*E (*in P ras*) **13** rationem **M** conparatur *HPC* comparatur *reliqui* **14** sermone et **E** **15** propriam *H* **16** loquamur *b* loquimur *d*: *in HPB sequitur rubrica* DE CONPOSITIONE (compositione *P*) **17** Conpositio *HB* compositio *reliqui* est quae facit omnes partes (per artes *b*) orationis aequabiliter perpolitas (positas *ld*) E est uerborum constructionis aequabiliter perpolitas *HPB* est uerborum constructio nonnisi aequabiliter perpolita *Π et C*, *qui om* nonnisi **21** Bace *bl* haec bhache *H*

et, si uitabimus eiusdem litterae nimiam adsiduitatem, cui uitio uersus hic erit exemplo: — nam hic nihil prohibet in uitiis alienis exemplis uti (*FPR p. 69*) —

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti,

et hic eiusdem poëtae (*TRF*[2] *p. 73*):

— — qu*o*iquam quicquam, quemque quisque conueniat, neget;

et si eiusdem uerbi adsiduitatem nimiam fugiemus, eiusmodi:

'Nam cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non est fidem habere;'

et, si non utemur continenter similiter cadentibus uerbis, hoc modo (*FPR p. 74*):

Flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes;

et si uerborum transiectionem uitabimus, nisi quae erit concinna, qua de re posterius loquemur; quo in uitio est Caelius adsiduus, ut haec est (*HRF edit. 1883 p. 99*):

In priore libro has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

Item fugere oportet longam uerborum continuationem, quae et auditoris aures et oratoris spiritum laedit. His uitiis in conpositione uitatis relicum operae consumendum est in dignitate.

13 Dignitas est, quae reddit ornatam orationem uarietate distinguens. Haec in uerborum et in sententiarum exornatione⟨s⟩ diuiditur. Verborum exornatio est, quae ipsius

---

Hacce *Π* bacchae *PB* baccae *Cd* aeneae amenissimae **E** aere ea moenissimae *HPB* aereae (areae *C*[1]) amoenissimae *ΠC* inpendebant *HB* impendebant *reliqui* 1 uitauimus *HPB* literae *b* assiduitatem **E** 2 uersus erit hic *bl* hic uersus erit *d* 4 tute tati *B*[2]*ΠC***E** tati tute *PB* tate tute *Π* tyranne *BCld* tiranne *HPΠb* 6 quicquam quicq quemq *H* Quicquam quicquam quemq; *Π* quicquam quisquam quemq; **E** qui oquam quicquam quemq (quemquam *P*) quemq; *P*[1]*B* quicquam quisquam quemquam quemque *P*[2]*C* 8 assiduitatem **E** 9 extet ei *blP*[2]*ΠC* exterei *H* extet rei *PB* existet ei *d* 11 accidentibus *H* 14 uitauimus *HPB* 15 caelius adsiduus **M** cecilius assiduus **E** 16 est *om b* 17 priori *bl* 21 conpositione *P* composotione *H* compositione *reliqui* relicum *H* reliquum *reliqui* operae *B* opere *H* oportere *PΠ* operationis *bl* operis *P*[2]*Cd* 22 *post* dignitate *add HPB:* DE DIGNITATE 23 et uarietate distinguit **E** 25 exornatione **M**

sermonis insignita continetur perpolitione. Sententiarum exornatio est, quae non in uerbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem.

* * *

[M. Tulli Ciceronis ad Herennium liber V]

Repetitio est, cum continenter ab uno atque eodem 19
uerbo in rebus similibus et diuersis principia sumuntur, hoc modo:

'Vobis istuc adtribuendum est, uobis gratia est habenda, uobis ista res erit honori.'

Item: 'Scipio Numantiam sustulit, Scipio Kartaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem ⟨*seruauit.*'⟩

Item: 'Tu in forum prodire, t⟨*u*⟩ lucem conspicere, tu in horum conspectum uenire conaris? audes uerbum facere? audes quicquam ab istis petere? audes supplicium deprecari? Quid est, quod possis defendere? quid est, quod ⟨audeas postulare? quid est, quod⟩ tibi concedi putes oportere? Non ius iurandum reliquisti? non amicos prodidisti? non parenti manus adtulisti? non denique in omni dedecore uolutatus es?'

Haec exornatio cum multum uenustatis habet tum gra-

11 L. Crassus ap. Cic. de or. II 54, 226 Meyer ORF² p. 311 Tu lucem aspicere audes? Tu hos intueri? Tu in foro, tu in ciuium esse conspectu? (Philemo Kock CGF 119)

1 perpolitionem *HPBC* 3 habent *b* *post* dignitatem *in* M *sequitur* M TULLI (*ita* *PB* TULLII *H* T *Π*) CICERONIS AD HERENNIUM (cic ad her de reth *Π*) LIB. IIII EXPLICIT INCIPIT LIB. (*om B*) V (l. V i. *H*) FELICITER (*omnia haec om C*, liber IV expl. *et* feliciter *om H*, feliciter *om Π*) DE UERBORUM EXORNATIONE *in l*: explicit lib IIII incip. V, *in Cbd spatium: transitionem periisse statuit Schuetzius* 6 *post* modo *HPB add* GRAVIS 7 istuc H^2*PB* istu H^1 istud P^2*ΠC*E attribuendum E 9 scipio numantiam P^2*BC*E scipionem (scipio *Π*) etiam *HPΠ* cartaginem *H* 10 seruauit E*C add* P^2B^2 *in marg*, *om HPΠB* 11 prodire tu P^2B^2CE prodiret *HPB* prodire *Π* conspiceret quin horum *H* 13 ab] de *H* aude *P* suplicium *b* 15 audeas — quod *om* M 16 reliquisti M contempsisti E prodidi si *PB* 17 adtulisti *PBC* attulisti *HΠ* intulisti E 19 grauitates *H*

uitatis et acrimoniae plurimum. Quare uidetur esse adhibenda et ad ornandam et ad exaugendam orationem.

Conuersio est, per quam non, ut ante, primum repetimus uerbum, sed ad postremum continenter reuertimur, hoc modo:

'Poenos populus Romanus iustitia uicit, armis uicit, liberalitate uicit.'

Item: 'Ex quo tempore concordia de ciuitate sublata est, libertas sublata est, ⟨fides sublata est, amicitia sublata est,⟩ res publica sublata est.'

Item: 'C. Laelius homo nouus erat, ingeniosus erat, doctus erat, bonis uiris et studiis amicus erat: ergo in ciuitate primus erat.'

Item: 'Nam cum istos, ut absoluant te, rogas, ut peiurent, rogas, ut exe*i*stimationem neglegant, rogas, ut leges populi Romani tuae libidini largiantur, rogas.'

14 20 Conplexio est, quae utramque conplectitur exornationem, *** utamur, quam ante exposuimus, et ut repetatur idem uerbum saepius et crebro ad idem postremum reuertamur, hoc modo:

14 Aeschines in Ctesiph. 198 *ὅστις δὲ ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ τὴν ψῆφον αἰτεῖ, ὅρκον αἰτεῖ, νόμον αἰτεῖ, δημοκρατίαν αἰτεῖ* (Phoeb. RG VIII 516 W III 55 Sp *ὅρκον αἰτεῖς νόμον αἰτεῖς*) 202 *ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς* (Phoeb. l. s. Alex. *περ. σχημ.* RG VIII 424 W III 10 Sp. Dionys. de comp. uerb. 9 Demetr. de eloc. 268)

---

2 ad exaugendam] exaugendam Πb^1 *post* orationem *add HPB* CONUERSIO 3 non *om HB* primum *om* H^1 petimus *H* 6 poenes *H* poenas *B* populus romanus $b P^2 \Pi$ populos romanos ΠPB populos roman' *C* populus *l* .p. R. *d* 7 liberatatem H^1 liberalitatem $H^2 PB$ 8 de *om* H^1 subla H^1 9 libertas sublata est (*om* H^1) res p̄ sublata est **M** libertas sublata est fides sublata est amicitia sublata est **E** 11 gaius lelius *bl* c̄ lellius ΠPC coī lellius Π conlelius *B* g. lelius *d* ductus *b* 12 studiosis **E** 14 te rogas $P^2 \Pi C$**E** tergas *PB* rogas *H* peiurent $P\Pi BC$ peierent **E** periurent *H* 15 estimationem H^1 existimationem *reliqui* negligant **E** populi Romani *om H* pr̄. ni $P\Pi BC$ .p. r. **E** 16 *post* rogas *add* ΠPB CONPLEXIO 17 Conplexio *HPB* complexio *reliqui* conplectitur *HPBC* complectitur Π**E** 18 utamur *H* utamur ea *B* Utam Π *om C: quid* P^1 *cognosci nequit* et hanc et P^2**E** *lacunam sic fere expleas:* ut et conuersione et repetitione repetatur *artis uocabulum ut repetitio* 19 po-

'Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Kartaginienses. Qui sunt, ⟨*qui*⟩ crudel*issime* bellum gesserunt? Kartaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Kartaginienses. Qui sunt, qui sibi postulent ignosci? Kartaginienses. Videte ergo, quam conueniat eos inpetrare.'

Item: 'Quem senatus damnarit, quem populus ⟨Romanus⟩ damnarit, quem omnium exe*i*stimatio damnarit, eum uos sententiis uestris absoluatis?'

Traductio est, quae facit, uti, cum idem uerbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto:

'⟨*Qui*⟩ nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere.'

Item: 'Eum hominem appellas, qui si fuisset homo, numquam tam crudeliter hominis uitam petisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci uoluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus?'

---

1 *ex Cornificii libro de figuris* Quintil. IX 3, 31 de complexione: Quale est: Qui sunt qui foedera saepe ruperunt? Karthaginienses. Qui sunt, qui crudelissime bellum gesserunt? Karthaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformarunt? Karthaginienses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulant? Karthaginienses. **12** Alexander *περὶ σχημ.* RG VIII 480 W III 37 Sp adfert exempla *καλὸν δὲ τὸ ζῆν, ἄν τις ὡς δεῖ ζῆν μάθῃ* et ⟨*ὡς*⟩ *χάριέν ἐστ' ἄνθρωπος ὅς τ' ἄνθρωπος ᾖ*

---

stremo *H* reuertamur *C*E reuertantur *HPB* reuertatur *Π* **1** sunt qui *om H* ruperunt **M** (re ruperunt *Π*) reliquerunt **E** kartaginenses *b* **2** Qui sunt — gesserunt? Kartaginienses *om B* Qui sunt — deformauerunt? Kartaginienses *om b* qui crudelissime *Cornificius* crudeles *ΠP* qui crudele $P^2Πld$ qui in Italia crudele *C* **3** Qui — ignosci? Kartaginienses *om l* **4** sibi postulent **M** postulant **E** kartaginenses. qui sunt qui sibi postulant pacem cartaginenses *b* **5** eos ueniam *d* inpetrare *H* impetrare *reliqui* **6** damnaret *H* .p. r. dampnarit quem **E** populus damnaret quem *H* HD͠ (= *hic deest*) *PΠBC* **7** exestimatio H^1 existimatio *reliqui* damnaret *H* **8** absoluitis *bl* absoluetis *d: add H* TRADUCTIO, $PΠBC^1$: HP͠ (= *hic ponas*) populus damnarit quem SR͠ (= *scribatur*) TRADUCTIO **9** qui *Π* cum *om b* **10** offendit *Π* **11** concinnionem *H* **12** Qui *om ΠPB* iocundius $H^2C^2Π$E uita *om H* his *PB* **14** apellas *b* hominumquam *PB* hominum quan *H* **15** aderat $HP^1B^1C^1$ **17** reperirietur *bd* repperiretur *l*M

Item: 'Diuitias sine diuitis esse: ⟨tu uero uirtutem praefer diuitiis⟩; nam si uoles diuitias cum uirtute conparare, uix satis idoneae tibi uidebuntur diuitiae, quae uirtutis pedisequae sint.'

21 Ex eodem genere est exornationis, cum idem uerbum ponitur modo in hac, modo in altera re, hoc modo:

'Cur eam rem tam studiose curas, quae tibi multas dabit curas?'

Item: 'Nam amare*i* iucundum sit, si curetur, ne quid insit amari.'

Item: 'Veniam ad uos, si mihi senatus det ueniam.'

In his quattuor generibus exornationum, quae adhuc propositae sunt, non inopia uerborum fit, ut ad idem uerbum redeatur saepius; sed inest festiuitas, quae facilius auribus diiudicari quam uerbis demonstrari potest.

15 Contentio est, cum ex contrariis rebus oratio conficitur, hoc pacto:

'Habet adsentatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos adfert.'

Item: 'Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes.'

Item: 'In otio tumultuaris; in tumultu es otiosus; in re

---

9 Quintil. IX 3 69: Aliter quoque uoces aut eaedem diuersa in significatione ponuntur aut productione tantum uel correptione mutatae: quod etiam in iocis frigidum equidem tradi inter praecepta miror eorumque exempla uitandi potius quam imitandi gratia pono: Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. auium dulcedo ad auium ducit ... Cornificius haec traductionem uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum. **11** Inscriptio Pompeiana Mus. Rhen. XXXVIII 475 mihi da ueniam ut ueniam **18** Stob. flor. XIV 2 **21** Soph. Antig. 88 *θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις* (*Weidnerus*) Alexander *περὶ σχημ.* RG VIII 478 W III 36 Sp *adfert contentionis exemplum ἐπιλούουσιν ἐν θερμοῖς ὕδασι ψυχροῖς ἀνδράσιν*

---

1 diuitis *P*[2]*C* diuites *PΠB* diuite *H* diuitum **E** tu — diuitiis *om* **M** **2** conparare *H* comparare *reliqui* **3** donec *H* pedisequae *PBCd* pedissequae *HP*[2]*Πbl* **4** sunt *l*[1]*d* **7** cures *H* **9** amari **E** amare **M** iocundum *C*[2]**E** sit **M** est **E** nequid *HP* **11** mihi] modo *b* **12** quattuor *PBC* IIII (or) *HΠb* quatuor *ld* **13** positae *H*[1] eidem *b* **14** facilius *om b* **15** *post* potest *add HPB* CONTENTIO GRAUIS **16** ex contrariis *om b* rebus *om l* **18** haberet *b* assentatio **E** iocunda *C*[2]**E** **19** affert **E** **20** inexora-

frigidissima cales, in feruentissima friges; ⟨ta⟩cito cum opus est, clamas; ubi loqui conuenit, obmutescis; ades, abesse uis; abes, reuerti cupis; in pace bellum quaeritas, in bello pacem desideras; in contione de uirtute loqueris, in proelio prae ignauia tubae sonitum perferre non potes.'

Hoc genere se*i* distingemus orationem, et graues et ornati poterimus esse.

Exclamatio est, quae conficit significationem doloris aut indignationis alicuius per hominis aut urbis aut loci aut 22
rei cuiuspiam conpellationem, hoc modo:

'Te nunc adloquor, Africane, cuius mortui quoque nomen splendorei ac decori est ciuitati. Tui clarissimi nepotes suo sanguine aluerunt inimicorum crudelitatem.'

Item: 'Perfidiosae Fregellae, quam facile scelere uestro contabuistis, ut, cuius nitor urbis Italiam nuper inlustrauit, eius nunc uix fundamentorum reliquiae maneant.'

Item: 'Bonorum insidiatores, latrocinia, uitam innocentissimi cuiusque petistis; tantamne ex iniquitate iudiciorum uestris calumniis adsumpsistis facultatem?'

---

8 Quintil. IX 2, 27 Quod exclamationem quidam uocant ponuntque inter figuras orationis *conf.* IX 3, 97 **14** Aeschin. in Ctesiph. 133 *Θῆβαι δέ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων μεθ' ἡμέραν μίαν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται κτλ.* (Demetr. de eloc. 267 Herod. *περὶ σχημ.* RG VIII 598. 603 W III 97. 99 Sp Apsines *ibid* IX 500. 595 I 397. 406 Sp)

---

bilem $P^2 \Pi C$ sinexorabilem *PB* exorabilem *H* inplacabilem *b* implacabilem *ld* p. 310, **21** est $P^1 B$ solus es **E** **1** friges. tacito cum **E** friges cito cum *P* friges cito ocum *H* friges cito cum non $P^2 \Pi$ frigescis cum *B* frigescis cum non $B^2 C$ **2** ubi **E** tibi *PB* cum tibi *HΠ* tibi cum $P^2 C$ **3** obesse *H* abesse *H* reuerte C^1 cupes P^1 in apice *B* **5** prae] de prae *b* non *om b* **6** in genere *H* si distingemus *PB* sed iste (i *s. s.*) ingenius *H* si distringemus *b* si distinguemus $P^2 \Pi C l d$ onationem b^1 greues *H* (et ornati et graues *d*) **7** esse poterimus *Hd in HPB sequitur rubrica* EXCLAMATIO GRAUIS **8** conficit $P^2 B^2 C$**E** configit *HPΠB* **10** compellationem *Π***E** **11** adloquor africane *HPΠB* adloquar africane *C* alloquar affricane *l* africane alloquar *b* alloquar o affricane *d* **12** splendor ei *HPΠB* splendori *C***E** ac *PΠBC* hac *H* atque *d* aut *bl* decor *Π* **13** abluerunt **E** **14** perdiosae H^1 fregelle *b* flaegelle *l* flagellae H^1 fragellae $H^2 P \Pi B d$ fragelae *C* **15** inlustrabit *H* illustrauit **E** **16** reliquiae maneant *Π***E** reliqui remaneant *HPB* reliquiae remaneant *C* **17** item] rem *H* latrocinia *HPΠB* latrocinio $P^2 C$**E** uitam $P^2 C$**E** uitae *HPΠB* **18** petitis *b* tantam ne *HPB* **19** calumpniis assumpsistis **E** calumniatoribus adsumitis **M** *error ex nota quadam*

Hac exclamatione si loco utemur, raro, et cum rei magnitudo postulare uidebitur, ad quam uolemus indignationem animum auditoris adducemus.

Interrogatio non omnis grauis est neque concinna, sed haec, quae, cum enumerata sunt ea, quae obsunt causae aduersariorum, confirmat superiorem orationem, hoc pacto:

'Cum igitur haec omnia faceres, diceres, administrares, utrum ⟨animos sociorum ab re publica remouebas et abalienabas, an non? et utrum⟩ aliquem exornare*i* oportuit, qui istaec prohiberet ac fieri non sineret, an non?'

16
23 Ratiocinatio est, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, quare quicque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus unius cuiusque propositionis explanationem. Ea est huiusmodi:

'Maiores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? Quam inpudicam iudicarant, ea

---

4 Quintil. IX 3, 98 Adicit his . . . Cornificius interrogationem, ratiocinationem, subiectionem, transitionem, occultationem, praeterea sententiam, membrum, articulos, interpretationem, conclusionem. Quorum priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt 8 Demosth. de cor. 71 *ἀλλ' ὁ τὴν Εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος καὶ . . . πότερον ταῦτα πάντα ποιῶν ἠδίκει καὶ παρεσπόνδει καὶ ἔλυε τὴν εἰρήνην ἢ οὔ; καὶ πότερον φανῆναί τινα τῶν Ἑλλήνων τὸν ταῦτα κωλύσοντα ποιεῖν αὐτὸν ἐχρῆν ἢ μή;* (Demetr. de eloc. 279 Alex. *περὶ σχημ.* RG VIII 455 W III 25 Sp Tiber. *περὶ σχημ. ibid* 542 W 65 Sp *alii*) *Spengelius* **12** *uide ad 4* **17** Quintil. V 11, 39 Si causam ueneficii dicat adultera, non M. Catonis iudicio damnanda uideatur, qui nullam adulteram non eandem esse ueneficam dixit? conf. Seneca controu. VII 3 (18), 6

---

1 et *om* H^1 **2** uidetur E ingenationem $P^1 B^1$ indigninationem *C* **3** *post* adducemus *add HPB:* INTERROGATIO MEDIOCRIS **4** est non $H^1 b^1$ ominis *B* **5** quae *om B* cum eum *H* enumeta *b* **6** adnecessariorum *H* rationem *d* **8** administrarum *H* amministrares *d* **9** animos — utrum *om* M re p. *bl* .R. P. *d* **10** exornari (exornare H^1) M exorari *ld* exortari *b* exoriri *Halmius* **11** istec E ista (istā *H*) et M an] at *H* ac B^1 *post* non *add HPB* RATIOCINATIO MEDIOCRIS **12** est *om* H^1 **13** posuimus *H* quicque *H* quic̃ *B* quicquae *P* quidque *C*E quidquid *Π* **14** propositiones H^1 Ea $P^2 C$E Facta *PΠ* facta *HB* **16** unus *PB* **18** quam

ueneficii quoque damnata exe*i*stimabatur. Quid ita? quia necesse est eam, quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati, timere multos. Quos istos? Virum, par⟨*en*⟩tes, ceteros, ad quos uidet sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? Quos tantopere timeat, eos necesse est, *** ⟨Quare necesse est?⟩ Quia nulla potest honesta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura mulieris inconsideratam. Quid? ueneficii damnatam quid putabant? Inpudicam quoque necessario. Quare? Quia nulla facilius ad id maleficium causa, quam turpis amor et intemperans libido commouere potuit; tum cuius mulieris animus esset corruptus, eius corpus castum esse non putauerunt. Quid? in uiris idemne hoc obseruabant? Minime. Quid ita? Quia uiros ad unum quodque maleficium singulae cupiditates inpellunt, mulieris ad omnia maleficia cupiditas una ducit.'

Item: 'Bene maiores hoc comparauerunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, uita priuarent. Quid ita? Quia, quam nobis fortuna facultatem dedisset, inicum erat in eorum supplicium consumere, quos eadem fortuna paulo ante in amplissimo statu conlocarat. Quid, quod exer-

HPΠ quoniam quam *BC*E quamquam b^2 in publicam *b* impudicam *ld* iudicarent *H* eam E 1 ueneficam *bl* dapnatam E existimabatur (exestimabatur *H*) M existimabant (existabant *b*) E Quod $P^1Π$ 3 temere *B* permultos E partes HP^1B^1 potentes b^1 5 quod *H* necesse est *** Quare necesse est? quia] necesse est quia *HPΠB* necesse est ut quoquo modo possit ueneficio petat. Cur? Quia *C* necesse est ut quoquo modo possit ueneficio petat. Quare necesse est eam quam E *lacunam sic fere expleas* iniuria quauis de medio tollere uelit. 6 nullam potes *b* 7 intemperantia *ΠC* intemperantiam *HPB* intemperantem E 8 naturam M mulieris M mulieris (muliebris *d*) faciat necesse est E consideratam H^1 9 inpudicem *H* impudicam E 12 poterit *H* tum *Hd* cum *reliqui* 13 castum esse $ΠC^2d$ esse castum *l* cautum esse *HPBC* esse cautum *b* idem ne *HPB* 14 hoc *om bl* 15 quodque] quidem *H* inpellunt *PBC* inpediunt *H* impellunt E*H* 16 mulieris *H* mulieres *reliqui* adducit *d* 17 uene *P* ue ne *B* uen H^1 nostri maiores *d* conparauerunt *HPB* comparauerunt *reliqui* ut *om H* 18 quam *B* 19 quem *P* fortunā *HB* dedisse *HB* inicum *PB* iniquum *reliqui* in *om C* 20 eorum E forum *HB* foro *PΠC* supplicio $P^2Πld$ suplicio *b* sumere H^1 21 conlocaret *H* collocarat *bl* collocauit *d*

citum contra duxit? Desino meminisse. Quid ita? Quia uiri fortis est, qui de uictoria contendant, eos hostes putare; qui uicti sunt, eos homines iudicare, ut possit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. Et ille, si uicisset, non idem fecisset? Non profecto tam sapiens fuisset. Cur igitur ei parcis? Quia talem stultitiam contemnere, non imitari consueui.'

24 Haec exornatio sermonem uehementer *ad*commodata est et animum auditoris retineat attentum cum uenustate sermonis tum rationum expectatione.

17 S e n t e n t i a est oratio sumpta de uita, quae ⟨*a*⟩ut quid sit aut quid esse oporteat in uita, breuiter ostendit, hoc pacto:

'Difficile est primum *** uirtute⟨s⟩ reuereri, qui semper secunda fortuna sit usus.'

Item: 'Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini seruit.'

Item: 'Egens aeque est is, qui non satis habet, et is, cui satis nihil potest esse.'

Item: 'Optima uiuendi ratio est eligenda; eam iucundam consuetudo reddet.'

Huiusmodi sententiae simplices non sunt inprobandae, propterea quod habet breuis expositio, si rationis nullius indiget, magnam delectationem.

Sed illud quoque probandum est genus sententiae, quod confirmatur subiectione rationis, hoc pacto:

'Omnes bene uiuendi rationes in uirtute sunt con-

---

11 *uide ad* p. 312, 4

---

5 num *d* **6** fuisset **M***d* esset *bl* talem $B^2 \Pi$**E** aetatem *HPB* aetatis *C* **7** consueuit *H* **8** sermonem *H* ad sermonem *reliqui* acommodata *H* accōmoda//,// *l* accommodata *reliqui* **9** et *om B* retineat *HPB* retinet *ΠC***E** **10** ratione *H post* expectatione (ex spectatione *H*) *add HPB:* SENTENTIA MEDIOCRIS **11** praetio *H* ut *HPB* **12** oporteat esse *H* **13** plurimum *Lambinus: lacunam sic fere expleas* quidque. Item: Non solet is potissimum uirtutes blP^2C^2 uirtutem *d* uirtute **M** **14** fortuna secunda *bd* **18** et eam *d* eaquae *H* iucundum P^1 iocundam ΠC^2**E** **19** consuetudinem *H* **20** inprobandae *HC* improbandae *reliqui* **21** habent breues expositiones *H* rationes *H* indigent *H* **24** confirmatur $P^2B^2\Pi Cld$ non firmatur *PB* non infirmatur *H* firmatur *b* subiectionis *H* **25** uirtutes HB^1 collocandae *H***E**

locandae, propterea quod sola uirtus in sua potestate est, omnia praeterea subiecta sunt sub fortunae dominationem.' Item: 'Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, hi, simul ac fortuna dilapsa est, deuolant omnes. Cum enim recessit ea res, quae fuit consuetudinis causa, nihil superest, quare possint in amicitia teneri.'

Sunt item sententiae, quae dupliciter efferuntur. Hoc modo sine ratione:

'Errant, qui in prosperis rebus omnis impetus fortunae se putant fugisse; sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus aduersos reformidant.'

Cum ratione, hoc pacto:

'Qui adulescentium peccatis ignosci putant oportere, 25
falluntur, propterea quod aetas illa non est inpedimento bonis studiis. At ii sapienter faciunt, qui adulescentes maxime castigant, ut, quibus uirtutibus omnem tueri uitam possint, eas in aetate maturissima uelint conparare.'

Sententias interponi raro conuenit, ut rei actores, non uiuendi praeceptores uideamur esse. Cum ita interponentur, multum adferent ornamenti. Necesse est enim conprobet eam tacitus auditor, cum ad causam uideat adcommodari rem certam, ex uita et moribus sumptam.

16 Priscian. GL II p. 95, 14 Inuenitur tamen etiam maturissimus... Cicero ad Herennium libro V: quibus uirtutibus omnem tueri uitam possint, eas in aetate maturissima uelint comparare

2 casum *ΠPΠB* **3** conueniat *PB* maleficia////// *H del Lambinus* maleficio *Klotzius locus lacunosus esse uidetur: suppleas ueluti* malefici *ratione fieri* **4** non posse *d* non non posse *l* **5** est haec *l* **6** causae *om H* ferme *om d: in l m1 s. s.* fere **7** *post* nonnumquam *add HPB:* EXPOLITIO **10** ea autem **E** **11** plane *om H* rem dicemus *H* **12** eandem rem *om* B^1 dicimus *l* eorum P^1B^1 **13** quidem *bl* quod *HPΠB om Cd* obtundere auditorem est *l* auditorem est obtundere *d* obtundere est auditorem *b* optinere auditorem est **M** sed] et *C* **14** commutare *b* cum muta rae *C* commutabitur H^1 commutatio fit *bl* **15** tractando *om* H^1 **16** cum] si cum *bl* res *H***E** semel est *bl* iterum] uerum HP^1 **17** quaeidem *PΠ* quidem *H* res proferetur P^2*ΠC***E** res proferretur *PB* refe retur *H* **20** uitandam *PB* uitando *H* a///'getur *H* augetur *d* incolomitas **M** **21** per petua *B* erat P^1*Π* **22** futuris *H* re/// H^1 **23** publicae] p̃ **M** .p. **E** putauit *HPΠB* **24** per *H* studio se *H* studose P^1

Pronuntiando commutabimus, si cum in sermone, tum in acrimonia, tum in alio atque alio genere uocis atque gestus eadem uerbis commutando pronuntiationem quoque uehementius inmutarimus. Hoc neque commodissime scribi potest neque parum est apertum; quare non eget exempli.

Tertium genus est commutationis, quod tractando con- 55
ficitur, si sententiam traiciemus aut ad sermocinationem aut exsuscitationem.

Sermocinatio est — ⟨*de*⟩ qua planius paulo post ⟨s⟩uo 43
loco dicemus, nunc breuiter, quod ad hanc rem satis sit, attingemus —, in qua constituetur alicuius personae oratio adcommodata ad dignitatem, hoc modo, ut, quo facilius re⟨s⟩ cognosci possit, ne ab eadem sententia recedamus:

'Sapiens omnia rei publicae causa suscipienda pericula putabit. Saepe ipse secum loquitur: 'Non mihi soli, sed etiam atque adeo multo potius natus sum patriae; uita, quae fato debetur, saluti patriae potissimum soluatur. Aluit haec me; tute atque honeste produxit usque ad hanc aetatem; muniuit meas rationes bonis legibus, optumis ⟨moribus, honestissimis⟩ disciplinis. Quid est, quod a me satis ei persolui possit, unde haec accepta sunt?'

15 Platon. epist. IX p. 358 A *ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται*

3 eandem *H* pronuntiatione *Bbl* **4** inmutarimus **M** immutabimus *bl* commutabimus *d* hoc neque] hoc nđ *H* Haec quoq; *bl* commodisseme *P* **5** non potest *bl* eget ' *H* eget (e *secunda in ras*) *P* exemplis *H* exemplum *aut* exemplis P^1 **6** est *om b* **7** sermotionationem *H* **8** exuscitationem *l* **9** sermocinatio est **E** sermocinationẽ **M** (sermotinatione *H*) de qua *B*E qua *H* quā *PΠC* suo loco **E** uo loquo *H* uolo quo *B om PΠC* **10** ad] had *P om H* **11** persona *H* **12** accommodata **E** ut *om d* res agnosci *d* recognosci *HPΠ* **13** nec *C* ab *om H* **14** qui omnia **E** rei p̃ **M** rei .p. **E** **15** putauit *HPB* loquitur *PΠB*E loquetur H^2P^2C loquet *H* **16** multo *om b* **17** facto *HPΠ* pariae *C* fariae *HP* saluatur *C* **18** aliud *HΠ* perduxit Hl^1 **19** muniuit **E** monuit **M** me has *H* optumis *PΠB* optimis *reliqui* **20** moribus honestissimis *om* **M** quod est *b* **21** haec *om H* accepta sunt] accepta sunt? Quare *bl* accipies. inde *H* accipies. in *PΠB* accepi in *C* accepi *d*

Haec loquetur secum sapiens saepe: in periculis rei publicae nullum ipse periculum fugiet.'

Item mutatur res tractando, si traducitur ad ⟨ex⟩suscitationem, cum et nos commoti dicere uideamur, et auditoris animum commouemus, sic:

'Quis est tam tenui cogitatione praeditus, cuius animus tantis angustiis inuidiae continetur, qui non hunc hominem studiosissime laudet et sapientissimum iudicet, qui pro salute patriae, pro incolumitate ciuitatis, pro rei publicae fortunis quamuis magnum atque atrox periculum studiose
56 suscipiat et libenter subeat? Equidem hunc hominem magis cupio satis laudare quam possum; idemque hoc certo scio uobis omnibus usu uenire.'

Eadem res igitur his tribus in dicundo commutabitur rebus: uerbis, pronuntiando, tractando; *commutabimus ⟨tractando⟩* dupliciter: sermocinatione *⟨et exsuscitatione.⟩*

Sed de eadem re cum dicemus, plurimis utemur commutationibus. Nam cum rem simpliciter pronuntiarimus, rationem poterimus subicere; deinde dupl*iciter* uel sine rationibus uel cum rationibus pronuntiare; deinde afferre contrarium — de quibus omnibus diximus in uerborum exornationibus —; deinde simile et exemplum —
44 de quo suo loco plura dicemus —; deinde conclusionem, de qua in secundo libro, quae opus fuerunt, diximus, de-

1 haec *om H* haec — sapiens *om d* loquitur *bl* sapiens secum *l* saepe *H*[1] saepe. Ergo *C* saepe ego *H*[2] *reliqui* publicae *H* p̄ *PΠBC* .p. E 2 fugiet *PBC* fugi. Et *HΠ* fugi E 3 exsuscitationem *d* exuscitationem *l* suscitationem *b*M 5 commonemus *H*[1] si *H* 6 cogitatione E prouocatione M animis *H* 7 huc *P* 8 studiossime *b* studientissime *H* 9 incolumitate *bdP*[2] incolomitate M*l* publicae *H* p̄ *PΠBC* .p. E 10 studiosissime *ld* 11 haec quidem *H* 12 possim *b* 13 certe E ausu M euenire *d* 14 igitur res *ld* indicundo *PB* in dicundo *Cl* in dicendo *HΠbd* 15 tratando *H*[1] trantando *H*[2] commutabimus tractando] *om HPΠBbl* sed tractando *Cd* 16 sermocinationē *PC* sermocinitionē *H* et exsuscitatione *Bbd* et exsuscitationē *C* exuscitatione *l om HPΠ* 17 diximus *b* pluribus *d Omnibonus* 18 simplicem *d* pronuntiarimus *P*[2]*ΠBC* pronuntiaremus *HP* pronuntiauerimus E 19 dupliciter *Gracuius*] duplicē (uel duplicē *d*) 20 cum rationibus *P*[2]*B*[2]*C*E cum actionibus *HΠB* cum accionibus *P* 22 et *om H* 23 suo] scio *b* 24 in .II. (*s. s.* o) libro in quo opus fuerat *H*

monstrantes argumentationes quemadmodum concludere oporteat: in hoc libro docuimus, cuiusmodi esset exornatio uer*borum*, cui conclusioni nomen est. Ergo huiusmodi uehementer ornata poterit esse ⟨ex⟩politio, quae constabit ex frequentibus exornationibus uerborum et sententiarum. Hoc modo igitur septem partibus tractabitur — *ut* ab eiusdem sententiae non recedamus exemplo, ut scire possis, quam facile praeceptione rhetoricae res simplex multiplici ratione tractatur:

57 'Sapiens nullum pro re publica periculum uitabit, ideo quod saepe, cum pro re publica perire noluerit, necesse erit cum re publica pereat, et, quoniam omnia sunt commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum est.

Ergo qui fugiunt id periculum quod pro re ⟨*publica*⟩ subeundum est, stulte faciunt: nam neque effugere incommoda possunt et ingrati in ciuitate*m* reperiuntur. At, qui patriae pericula suo periculo expetant, hi sapientes putandi sunt, cum et eum, quem debent, honorem rei publicae reddunt et pro multis perire malunt, quam cum multis.

Etenim uehementer est inicum uitam, quam a natura

---

1 argumentationes **E** argumentationem (armentationem H^1) **M** quem admodum *B* conducere *d* 2 et in *bl* docuimus in hoc libro *H* esset illa *d* uerborum] uerb̄ *PΠ* uerb̄i *C* uerbis *HB* uerbi **E** 3 conclusio *HC* 4 politio **M** 6 .VII. *Hbl* ut *Lambinus* et **M** sed **E** 7 recedemus *d* 8 rhetoricae *B* rethoricae *reliqui* 9 tratatur C^1 tractetur **E**: *add HPBC:* SIMPLEX 10 nullus *H* re publica *HB* rp̄ *PΠ* p̄ *C* re .p. **E** uitauit *HPΠB* 11 saepe **M** saepe fit ut **E** pro *om* H^1 re .p. **E** re p̃ *PΠB* p̃ *C* re publ *H* uoluerit bl^1 necesse erit **M***d* necessario *bl* 12 re publica *l* re p̃ *HB* rp̃ *PΠ* p̃ *C* r .p. *b* re .p. *d* *post* pereat *add HPBC:* RATIO 13 a *om HP* et nullum *l* 14 esse *d* 15 er H^1 ad l^1 re .p. **E** re p̃ *ΠC* re *HPB* (prore *coniuncte B*) 16 fugere id possunt *l* 17 in ciuitatem *Omnibonus* in ciuitate **M***bl* ciuitati *d* repperiuntur *PB*: *add HPB:* SIMPLEX 18 periculo *H* expetant *HPΠ* expectant *B* expetunt P^2B^2C**E** 19 debet *l* habent debent b^1 horem P^1 20 publicae *H* p̃ *PΠBC* .p. **E** et *om H* 21 *post* multis *add HPB:* CONTRARIUM 22 inicum *PB* inimicum *H* iniqum *C* iniquum *Π***E**

acceptam propter patriam conseruaris, naturae cum cogat reddere, patriae cum roget non dare, et, cum possis cum summa uirtute et honore pro patria interire, malle per dedecus et ignauiam ⟨uiuere, et cum⟩ pro amicis et parentibus et ceteris necessariis adire ⟨periculum uelis,⟩ pro re publica, in qua et haec ⟨*et*⟩ illud sanctissimum patriae nomen continetur, nolle in discrimen uenire.

Ita uti contemnendus est, qui in nauigio *non* nauem quam se mauult incolumem, item uituperandus, qui in re publicae discrimine suae plus quam communi saluti consulit. Naui enim fracta multi incolumes euaserunt; ex naufragio patriae saluus nemo potest enatare.

Quod mihi bene uidetur Decius intellexisse, qui se deuouisse dicitur et pro legionibus in hostis inmisisse medios. Amisit uitam, at non perdidit. Re enim uilissima ⟨certam⟩ et parua maximam redemit. Vitam dedit, accepit patriam; amisit animam, potitus est gloriam, quae cum summa laude prodita uetustate cot⟨t⟩idie magis enitescit.

1 Plato l. s. s. *καλούσης δὲ τῆς πατρίδος αὐτῆς πρὸς τὰ κοινὰ ἄτοπον ἴσως τὸ μὴ ὑπακούειν* Cic. Phil. X 10, 20

1 coeptam *H* conseruaueris **E** natura *H* 2 et *om H* 3 male quam *b* (quam *expunctum*) 4 per ignauiam *bl* uiuere et cum *om* **M** 5 et ceteris] ceteris *H* obire P^2C periculum uelis *om* **M** re .p. *bd* re p̃ *H* rp̃ *PΠBC* r .p. *l* 6 qualibet b^1 et *om b* hoc *d Lambinus* et *C***E** *om HPΠB* satissimum *H* patriae nomen] premonẽ *H* paromonem *PΠB* patrimonium *C* nomen patriae **E** 7 nole *H* in] n *H* *post* uenire *add HPB:* SIMILE 8 itaq; **E** nauigando **E** non *add Halmius* nauem quam se **M** nauim quam se *bd* se quam nauim *l* (*in ras praeter* s) 9 incolomem *HΠb* ita **E** uituperandus est **E** re p̃ H^1 re .p. *d* r p̃ *PΠBC* rei .p. *bl* rei p̃ H^2 10 discrimini suo P^2Cd plus *om* H^1 con munis (*uersus fine diremptum*) salutis *H* cosulit H^1 11 incolomes *Hbl* euaserunt *bl* fuerunt *d***M** 12 naugio H^1 *post* enatare *add HPB:* EXEMPLUM 14 et pro legionibus *PΠBC* et pro legionibus suis *d* et pro relegionibus H^1 (religionibus H^2) pro legibus et se *bl* hostis *H* hostes *reliqui* inmisisse *PBCbl* immisse *H* immisisse *Πd* 15 unde amisit *bl* at *C***E** an *HPΠ om B* enim pro *d* 16 certam *bl* egregiam *d om* **M** caram *Lindemannus* dedit uitam *bl* 17 gloria *Hld* 18 uetustate *H***E** uenustate *PΠBC* cotidie magis **M** magis cotidie (cottidie *l*) **E** 19 *post* enitescit *add* CONCLUSIO *in HPB*

Quodsi pro re publica decere accedere periculum et ratione demonstratum est et exemplo conprobatum, *ii* sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriae periculum uitant.'

In his igitur generibus expolitio uersatur, de qua pro- 58
ducti sumus, ut plura diceremus, quod non modo, cum causam dicimus, adiuuat et exornat orationem, sed multo maxime per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conueniet extra causam in exercendo rationis adhibere expolitionis, in dicendo uti, cum exornabimus argumentatione⟨m,⟩ de qua re diximus in libro secundo.

C o m m o r a t i o est, cum in loco firmissimo, quo tota 45
causa continetur, manetur diutius et eodem saepius reditur. Hac uti maxime conuenit et id est oratoris boni maxime proprium. Non enim datur auditori potestas animum de re firmissima demouendi. Huic exemplum satis idoneum subici non potuit, propterea quod hic locus non est a tota causa separatus sicuti membrum aliquod, sed tamquam sanguis perfusus est per totum corpus orationis.

C o n t e n t i o est, per quam contraria referentur. Ea est in uerborum exornationibus, ut ante docuimus, huiusmodi:

'Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes.'

In sententiarum huiusmodi:

'Vos huius incommodis lugetis, iste rei publicae calamitate laetatur. Vos uestris fortunis diffiditis, iste solus suis eo magis con⟨*fi*⟩dit.'

1 publ *H* p̃ *PΠBC* .p. E debere P^2d accedere M suscipere E 2 rationem *HPB* oratione *l* et *om H* conprobatum *HPBC* comprobatum *reliqui* ii *Aldus* hi M*d* Quare hi *bl* 7 multa *H* 8 elocutiones *HPB* 9 exercenda *b* rationis *HPB* ratione *b* rationes *ΠCld* 10 uti cum $P^2ΠC$E uticam *PB* ut iam *H* exornationibus argumentatione M 11 qua de *H* secundo libro *bl: add HPB:* C̄OMORATIO 12 libro *H* aquo *H* 13 redditur *H* 14 ac *B* conueniet *Hd* et *om H* 15 auditorē H^2 16 dimouendi E 17 est a tota causa *C*E a tota causa est *B* statuta causa *PΠ* statutū est causa *H* 18 aliquod $P^2Π$E aliquot *C* illi quod *HPB* se *B* 19 profusus M: *in HPB sequitur* CONTENTIO 20 referuntur *B*E 21 exorationibus *l* ante diximus *bl* 22 inimicis — huiusmodi *om B* te *om l* 24 uos huiusmodi *H* uos estis huius b^1 et iste *d* rei publicae *l* rei p̃ *H* rei .p. *bd* rp̃ *PΠBC* 25 solus *om d* 26 confidit $P^2ΠBC$E condit *HP*

Inter haec duo contentionum genera hoc interest: illud ex uerbis celeriter relatis constat; hic sententiae contrariae ex conparatione referantur oportet.

59 Similitudo est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. Ea sumitur aut ornandi causa aut probandi aut apertius dicendi aut ante oculos ponendi. ⟨Et⟩ quomodo quattuor de causis sumitur, item quattuor modis dicitur: per contrarium, per negationem, per conlationem, per breuitatem. Ad unam quamque sumendae causam similitudinis adcommodabimus singulos modos pronuntiandi.

46 Ornandi causa sumitur per contrarium sic:

'Non enim, quemadmodum in palaest⟨ra⟩, qui taedas candentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille, qui tradit, item melior imperator nouus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit; propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic peritus imperator inperito exercitum tradit.'

Hoc sine simile*i* satis plane et perspicue et probabiliter dici potuit hoc modo: 'Dicitur minus bonos imperatores a melioribus exercitus accipere solere'; sed ornandi causa simile sumptum est, ⟨*ut*⟩ orationi quaedam dignitas conparetur. Dictum autem est per contrarium. Nam tum similitudo sumitur per contrarium, cum ei rei, quam nos probamus, aliquam rem negamus esse similem. [ut paulo ante, cum de cursoribus adserebatur.]

1 contentionis *H* inter est *B* quod illud *d* **2** ex] in *b* hoc *H*^{2} contrariae sententiae **E** **3** ex *om l* conparatione *HC* comparatione *reliqui* referatur *H*: *in HPB nulla rubrica interposita continuatur* **4** quempiam *B* **5** ex re] extra *Π* Et ea *d* **6** discendi *HPΠB* **7** Et *om d***M** quattuor *PΠBC* quatuor *bd* .IIII. *s. s.* or *H* .IIII. *l* ita **E** quattuor *PΠBC* quatuor *d* .IIII. *s. s.* or *H* .IIII. *bl* **8** per contrarium] quae contrarium *H* conlationem *P*^{2}*C* conlutionem *Π* collationem **E** conlocationem *ΠP* collocationem *B* **9** sumendi *Π* sumendā *bl* **10** accommodabimus *P*^{2}*ΠB***E** **12** ornandi *om H*^{1} quod per *bl* contrium *C* sic dicitur *bl* **13** palestra **E** palam (pala *Π*) est **M** **14** candentes *P*^{2}*Π*^{2}*d* cadentes **M** ardentes *b* uel ardentes *l* incursu *B* **15** ita **E** accepit *H*^{1} **17** cursor *om b* facen *C* inperito *H* imperito *reliqui* exercitu *H* **19** simile *H* simili reliqui satis *om H*^{1} **20** duci *H* **21** exercitu *Π* **22** ut *om Π* (*in ras*) *P* conparetur *ΠPC* comparetur *ΠBd*

Per negationem dicetur probandi causa hoc modo:

'Neque equus indomitus, quamuis bene natura conpositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates, quae desiderantur ab equo; neque homo indoctus, quamuis sit **ingeniosus, ad uirtutem potest peruenire.'**

Hoc probabilius factum est, quod magis est ueri simile non posse uirtutem sine doctrina conparari, quoniam ⟨quidem⟩ ne equus quidem indomitus idoneus possit esse. Ergo sumptum est probandi causa, dictum autem per negationem; id enim perspicuum est de primo similitudinis uerbo.

Sumetur et apertius dicendi causa simile — dicitur 47 60
per breuitatem — hoc modo:

'In amicitia gerenda, sic⟨*ut*⟩ in certamine currendi, non ita conuenit exerceri, ut, quoad necesse sit, uenire possis, sed ut productus studio et uiribus ultra facile **procurras.'**

Nam hoc simile est, ut apertius intellegatur mala ratione facere, qui reprehendant eos, qui uerbi causa post mortem amici liberos eius custodiant, propterea quod in cursore tantum uelocitatis esse oporteat, ut efferatur ultra finem, in amico tantum beniuolentiae, ⟨ut ultra quam quod amicus sentire possit, procurrat amicitiae⟩ studio. Dictum autem simile est per breuitatem. Non enim ita, ut in ceteris

2 Himer. or. XXIV 3 *οὕτω καὶ ἵππος ταχὺς πρὸς δρόμον γίγνεται ὅταν μὴ μᾶλλον ἀπὸ τῆς φάτνης ἢ τῆς μελέτης βλέπῃ τὸ στάδιον* Varro **sat. Menipp. 559 B**

compararetur *bl* p. 360, **25** ut — adserebatur *del Schuetzius* **26** asserebamus *bl* **1** dĩ *H* **2** conpositus *HPC* compositus *reliqui* **3** ideus H^1 **et aptus quae** ***bl*** **6 quo** ***C*** **7 posset** ***b*** **conparari** ***HP*** **com**parari *reliqui* quoniam quidem *bl* quoniam *d***M** **8** ne *HPΠ* **nec** P^2***C*****E neq;** ***B*** **9 dictum est** ***b*** **autem** ***om b*** **autem est** ***d*** enim **E** cum **M** **11** Dicitur autem **E** **13** in an *HP* gerunda **E** sic *HPC* currendã *H* **14** quo ad **M***l* **15** producto *B***E** ultra *d* ultro *reliqui* **16** procuras *HPB* **17** est simile **E** intelligatur **E** **18** facere P^2*Cd* facile *HPΠ* facilē *B* facere eum *bl* reprehendat *bl* **19** libere sententiae custodiant *H* et in *l* **20** cursorem *P* uelocitas ***b s. s.*** **ti** ultra *HPΠB* usque ad *C***E** **21 et in** ***bl*** **beniuolentiã** ***H*** ut ultra quam quod amicus sentire possit procurrat amicitiae studio *bl* studio *HPB* studiũ *Π* studium ut efferatur ultra finem *Cd* **23** est autem simile ***Hb***

rebus, res ab re separata est, sed utra<e>que res coniuncte et confuse pronuntiatae.

Ante oculos ponendi negotii causa sumetur similitudo — dicetur per conlationem — sic:

'Uti citharoedus cum prodierit optime uestitus, palla inaurata inductus, cum clamyde purpurea coloribus uariis intexta, et cum corona <aurea>, magnis fulgentibus gemmis inluminata, citharam tenens exornatissimam auro et ebore distinctam, ipse praeterea forma et specie sit et statura adposita ad dignitatem, si cum magnam populo commorit iis rebus expectationem, repente, silentio facto, uocem mittat acerbissimam cum turpissimo corporis motu, quo melius ornatus et magis fuerit expectatus, eo magis derisus et contemptus eicitur; item, si quis in excelso loco et

5 Lucian. *πρὸς τὸν ἀπαίδευτον* 8: *ἧκεν οὖν ἐς τοὺς Δελφοὺς τοῖς τε ἄλλοις λαμπρὸς καὶ δὴ καὶ ἐσθῆτα χρυσόπαστον ποιησάμενος καὶ στέφανον δάφνης χρυσῆς κάλλιστον ὡς ἀντὶ καρποῦ τῆς δάφνης σμαράγδους εἶναι ἰσομεγέθεις τῷ καρπῷ, τὴν μέν γε κιθάραν αὐτὴν ὑπερφυές τι χρῆμα ἐς κάλλος καὶ πολυτέλειαν, χρυσοῦ μὲν τοῦ ἀκηράτου πᾶσαν, σφραγῖσι δὲ καὶ λίθοις ποικίλοις κατακεκοσμένην . . . θαῦμα μέγα τοῖς ὁρῶσιν. ἐπεὶ δ' οὖν ποτὲ καὶ ἧκεν ἡ τοῦ ἀγῶνος ἡμέρα . . . ἐσέρχεται ὅλος περιλαμπόμενος τῷ χρυσίῳ καὶ τοῖς σμαράγδοις καὶ βηρύλλοις καὶ ὑακίνθοις· καὶ ἡ πορφύρα δὲ ἐνέπρεπε τῆς ἐσθῆτος ἣ μεταξὺ τοῦ χρυσοῦ διεφαίνετο. τούτοις ἅπασι προεκπλήξας τὸ θέατρον καὶ θαυμαστῆς ἐλπίδος ἐμπλήσας τοὺς θεατάς, ἐπειδή ποτε καὶ ᾆσαι καὶ κιθαρίσαι πάντως ἔδει, ἀνακρούεται μὲν ἀνάρμοστόν τι καὶ ἀσύντακτον, ἀπορρήγνυσι δὲ τρεῖς ἅμα χορδὰς σφοδρότερον τοῦ δέοντος ἐμπεσὼν τῇ κιθάρᾳ, ᾄδειν δὲ ἄρχεται ἀπόμουσόν τι καὶ λεπτόν, ὥστε γέλωτα μὲν παρὰ πάντων γενέσθαι τῶν θεατῶν, τοὺς ἀθλοθέτας δὲ ἀγανακτήσαντας ἐπὶ τῇ τόλμῃ, μαστιγώσαντας αὐτὸν ἐκβαλεῖν τοῦ θεάτρου* (Luciani editt, Halmius)

1 utraeq; *bl* utraque *d*M coniunte *H*[1] **2** pronuntiatae *bl* conparata *HPC* comparata *ΠBd* **3** sumitur *H* **4** dicetur *PΠ* dr̄ *H* cum dicitur *b* cum dicetur *BCld* collationem E **5** cytharedus *l* estharedus *H* citharedus *reliqui* palam *H* pallam *PΠC* **6** inauratam *PΠC* inductus] induitur *HPΠB* indutus *P*[2]*C*E cum clamyde *C* cum clamide *ΠB*E cū clamidem *P* cunclā id est *H* purpuream *HP* uarii *C* **7** intexta E corporis intexta *PΠBC* corporis sint texta *H* coronam *H* aurea magnis *bl* magnam *H* magna *reliqui* **8** inluminatam *HB* illuminata E cytharam *l* **9** praeter ea *H* praeterea corporis *Friedrichius* **10** apposita E populi *l* commorit iis *Orellius* commorit his *d* cominoritiis *P* cū mi////noriticis *H* comitior iis *B* in comitiis *Π* commouerit iis *C* commouerit his *bl* **12** emittat E aceruissimam *HPB* **13** ornatus M fuerit ornatus *d* ornatus sit *bl* fuerit *om d* exceptatus M **14** ita *d*

in magnis ac locupletibus copiis conlocatus fortunae muneribus et naturae commodis omnibus abundabit, si uirtutis ⟨et artium, quae uirtutis⟩ magistrae sunt, egebit, quo magis ceteris rebus erit copiosus et inlustris ⟨et⟩ expectatus, eo uehementius derisus et contemptus ex omni conuentu bonorum eicietur.'

Hoc simile exornatione utriusque rei, alterius inertiae [artificis] alterius stultitiae simili ratione conlata, sub aspectus omnium rem subiecit. Dictum autem est per conlationem, propterea quod proposita similitudine paria sunt omnia relata. 48

In similibus obseruare oportet diligenter, ut, cum rem 61
afferamus similem, cuius rei causa similitudinem adtulerimus, uerba ad similitudinem habeamus adcommodata. Id est huiusmodi: 'Ita ut irundines aestiuo tempore praesto sunt, frigore pulsae recedunt —' ex eadem similitudine nunc per translationem uerba sumimus: 'item falsi amici sereno uitae tempore praesto sunt; simul atque hiemem fortunae uiderunt, deuolant omnes.' Sed inuentio similium facilis erit, si quis sibi omnes res, animantes et inanimas, mutas et eloquentes, feras et mansuetas, terrestris, cae⟨les⟩tis,

1 ac *om* H^1 conlocatis *C* collocatus $P^2\Pi B$E 2 habundabit *bl* habundauit *H* si quae *C* uirtutes *Π* 3 et artium quae uirtutis *bd om l*M non sunt *Π* tegebit *HP* uel sumptibus egebit *C* 4 illustris E industriis M et expectatus *bl* expectatus *d* exceptatus qualis euaderet (euadet $P^2\Pi C$) M 6 eicitur *l* 7 simili *H* exornatio H^1 rei *bl om d* et M inertiae *PΠBC* inertia *H* inscientiae *d* inscientia *bl* 8 artificis M artificii E, *del Orellius* alteriusq; *C* et alterius *d* stultitia *b* astutia *l* simil atione H^1 collata E aspectu H^1 9 subiciet *b* collationem E 11 similitudinibus *bl* similitudine *d* 12 afferamus E (auferamus b^1) ferebamus *HPΠ* referamus *BC* simililem *H* causam M similitudine *C* adtulerimus *H* attulerimus *reliqui* 13 uerba quoque *d* accommodata E 14 irundines HC^2 erundines *PB* rundines *C* hirudines *b* hyrundines *l* hirundines *Πd* 15 fragore pulsare cedunt *H* 16 sumuntur *Hd* ita E *om H* serere nouitate *H* 17 tempore — simul *om H* simum *PB* si uentū *Π* fortuna *H* 18 uider̄ *HPΠ* uiderint *BC*E 19 quis *HCld* quid *PΠB* quisq; *b* animantes et inanimas *PΠB* animatas et inanimatas E animantes et inanimantes *HC* 20 loquentes *C* mansueta H^1 terrestres celestes maritimas *cod Leidensis 3* caelestes et terrestres et maritimas E terrestres cetes maritimas *PB* terrestris cetis maritimis *H* terrestres Ocetes et maritimas *C* terrestres et maritimas *Π*

maritimas, artificio, casu, natura conparatas, usitatas atque inusitatas, frequenter ponere ante oculos poterit et ex his aliquam uenari similitudinem, quae aut ornare aut docere aut apertiorem rem facere aut ponere ante oculos possit. Non enim res tota totae rei necesse est similis sit, sed id ipsum, quod conferetur, similitudinem habeat oportet.

49 62 Exemplum est alicuius facti aut dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propositio. Id sumitur isdem de causis, quibus similitudo. Rem ornatiorem facit, cum nullius rei nisi dignitatis causa sumitur; apertiorem, cum id, quod sit obscurius, magis dilucidum reddit; probabiliorem, cum magis ueri similem facit; ante oculos ponit, cum exprimit omnia perspicue, ⟨*ut*⟩ res prope dicam manu temptari possit. Unius cuiusque generis singula subiecissemus exempla, nisi ⟨et⟩ exemplum quod genus est, in expolitione demonstrassemus et causas sumendi in similitudine aperuissemus. Quare noluimus neque pauca, quominus intellegeretur, neque re intellecta plura scribere.

Imago est formae cum forma cum quadam similitudine conlatio. Haec sumitur aut laudis aut uituperationis causa. Laudis causa, sic:

'Inibat in proelium corpore tauri ualidissimi, impetu leonis acerrimi simili⟨*s*⟩.'

---

5 Priscian. GL II p. 197: Cicero... idem ad Herennium VI: non res tota totae rei necesse est similis sit 22 Aristot. rhet. III 4 p. 1406 b 21: *ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα 'ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν' εἰκών ἐστιν*

---

1 artificio casu natura **E** artificiosas una natura *PΠBC* artificiosa natura *H* conparatas *C* cõparata *HBΠ* c̃parata *P* comparatas **E** suscitatas *HPΠB* atq; usitatas H^1 3 ornare poterit *d* 4 rem P^2C**E** spem *HPΠB* possit *om ld* 5 toti **E** id **M** ad **E** 6 oporteat *H add HPB:* EXEMPLUM 8 praeposito *H* 9 Nam rem *C* 13 ut P^2B^2C**E** *om HPΠB* propedicam manu *HΠC* propedicamanu *PB* prope dicta manu *b* dicta prope manu *ld* 15 nisi et *bl* nisi *d***M** est **E** esset **M** expolatione *H* demonstrasemus *H* 16 causa *H* similitudinem *HPB* 17 nolumus *H* uoluimus *bl* perpauca quominus res *d* intelligeretur **E** 18 rei *H* *post* scribere *add HPB:* IMAGO SIMILI 19 formae *om H* cum quadam] quadam *d* similitudinem H^1 20 collata *l* collatio *bd* aut laudis] laudis *b* 22 Inibant proelium in *d* auri ualidissimum *H*

Vituperationis, ut in odium adducat hoc modo:

'Iste, qui cot⟨t⟩idie per forum medium tamquam iubatus draco serpit dentibus aduncis, aspectu uenenato, spiritu rabido, circum inspectans huc et illuc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus adflare, ore adtingere, dentibus insecare, lingua aspergere possit.'

Ut in inuidiam adducat, hoc modo:

'Iste, qui diuitias suas iactans, sicut Gallus e Phrygia aut ariolus quispiam, depressus et oneratus auro clamat et delerat.'

In contemptionem sic:

'Iste, qui tamquam coclea [abscondens] retentans sese tacitus quom domo totus ut comedatur aufertur.'

Effictio est, cum exprimitur atque effingitur uerbis cor- 63
poris cuiuspiam forma, quoad satis sit ad intellegendum, hoc modo:

'Hunc, iudices, dico, rubrum, breuem, incuruom, canum, subcrispum, caesium, cui sane magna est in mento cicatrix, si quo modo potest uobis in memoriam redire.'

---

2 Iste qui *ex Demosthene sumptum: uide ad* p. 349, 20

impetum *HP* in impetu *d* p. 364, **23** similis *ΠCbl* similes *d* si mili *HPB* **1** adduceat *H* inducat *l* **2** qui *om* **E** cotidie per forum **M***bd* per forum cottidie *l* iuuatus *HB* uibratus *b* **3** uenenatu H^1*b* **4** rapido **M** circumspectans **E***H* quem] quidem *H* repperiat *PΠB* **5** aliquit P^1 afflare **E** attingere *ΠC***E** *προςτρίβεσθαι* Demosthenes dentibus *om H* **6** in seccare *H* ligua H^1 aspergere $P^2ΠC$**E** aspargere *HPB* **7** in *om b* adducat *om b* **8** iactat **E** e phrigia (frigia *l*) **E** et phroegia (phrogia *H*) **M** **9** hariolus *H s. s.* u quispiam — delerat *om H* depressus et **M***d* deprehensus *bl* clamat *om bl* **10** et delerat] et deierat *PΠC* et degerat *B* deierat *d* et delirat *bl* **11** In contemptionem sic] et contēpnitur. In contēptionem sic *d* et contemnitur sicut *HPΠC* conemnitur sicut *B* et contēpnitur sic *l* et contēpnit sic *b* **12** qui *om d* cocleam *HPΠB* abscondens *del Orellius* abscondent *H* retentans *HPΠB* re et tentans *C* et retentans *d* retentat *bl* **13** tacite *bl* quom domo] quomodo *HPΠB* quodam modo *C* cum domo **E** totus ut comedatur **E** ut tutus comeditur **M** auferetur *H* et aufertur *C* *add HPB:* EFFECTIO **14** efficio *Aldus*] effectio effringitur *b* effigiatur *d* **15** quo ad *l* quod ad *H* intelligendum *bd* **17** hunc *om H* incoruum *HP* incuruum *reliqui* **19** siquomodo *PB* uenire in memoriam *d*

Habet haec exornatio cum utilitatem, si quem uelis demonstrare, tum uenustatem, si breuiter et dilucide facta est.

50 Notatio est, cum alicuius natura certis describitur signis, quae, sicuti notae quae naturae sunt adtributa; ut si uelis non diuitem, sed ostentatorem pecuniosi describere:

'Iste,' inquies, 'iudices, qui se dici diuitem putabat esse praeclarum, primum nunc uidete, quo uultu nos intueatur. Nonne uobis uidetur dicere: † Dant, si mihi molesti non essetis? Cum uero sinistra mentum subleuauit, existimat se gemmae nitore et auri splendore aspectus omnium praestringere. Cum puerum respicit hunc unum, quem ego noui — uos non arbitror —, alio nomine appellat, deinde alio atque alio. 'At eho tu,' inquit, 'ueni, Sannio, ne quid is barbaris turbent;' ut ignoti, qui audient, unum putent selegi de multis: ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur aut ab auunculo rogetur Aethiops, qui ad balneas ueniat, aut asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquod fragile falsae choragium gloriae conparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant: 'Videto, ut diligenter numeretur, si potest, ante noctem.' Puer, qui iam bene *erei* naturam norit: 'Tu illo ⟨plures⟩ mittas

---

1 exorntio H^1 tum l^2d ueli H^1 **2** uetustatem *l* *post* est *add HPB*: NOTATIO **3** a certis *H* discribitur *PBC* **4** quae *PΠB* q; *H* quaedam P^2B^2CE attributa *ΠC*E adtribita *B* **5** pecuniosum *C*E discribere *HB* **6** iste *om H* inquias *H* dici *om H* putabat *HPΠB* putat *C*E **7** uidete nunc E qui *P* **8** dant *HPB* darem *Π*E daretis mihi locum *C* nobis si *d* **9** essetis H^2 *in ras* e H^1 sinistra mentum P^2B^2CE sinistrumentum *PB* sinistrūmentum *Π* si instrumentum *H* subleuauit *Π* subleuabit *PBbl* subueluabit *C* leuabit te *s. s.* sub *H* subleuat *d* **10** gēma enitorem *H* gēmae nitorem *PB* splendorem *HPB* **11** praestringere *d* perstringere M*bl* **12** ego *om* E non noui *H* arbitror nouisse E appellat] a (*s. s* d) puerum respicit unū quēq; ego/////noui uos ñ arbitrantur alio nomine appellat *H* **13** *posterius* alio *om B* At eho tu] at de ho tu *C* A deo tu $P^1ΠB$ Tu *Hbl* at heus tu P^2 heus tu *d* uenis annio *HPΠB* **14** nequit *HPΠB* is *HPΠB* hi *C* isti B^2E barbaris *P* barbaros *H* barbari *ΠBC*E stupent *Π* conturbent *d* audiunt *H*E **15** putant *Hb* seligi *C* eligi *bl* aut ut *HPBbl* ut aut *Π* ut aut ut B^2C aut *d* **16** lecti *d* auungculo *C* **17** hostium *HCbl* **18** aliquod *b* aliq *l* aliquid *d*M false E falso M coragium *ld* gloria *H* **19** conpararetur *H* comparetur E uidete *bl* **20** numerentur *Hbl* *conf.* Calpurn. III 64 **21** iam bene

oportet,' inquit, 'si hodie uis transnumerari.' 'Age,' inquit, 'duc tecum Libanum et Sosiam.' 'Sane.' Deinde casu ueniunt hospites homini, quos iste, dum splendide peregrinatur, ⟨inuitat.⟩ Ex ea re homo hercule sane conturbatur, sed tamen a uitio naturae non recedit. 'Bene,' inquit, 'facitis, cum uenitis, sed rectius fecissetis, si ad me domum recta abissetis.' 'Id fecissemus,' inquiunt illi, 'si domum nouissemus.' 'At istud quidem facile fuit undelibet inuenire. Verum ite mequom.' Secuntur illi. Sermo interea huius consumitur omnis in ostentatione. Quaerit, in agris frumenta cuiusmodi sint; negat se, quia uillae incensae sint, accedere posse nec aedificare etiam-
nunc audere; 'tametsi in Tusculano quidem coepi insanire 51
et in isdem fundamentis aedificare.' Dum haec loquitur, 64
uenit in aedes quasdam, in quibus sodalicium erat eodem die futurum; quo iste pro notitia domnaedi *iam introit* cum hospitibus. 'Hic,' inquit, 'habito.' Perspicit argentum, quod erat expositum, uisit triclinum stratum, probat. Accedit seruulus, dicit homini clare, dominum iam uenturum, si uelit exire. 'Itane?' inquit; 'eamus hospitis; frater uenit ex Falerno: ego illi obuiam pergam; uos huc decuma uenitote.' Hospites discedunt. Iste se raptim

naturam *PΠB* iam beneraturam *C* bene iam hominis naturam *d* eam benenaturae *H* hanc naturam bene *bl*: erei *inserui* norit *bl* nouit *d*M plures *om* M 1 hoc die uestrum numerari *H* (trans numerari *P*) 2 du P^{1} 3 ueniunt *om d* qui istum *d* 4 peregrinabatur *d* peregrinantur *C* inuitat *bl* receperunt *d om* M inuitarat *Halmius* inuitat *perfectum?* sane *om C* 5 recedit $P^{2}C$E recedet *HPΠB* 6 dum *d* 7 recte $HP^{2}C$ recta uia *d* abissetis *H*E abiissetis *PΠBC* 8 ad stud *H* 9 Item equum *HPΠB* Ite euntem eum *C* euntem illum E secuntur *H*E sequuntur *PΠBC* 10 ostensione *d* 11 cuius modi *HPB* sunt *C* 12 etiam nunc *HPB* 13 tamen etsi b^{2} intus culano *HPB* 14 isdem *H* hisdem *reliqui* haec *om B* loquitur *om H* loqui *add* H^{2} 15 quadam *HB* sodalitium *ld* 16 quo *C*E quod *HPΠB* isti *HB* prae notatia (ati *in ras*) *H* domnaedi iam] domnediam M domini edium E introit] in integro *HPΠB* ingreditur $P^{2}B^{2}C$E 17 tum *d* ospitibus H^{1} abito *PΠB* perspicit argentum E perspicitur autem M 18 era H^{1} uisit E ut si M triclinum *H* triclium *B* triclinium *reliqui* statum *H* 19 accedat seruulis *H* clam $P^{2}C$ 20 ex rei tane *H* hospitis *PB* hospites *reliqui* 21 frater meus *bl* huc uos E 22 decima *Π* ad decimam *bl* hispites P^{1}

domum suam conicit; ⟨illi⟩ decuma, quo iusserat, ueniunt. Quaerunt hunc, reperiunt, domus cuia sit, in diuersorium derisi conferunt sese. Vident hominem posteri die, narrant, expostulant, accusant. Ait iste eos similitudine loci deceptos angiporto toto deerrasse; contra ualetudinem suam ad noctem multam expectasse. Sannioni puero negotium dederat, ut uasa, uestimenta, pueros ⟨cor⟩rogaret. Seruolus non inurbanus satis strenue et concinne conparat. Iste hospites domum deducit: ait se aedes maximas cuidam amico ad nuptias commodasse. Nuntiat puer argentum repeti: pertimuerat enim, qui commodarat. 'Apage ⟨te,'⟩ inquit, 'aedes commodaui, familiam dedi: argentum quoque uult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samis delectabimur.' Quid ego, quae deinde efficiat, narrem? Eiusmodi est hominis natura, ut, quae singulis diebus efficiat gloria atque ostentatione, ea uix annuo sermone enarrare possim.'

65 Huiusmodi notationes, quae describunt, quod consentaneum sit unius cuiusque naturae, uehementer habent magnam delectationem: totam enim naturam cuiuspiam ponunt ante oculos aut gloriosi, ut nos exempli causa coeperamus, aut inuidi aut tumidi aut auari, ambitiosi, amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris; denique cuiusuis studium protrahi potest in medium tali notatione.

---

discendunt *C* separatim *H* 1 coniecit M illi *om* M decuma *d* decima *bl*M qua *bl* iusserant *H* 2 hun H^1 repperiunt *B* 3 esse *H* posteri die *P* posteridie *B* postero die $P^2\Pi$ postera die *C*E postridie *H* 4 Ait — deerrasse *om.* P^1 ille *d* eos *om* H^1 5 tuto *HPBC* tuo *H* deerras H^1 se contra E ualetudinem *b* ualitudinem *ld*M 6 exspectasse *l* expectasses *H* annioni *H* 7 rogaret *PΠBC* rogasset *H* 8 seruolus *Halmius* seruulos M seruulus E non inurbanus E non inurbanos $P^2\Pi BC$ no inurbanos *P* non urbanos *H* streue B^1 strennue *l* conparat *HP* conpararet *C* comparat *BΠ*E conpararat *Kayserus* 9 ospites *H* deducti *b* ait sed maxime os *H* ait se maximas aedes E 10 amico cuidam E accommodasse *d* 11 accommodarat *d* 12 te *om* M dedi] de *H* di *C* 13 tam̄etsi ospites abeo *H* 14 samis *HPB* samiis P^2B^2CE samniis *Π* officiat *H* 15 parem M 16 aio *s. s.* annuo *l* 18 quod M*d* q *l* quid *b* 19 sic *H* unius *C*E ut ius *HPΠB* 20 cuius piam *P* ante oculos ponunt E 22 inuidia ut *H* timidi *H* amatores *H* luxoriosi *P* 23 fures quadruplatores *HPB* cuius uis *PB* 24 *post*

Sermocinatio est, cum alicui personae sermo adtri- 52
buitur et is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto:

'Cum militibus urbs redundaret et omnes timore obpressi domi continerentur, uenit iste cum sago, gladio succinctus, tenens iaculum; *III* adulescentes hominem simili ornatu subsecuntur. Inrupit in aedes subito, deinde magna uoce: 'Ubi est iste beatus,' inquit, 'aedium dominus? quin mihi praesto fuit? Quid tacetis?' Hic ali omnes stupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infelicissimi cum maximo fletu ad istius pedes abiecit sese. 'Per te,' inquit, 'et quae tibi dulcissima sunt in uita, miserere nostri; noli extinguere extinctos; fer mansuete fortunam; nos quoque fuimus beati: nosce t⟨e⟩ esse hominem.' — 'Quin illum mihi datis ac uos auribus meis opplorare desinitis? Non abibit.' Illi nuntiatur interea uenisse istum et clamore maximo mortem minari. Quod simul ut audiuit: 'Heus,' inquit, 'Gorgia pediseque puerorum, absconde pueros, defende, fac, ut incolumis ⟨ad⟩ adulescentiam ⟨perducas.⟩' Vix haec dixerat, cum ecce iste praesto 'sedes,' inquit, 'audax? Non uox mea tibi uitam ademit?

1 Quintilian. IX 2, 31 sermones hominum adsimulatos dicere διαλόγους malunt: quod Latinorum quidam dixerunt sermocinationem

notatione *add H*: SERMOTINATIO *PB*: SERMOCINATIO **1** sermotinatio *H* attribuitur *ΠC*E **2** hoc modo *d* **3** obpressi *H* oppressi *reliqui* **5** baculum *H* tres *Kayserus: conf. qui exemplum ex Graeco translatum esse demonstrat Plaut. Rud. u. 315: sed ubique uerba togata posuit Latinus sagum gladius pediseeas puerorum* in *HPΠB* inde *C* Quinq; E adulisceutes *H* adolescentes *B*E hominem E homines M **6** subsecuntur *PBbd* subsequuntur *HΠCl* irrupit *bd* deinde] dixit *H* **7** maxima E dominus edium *b* **8** qui non *C* ali *P* tales *H* alii *reliqui* **9** tumore *HPB* illius] eius *s. s.* illius *l* **10** ipsius *d* obiecit *B* proiecit *d* Per te *bl* parce *d*M **11** et per ea quae *C*E sunt in *om H*, in *add* H^2 **13** nosce te P^2 B^2 *ΠC*E noscet *HPB* hominem esse E **14** quin *PΠ BC* qui in *H* at ille quin P^2 (at ille *marg manu saec. IX*) E aut . H^1 opplorare auribus meis E **15** desinetis *bl* abiit *b* habebat *H* Ille P^2*C* istum E factum est M **16** magno clamore *d* ut *om d* audiui eos inquit *H* **17** pediseque *Lambinus* pedens a equo *PΠB* pendens equo *H* pedissequa *Cbl* pedisseca *d* **18** incolomes *bl* ad adolescentiam perducas *bl* adulescentiam *HPB* adolescentia *H* adulescentia sit *C* sit adolescentia *d*P^2 **19** dixerat E dixit at M **20** uix mea *PΠB* uix meā *H* uis mea P^2*C* mea uox E tibi *om H*

expl e meas inimicitias et iracundiam satura tuo sanguine.' Ille cum magno spiritu uerba: '⟨Metuebam⟩,' inquit, 'ne plane uictus essem. Nunc uideo: iudicio mecum contendere non uis, ubi superare*i* turpissimum et superare pulcherrimum est: interficere uis. Occidar equidem, sed uictus non peribo.' 'Ut in extremo uitae tempore etiam sententias eloqueris! Numquam ei, quem uides dominari, uis supplicare?' Tum mulier: 'Immo iste quidem rogat et supplicat: sed tu, quaeso, commouere; et tu per deos,' inquit, 'hunc examplexare. Dominus est; uicit hic te, ui⟨*n*⟩ce tu nunc animum.' 'Quin desinis,' inquit, 'uxor, loqui, quae me digna non sint? tace et quae curanda sunt, cura. Tu cessas mihi uitam, tibi omnem bene uiuendi spem mea morte eripere?' Iste mulierem reppulit ab se lamentantem; illi nescio quid incipienti dicere, quod dignum uidelicet illius uirtute esset, gladium in latere defixit.'

Puto in hoc exemplo dato⟨*s*⟩ esse uni cuique sermones ad dignitatem adcommodatos; id quod oportet in ⟨*hoc*⟩ genere conseruare.

Sunt item sermocinationes consequentes hoc genus: 'Nam quid putamus illos dicturos, si hoc iudicaritis? Nonne omnes hac utentur oratione?' deinde subicere sermonem.

2 mago *Π* uerba metuebā **E** uerba **M** uerebar *Orellius ex cod Turicensi* 3 iudicio *C* iū *PΠB* sū *Π* in iudicio **E** 4 supurari *P* superare *H* superari *reliqui* turpissimum et superare *bis scripsit l* 5 me uis *d* uis me *bl* occidar equidem *bl* occides equidem *d* P^2 B^2 occidere quidem *Π P B Π* occide quidem *C* uctus *H* 6 ut *H P Π B* At **E** Tu *C Halmius* etiam *PB***E** et *ΠC* esset *H* sententia *H* sententiose *bl* 7 loqueris *bl* nū quā *H* ñ quae *B* ñ q. *P* ñq; *Π* neque P^2*C***E** dominari *om H* uis] ut *H* 8 suplicare *b* supplicerē *Π* Tum mulier *om H* is te *Halmius* 9 suplicat *b* 10 examplexare *BC* examplaxare (e *supra* a) *Π* exampelaexare *P* exemplare *b* amplexare *Hld* uice tu *PB* uicet *H* 11 animum ē *C* (ē *linea expunctum*) Quin *C Oudendorpius* quid *HPΠB* Cur non **E** 12 loqui *om Π* sunt **E** 13 cura *om H* uiuentē *H* 14 mea morte eripere (adimere *d*) **E** meam morum (mores *Π*) semper **M** ista *H* is *bl* mulier *Π* reppulit *ΠC* repopulit *PB* populit *H* repellit *bl* repulit *d* ad *H* a *d* 15 nescio *om H* 16 fixit H^1 17 datos *Π***E** dato *HPBC* sermonis *b* 18 adcommodatos *C* accommodatos B^2*Π* (o *ultima ex* u) **E** adcommodatur *Π P* accommodatur *B* hoc *C***E** *om HPΠB* 19 conseruari *bl* obseruari *d* 20 item] uere *l* sermotinationes *Π* 21 iudicaueritis *H***E** 22 hoc utentur *Π* utentur

Conformatio est, ⟨*cu*⟩m aliqua, quae non adest, persona confingitur quasi adsit, aut cum res muta aut informis fit eloquens et forma ei et oratio adtribuitur ad dignitatem adcommodata aut actio quaedam, hoc pacto: 53 66

'Quodsi nunc haec urbs inuictissima uocem mittat, non hoc pacto loquatur: 'Ego illa plurimis tropeis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata uictoriis, nunc uestris seditionibus, o ciues, uexor; quam dolis malitiosa Kartago, uiribus probata Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patimini nunc ab homunculis deterrumis proteri atque conculcari?'

Item: 'Quodsi nunc Lucius ille Brutus reuiuescat et hic ante pedes uestros adsit, *is* non hac utatur oratione: 'Ego reges eieci, uos tyrannos introducitis; ego libertatem, quae non erat, peperi, uos partam seruare non uultis; ego capitis mei periculo patriam liberaui, uos liberi sine periculo esse non curatis?'

Haec conformatio licet in plures ⟨*res*⟩, in mutas atque inanimas transferatur. Proficit plurimum in amplificationis partibus et conmiseratione.

---

hac *bd* ratione *l* deinde] dicit *H* *post* sermonem *add HPB*: CONFORMATIO **1** cum aliqua E cum in aliqua *C* quum *Π* malis qua *PB* animalis quā *H* quae non adest] quaedam *H* *post* non *del* est *b* **2** assit *d* re *H* aut] et *bl* infirmis *H* **3** sit *Hbl* sic *C* forma ei et *HΠCd* formẹi et *B* formei et *P* formata et ei *bl* attribuitur *C*E **4** adcommodata P^1 admodata *H* accommodata *reliqui* hoc modo *d* **5** haec *om b* inuictissimā *H* emittat *C*E **6** num hoc modo *d* illi *H* illam *PB* tropeis *PΠ* tropheis P^2*HBC*E ornatam *PB* **7** dedita *b* locupleta *b* **8** nunc *om H* uxor *Hl* **9** cartago E prolata *b* numatia H^1 nummantia *PBC* **10** corhintus labe factare *B* eam non potuit. Patimini *H* **11** omunculis H^1 deterrumis *PBC* de ruinis *H* deterrimis *Πldb*[2] deterrimas b^1 **12** Quidsi *d* n̄ *H* breuitus *H* reuiuescat P^1*ΠCv* reuiuiscat *HB*E **13** assit *d* is non *Halmius* si non M non *bl* nū *d* **14** tirannos *bΠ* **15** paratam H^1 **17** esse *om* H^1 **18** confirmatio *HPB* licet *C*E lic̄ *B* Lc̄ *PΠ* cū *H* in plures res *Cbl* in plures rei *d* (*in quo sequitur: FINIS: inde ab hoc loco cod Vossianus 1 (= v) eius uice fungetur*) in plures *HPΠB* in mutas *HΠ* iumutas *PB* mutas *C*E **19** inanimatas transferatur E inanima ut transferatur (trans feratur *B*) *PB* inanimalia utrū/ feratur *H* inanima dum transferatur *Π* inanimales transferatur *C* sed (si *H*) proficit M amplificationibus *H* **20** conmiseratione *HP* commiseratione *reliqui in HPB add* SIGNIFICATIO

67 Significatio est res, quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exsuperationem, ambiguum, consequentiam, abscisionem, similitudinem.

Per exsuperationem, cum plus est dictum, quam patitur ueritas, augendae suspicionis causa, sic:

'Hic de tanto patrimonio tam cito testam, qui sibi petat ignem, non reliquit.'

Per ambiguum, cum uerbum potest in duas pluresue sententias accipi, sed accipitur ⟨tamen⟩ in eam partem, quam uult is, qui dixit; ut de eo si dicas, qui multas hereditates adierit: 'Prospice tu, qui plurimum cernis.'

54 Ambigua quemadmodum uitanda sunt, quae obscuram reddunt orationem, item haec consequenda, quae conficiunt huiusmodi significationem. Ea reperientur facile, si nouerimus et animum aduerterimus uerborum ancipites aut multiplices potestates.

Per consequentiam significatio fit, cum res, quae sequantur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione; ut si salsamentari filio dicas: 'Quiesce tu, cuius pater cubitis emungi solebat.'

19 Bio Borysthenita apud Diog. Laert. IV 7, 46 *ἐμοῦ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος· διεδήλου δὲ τὸν ταριχέμπορον* Plut. quaest. sympos. II 1, 4 p. 631 D Sueton. uita Horat p. 44 Q. Horatius Flaccus patre . . . libertino . . . ut uero creditum est salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: quotiens ego uidi patrem tuum brachio se emungentem (Victorius)

